




ETHICA CHRISTIANA
SEU
ORTHODOXA
JURIS NATURALIS & GENTIUM
PRUDENTIA.

OPUS SINGULARE

Cunctis tam Theologis & Juris utriusque Studiosis, quàm cæteris sive in foro versantibus, aut negotia publica tractantibus; sive privatim genuinam veritatem & morum honestatem indagantibus, longè utilissimum.

CONTRA



Heterodoxos Moralistas & Pseudo-politicos modernos laboriosè elucubratum, & in duos Libros digestum



AB

Admodùm Reverendo & Eximio Patre Magistro

ANTONIO HOCHKIRCHEN
AQUENSI
Ordinis FF. Eremitarum S. P. Augustini, S. Theologiæ Doctore, ejusdémque, nec non Juris Pontificii Professore absoluto, Provinciæ Coloniensis Definitore.

PARS SECUNDA.



TRAJECTI AD MOSAM,
Typis JACOBI LEKENS, propè RR. PP. Prædicatores.

Cum Approbatione & Privilegio S. Cæsareæ Majestatis.





LIBER II.

DE JURE GENTIUM

CAPUT PRIMUM

DE Existentia, Quidditate, Divisione & Objecto Juris Gentium.

SUMMARIUM.

1 *Ocialitas naturæ humanæ postulat jus quoddam commune, quod rectè* Jus Gentium *nuncupatur.*

2 Hobbesius, Puffendorfius, Thomasius *& alii ejusdem fæcis Declamatores, malè confundunt Jus Gentium cum Jure Naturali; proinde perperàm & inofficiosè carpunt magnum suum* Hugonem Grotium, *eò quòd is Jus Gentium aliud statuerit* necessarium, *aliud* voluntarium.

---

1 Cum homo sit animal sociabile, Gentes pleræque, ùt ùt longa intercapedine ab invicem distantes, quandam, tum ob necessitatem, tum mutuam utilitatem, inter se societatem inivisse, compertum est, ut autem hæc societas ritè colatur & conservetur, opus est normâ, quæ in commerciis, negotiis & actionibus publicis, mutuò observetur; hæc autem norma non est jus merè naturale, cùm multa inter gentes usu recepta sint, quæ à jure naturali directè saltem non profluunt: sed nec est jus civile, aut *positivum* particulare; ergo est jus quoddam commune, quod *Gentium* est nuncupandum.

2. Tametsi autem multa inter Gentes sint recepta, quæ juris sunt naturalis; malè tamen cum *Hobbesio*, *Puffendorfio*, *Thomasio* & aliis ejusdem fæcis Declamatoribus, dixeris: jus Gentium non discrepare *specie* etiam *subalternâ*, à jure naturæ, sed solùm penes subjecta, & applicationem extrinsecam distingui: quasi verò idem jus prospectu singulorum hominum, *jus naturale* dicatur, intuitu verò integrarum Gentium, *jus Gentium* audiat. Profectò alia est ratio legum naturalium; alia legum, Gentium moribus introductarum: leges enim naturales, sunt veluti media ad felicitatem humanæ naturæ propriam *simpliciter* necessaria, Gentium verò leges prioribus superadditæ, pro-

proſpiciunt humanæ ſocietati, non in omnimodè neceſſariis, ſed in iis, quæ *moraliter* neceſſaria ſunt, ſeu: ut meliùs, commodiúſve ſubſiſtere queat. Diſcrimen itaque faciendum inter ea, quæ conformia ſunt rationi naturali, & ea, quæ jure naturali præcepta. Patet enim multa, hoc jure minimè præcepta, attamen eidem non diſſona, juris eſſe arbitrarii & humani. Proinde, licet ejuſmodi capita ſint conformia juri naturali; quia tamen vel quò ad ſubſtantiam, vel ſaltem quò ad modum, aut determinationem, non ſunt præcisè à jure iſto præſcripta, ſed arbitrio humano relicta; ideo *juri Gentium voluntario* natales ſuos debent. Quamobrèm immeritò *Thomaſius. in notis ad Puffendorf. De Officio Hominis & Civis. cap.* 4. §. 13. *Grotium* vocat: *Juris Gentium voluntarii, magno niſu vanum Fabricatorem.* Siquidem in hoc, nullatenus erravit *Grotius*, quòd aliud ſtatuerit jus Gentium *neceſſarium*, quod videlicet abſque hominum voluntate, ex Dei, tanquam Authoris naturæ, providentia, vim legis æternæ habet, aliud verò poſuerit jus Gentium *voluntarium*, quod videlicet ex tacito pacto illos duntaxat ligat, qui conſenſu, approbatione ac uſu, illud receperunt. Confer, quæ diximus *in Prolegomenis. lib.* 1. *n.* 47.

3. Igitur Jus Naturæ & Gentium propriè dictum, multipliciter differunt. Siquidem 1. Cauſa efficiens juris naturæ, eſt Deus, ùt Author naturæ: juris Gentium verò voluntas populorum. 2. Jus naturæ eſt conſtitutum, ſeu nobis connatum, propter honeſtatem aut turpitudinem in actibus relucentem; jus Gentium verò propter communem neceſſitatem *moralem*, magnámve utilitatem. 3. Jus naturæ principaliter reſpicit felicitatem homini *ſubſtantialiter* propriam, id eſt *internam*, etiam ultra fata, extenſam, dirigendo hominem ad ſeipſum & Deum. Et licet etiam dirigat hominem, ùt ſocium, ſeu in ſocietate humana exiſtentem; haud tamen aliter dirigit, quàm in iis, quæ in ordine ad communem & publicam felicitatem ſunt *ſimpliciter neceſſaria*: Econtra jus Gentium pro fine formali & adæquato, reſpicit utilitatem Gentium, ſeu felicitatem ſocietatis humanæ merè *externam* hujus vitæ, eámque non fundatam in *abſoluta* naturæ neceſſitate, ſed fundatam in neceſſitate quadam *morali*, quæ *melius eſſe* ſolùm importat. Cùm enim Gens nulla ſibi adeò ſufficiat, rerúmque diverſitate abundet, quin ad melius eſſe, majorémve utilitatem, imò ſæpe ob moralem neceſſitatem, mutuo auxilio, ſocietate & communicatione indigeat; ideo adinveniri & ſtatui debuit jus, quo Gentes eatenus dirigerentur & uterentur. 4. Jus Naturæ reſpicit objecta fundata in abſoluta neceſſitate, fluitque ex evidentia naturali, vel per principia per ſe nota; vel ſaltem per concluſiones ex illis principiis deductas. Quod ſecus ſe habet in jure Gentium.

5. Jus Naturæ eſt prorſus *immutabile*, Jus verò Gentium, utpote ex hominum conſenſu vel arbitraria conſuetudine dependens, abſolutè mutari poteſt, aut potiùs obligare deſinit, quando ceſſat ratio communis utilitatis aut neceſſitatis. Quocircà, belli tempore, quia nobis non eſt utile, ut hoſtis per territorium noſtrum tranſeat, vel commercia in eo & per illud exerceat; ideo jus Gentium eatenus nos non obligat. 6. Jus Naturale eſt *univerſale* ſingulos in particulari, & cunctas omnino Gentes ſemper obligans, ita, ut non niſi per errorem, poſſit alicubi non obſervari: econtra jus Gentium non ita ſtringit omnes, nec in particulari nec in communi, ſed ſolùm à pleriſque, puta moratioribus nationibus, obſervatur, ut abſque errore alicubi poſſit non vigere. 7. Jus

Jus Naturæ nedum bona præcipit, sed & mala ita absolutè vetat; ut nulli det delinquendi facultatem aut impunitatem: écontra, Gentium jure, quædam in se mala tolerantur & impunita relinquuntur. Sic non solùm jure Civili, sed & Gentium, ob necessitatem provenientem ex fragilitate & indole hominum, quibusdam in Regionibus calidioribus, permittuntur meretrices & lupanaria; ac passim in contractibus, leves permittuntur deceptiones. Confer *Paulum Voët.* in libro singulari *De Statutis eorúmque concursu cap* 2. *sect.* 1. *n.* 1.

4. Qui jus Gentium cum jure naturæ identificant, sic cum *Puffendorfii* Apologetis arguunt: *1mò.* Societas inter Gentes est juris naturæ, Teste *Seneca Epist.* 95. Ubi homines vocat, membra corporis magni, quos natura ediderit cognatos. En ejus verba: *Omne hoc* (inquit ibid.) *quod vides, unum est; membra sumus corporis magni: natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem & in eadem gigneret. Hæc amorem indidit mutuum & sociabilem.* Ergo & Gentium leges, queîs hæc societas subsistit & fovetur, sunt juris naturæ. *2dò.* Si Gentium jus foret merè humanum, esset ideo; quia ortum esset ex Gentium pacto seu consensu expresso aut saltem tacito: at neutrum dici potest: non primum; quia nunquam & nuspiam celebrata, aut à Gentibus indicta fuerunt Comitia generalia, in quibus expresso pacto definita fuerint capita seu placita, à Gentibus mutuò observanda. Quinimò, si gratis admitteretur hujusmodi pactum explicitum; obligatio inde resultans, juris foret naturalis. Sed nec secundum dici potest; tum quia de pacto aut consensu tacito, certa non reperiuntur indicia: tum quia nec omnium voluntas unquam explorata, nec præsumendus est unanimis mortalium consensus, maximè, cùm sciamus diversissimas Nationes, inclinatione & genio plurimùm discrepare. Tum denique; quia quarundam tantum Gentium conspiratio non sufficeret ad inducendum jus universale, neque populi antecessores potuerunt obligare successores. 3. Quia, ùt loquitur *Puffendorf. de J. N. & G. lib.* 2. *cap.* 3. §. 23. ea, quæ passim juri Gentium attribuuntur, veriùs reducuntur ad jus naturæ.

5. Ad *1mum Resp. Dist. Anteced.* Societas inter Gentes est juris naturæ *concessivi* & *originaliter*, quatenus natura inclinat ad socialitatem *C.* Est juris naturæ *Præceptivi* & *formaliter*, quasi natura ad socialitatem obligaret *N.* Similiter distingui potest *Conseq.* Ergo & Gentium leges *&c.* sunt juris naturæ, si sint media ad felicitatem naturæ humanæ propriam *simpliciter* necessaria *C.* Si tantùm sint media necessaria *ad melius esse*, ùt sunt Gentium leges aut consuetudines, ad commune commodum, introductæ *N.*

Ad *2dum. Resp. Neg. Mi. Ejúsque secundam probationis partem.* Porrò tacitus Gentium consensus, satìs colligitur, ùt benè observat *Grotius lib.* 1. *cap* 1. §. 14. ex usu continuo moratiorum Gentium, & testimonio peritorum. *Moratiorum* (inquam) *Gentium.* Nationes enim prorsus barbaræ & efferæ, ne Gentis humanæ nomen merentur, adeóque earum actiones, convictui humano adversantes, juri Gentium præjudicare nequeunt. Quocircà ad jus Gentium universale, *in sensu accommodo* constituendum, sufficit uniformis moratiorum Gentium usus & consuetudo, qua etiam tenentur populi successores, eò quòd in hominum æstimatione, maneant iidem. Siquidem Cives in demortuorum locum succedentes, repræsentant prædecessores, & in æstimatione morali, eundem conficiunt populum.

Ad 3. *Resp. Neg Assumptum.* Non enim

enim ad jus naturæ propriè tale, alia spectant capita seu dictata, quàm quæ sunt ***absolutæ necessitatis***, sive; quæ ***simpliciter, in se*** & ***determinatè*** conducunt ad finem à natura intentum. Quæ verò sunt utilitatis vel commoditatis intuitu, solùm necessaria ***moraliter***, seu ***ad melius esse***; ad jus naturæ propriè non spectant, nisi naturæ præcepta in infinitum multiplicare, & jus ipsum naturale, cum jure arbitrario & humano, confundere velis. Igitur, ùt supra dictum; multùm diversa sunt: ***esse naturæ conforme***, ***consonum*** aut ***consentaneum***, &: ***esse à natura præceptum, aut necessariò faciendum.***

6. Hoc damus, quòd licet à *Puffendorfii Paraphrastis*, malè confundatur jus Gentium cum ipso jure naturali, nihilominus cum eo magnam habeat affinitatem, & ideo ab illo non differat tanquam species diametraliter opposita, sed velut species *subalterna*. Affinitas hujus juris cum jure naturali, colligitur tum ex eo, quòd utrumque sit Gentibus commune; tum, quòd utrumque respiciat publicam societatis humanæ felicitatem; & denique fundetur in convenientia cum ratione humana, ut proinde ferè ortum cum genere humano: ac per usum aut imitationem, vel per populorum conventiones, inductum propagatúmve noscatur.

7. Cæterum, propriè & rigorosè, jus Gentium discrepat à jure Civili. Tum quia jus Civile natales suos debet voluntati legislatoris humani: Jus Gentium verò, non ab uno supremo Civitatis aut Reipublicæ moderatore, sed ab usu, & moribus populorum constitutum. Tum quia jus Civile *privatas*; Gentium verò *communes* spectat necessitates vel utilitates, neque in una duntaxat Civitate, Regno aut Republica, sed apud plerasque Gentes observatur. Ex dictis

8. Resultat, Jus Gentium ortum esse tum ex indole naturæ humanæ sociabilis, tum ex amore, quem etiam extraneis impendere convenit, in iis, quæ ipsis moraliter necessaria, seu valde utilia sunt. Etsi enim factâ terrarum divisione, discreti quoque fuerint populi; non cessavit tamen affectus societatis, aut moralis seu politica mortalium conjunctio; &; cùm nulla Gens sibi usquequaque sufficiat; ut, sive ad commodiorem vitam, seu ad suî defensionem & tutamen, alienis haud egeat suppetiis; inde est; quòd ipsa naturæ humanæ conditio, pellexerit Gentes ad statuenda aut observanda placita communiter omnibus hinc inde proficua.

9. Differendo de Quidditate juris Gentium; non displicet *Grotii* descriptio, quâ hoc jus dicit ***conventionem tacitam, vigore cujus Gentes ùt tales, obligatione mutua consociantur in ordine ad illa, quæ ad communem ipsarum felicitatem pertinent***. Ubi per ***conventionem tacitam*** indigitatur forma intrinseca hujus juris, & differentia à jure naturæ, quod vim legis propriè dictæ habet, cùm écontra, pacta inter Gentes superiorem non agnoscentes, naturam legis induere nequeant, sed in finibus conventionis consistant.

10. Dictum: *Vigore cujus Gentes, ùt tales.* Homines enim tripliciter considerari possunt, scilicet vel tanquam creaturæ rationales, vel tanquam membra generis humani in diversas Gentes dispersi; vel tanquam membra singularia Civitatis aut Reipublicæ. Priore respectu, diriguntur jure naturæ; secundo, jure Gentium; tertio, jure Civili.

11. Alii cum *Vitriario Inst. J. N. & G. cap. 1. n. 21.* Jus Gentium definiunt esse: Ordinationem rationis, diuturnis Gentium moribus ad communem utilitatem Gentium quà talium constitutam. Utraque definitio satis naturam hujus juris

ris exponit, & parùm ad rem facit, utrùm dicamus, illud *formaliter* constitui per conventionem tacitam, an per usum & consuetudinem; quia ipsemet usus longævus aut supponit tacitam conventionem, aut illam constituit.

12. Jus Gentium dividitur passim in primævum, quod ratio naturalis inter homines constituit, & de quo egimus in *Prolegomenis. lib.* 1. ac *secundarium*, quod videlicet usu, & necessitatibus exigentibus, introductum est. Neque hæc divisio tanquam exolera aut infundata ideo expungenda est, ùt putat *P. Ignatius Schwartz*, quasi niteretur falso supposito *Justiniani*, de duplici jure naturæ; utpote qui jus Gentium cum jure naturali confuderit. Non enim *Justinianus* statuit duplex jus naturæ, dum de jure Gentium disseruit, sed solùm insinuavit; jus Gentium, naturali ratione, ob necessitatem vel utilitatem, introductum esse, & à populis moratioribus peræquè observari; quod utique aliud est, quàm jus Gentium confundere cum jure naturali propriè & rigorosè accepto. Retinenda igitur est allata divisio, quæ coincidit cum illa, quam in *Prolegomenis n.* 48. ex communi Doctorum sententia, adduximus. Verissimum enim est, quòd aliud sit jus Gentium toti humano generi commune; quod est ipsum jus naturale, & ideo vocatur jus Gentium *Primævum* ac *necessarium*, aliud verò jus Gentium *voluntarium*, seu *secundarium*, & propriè dictum. Neque in hoc passu reprehendi meretur *Grotius* dum asserit: jure Gentium scilicet *voluntario*, non omnes omnino Gentes stringi & obligari, eò quòd ultra jus naturale & divinum novum, defacto non sit reperibile jus, omnibus omnino Gentibus commune; ex quo contingere potest: ut, quod in una orbis parte juris Gentium censetur, alibi aliter reputetur. Consonat *Paulus Voet. loc. cit. n.* 2. ubi plures alios citat authores.

13. Ob rationem prætactam, Pater *Schwartz* immerito rejicit divisionem juris Gentium in *universale*, quod nobis, jus naturæ audit, & *particulare*, id est *minùs universale*, quo videlicet moratiores Gentes utuntur. Neque hac ratione confunditur jus Gentium cum jure Civili, quod alium habet authorem, aliúmque finem spectat, ùt supra dictum. *n.* 7. Falsum verò est, quòd finis juris Gentium, sit omnium omnino Gentium communis felicitas, seu utilitas: constat enim multas dari Gentes adeo barbaras & efferas, quæ suo corrupto genio indulgentes, nullam cum moratioribus colunt societatem.

14. Non inficiamur tamen, divisionem juris Gentium in *scriptum* & *non scriptum*, videri superfluam; eò quòd jus scriptum, seu expresso Gentium consensu, stabilitum, potiùs sapiat fœdus, & jus quoddam particulare; quàm id, quod meretur appellari, Gentibus, ratione & moribus utentibus, *commune*.

15. Ab omnibus recepta est divisio juris Gentium in *affirmativum*, *negativum* & *permissivum*. Primum est, quo aliquid fieri præcipitur, non tamen in *actu secundo*, pro semper obligat. Secundum est, quo aliquid fieri prohibetur, idque stringit semper & pro semper. Tertium est, quo nihil determinatè præcipitur aut vetatur, sed *negativè* se habet, vel tolerando actum, si sit *Adiaphorus*, vel non puniendo palàm, si sit malus.

16. Cùm fundamentum juris Gentium, sit communis populorum necessitas & utilitas, liquet; quòd ejus objectum, seu *materia circa quam*, sint ea omnia, quæ ad convenientem communicationem & inde resultantem utilitatem communem, conferre nata sunt, quorsum referuntur

1.

1. Rerum & populorum divisio. 2. Negotiandi facultas. 3. Bellum & exinde servitus. 4. Pax 5. Repressaliæ. 6. Legatorum immunitas. 7. Fœdera. 8. Jus transitûs, seu commigrandi. 9. Usus Monetæ, ejúsque cudendæ jus. *&c.* de quibus suis locis agemus. Ad jus Gentium verò primævum spectant illa omnia, quæ juri naturali directè adscribuntur, cujusmodi sunt Matrimonium, liberorum educatio; defensio suî ipsius, Religio naturalis, amor patriæ atque parentum. *Voët loc. cit. n.* 3.

17. Jus Gentium inquit *Grotius lib.* 1. *De J. B. & P. cap.* 1. §. 14. *n.* 2. probatur pari modo, quo jus non scriptum Civile, usu scilicet & testimonio peritorum, est enim hoc jus *repertum temporis & usûs.* Unde in eam rem, perutiles nobis illustres annalium conditores. Promptiùs tamen evincitur, aliquid esse juris Gentium; si contineat communem utilitatem vel necessitatem inter omnes aut saltem moratiores Gentes.

CAPUT II.

DE
Statu Hominis adventitio.

SUMMARIUM.

1 *Status Hominum quid & quotuplex?*

2 *Status hominum* Adventitius *non reperitur extra Societatem.*

3 *Pro varietate status, variant & jura atque officia.*

4 *Omnium Societatum prima est* conjugalis.

5 *Quid sit hæc Societas, spectato jure naturæ?*

6 *Status conjugalis à Deo institutus, quàm maximè est licitus.*

7 *Status iste, quatenus sit jure Naturæ præceptus?*

8 *Hic status, ab incunabulis suis, jure Divino, importavit vinculi perpetuitatem.*

9 *De Divina dispensatione cum Judæis, & de restauratione primævi præcepti per Christum.*

10 *Plures volunt, conjugium suapte naturâ, importare status perpetuitatem.*

11 *Verius tamen est, hanc perpetuitatem non competere Matrimonio etiam*

etiam consummato, nisi ex lege Divina positiva.
12 *Absolutè loquendo; primario Matrimonii fini non repugnat vinculi solubilitas mutuo consensu facienda.*
13 *Confirmatur hæc sententia.*
14 *Dirimitur scrupulus injectus.*
15 *Indissolubilitas vinculi conjugalis, est valde consona rationi naturali.*
16 *Et ideo apud moratiores Gentes usu recepta.*
17 *De* Polygamia *olim permissa & nunc abrogata* remissivè.
18 *Multi nedum Catholici, sed &* Protestantes *contendunt, Polygamiam fore, & fuisse semper jure naturæ vetitam.*
19 *Contrarium verius esse evincitur.*
20 *De* Polyandria *communiter convenit inter Doctores, quòd juri naturæ prorsus adversetur.*
21 *Proponuntur & diluuntur objectiones.*
22 *Reprehenditur* Sanchez, *qui opinatus fuit, Deo dispensante,* Polyandriam *posse esse licitam.*
23 Stoïci & Spartani, *turpissimè dicuntur admisisse uxorum communionem.*
24 Polygamia *per accidens, occasione nimiæ uxorum multitudinis, & nimis effusæ libidinis, potest esse juri naturæ dissona.*
25 *Dispensatio Divina Patriarchis & populo Hebræo olim facta, circa pluralitatem uxorum, probabiliter ante Christi adventum, jam cessaverat.*
26 *Quo tempore, tamen Polygamia Hebræis erat permissa, juxta* D. P. Augustinum, *non erat Gentibus prohibita.*
27 *Vigente Divinâ dispensatione, non erat definitus uxorum numerus.*
28 *Abrogatâ per Christum* Polygamiâ, *nedum fidelibus, sed & Paganis, uxorum pluralitas prorsus est interdicta.*
29 *An & quousque Consanguinitas, jure naturæ, Nuptias dirimat?*
30 *Dirimit certè in primo gradu* lineæ rectæ.
31 *Jus naturale non est metiendum ab indole quorundam brutorum aut hominum, qui moribus obbrutueruut.*
32 *Moratiores Gentes, ab hujusmodi nuptiis semper abhorruerunt.*
33 *Occurritur Objectionibus.*
34 *Consanguinitas in* linea recta, *jure naturæ, verosimiliùs dirimit Matrimonium* in infinitum.
35 *Evertitur Argumentum* P. Ignatii Schwartz.
36 *Probatur, debilem esse instantiam nostri* Basilii Pontii.
37 *In linea obliqua, ne primus quidem gradus, obest de jure naturæ, nuptiarum valori.*
38 *Probatur hæc Assertio.*
39 *Enervatur fundamentum oppositæ sententiæ.*
40 *Aliæ Objectiones refutantur.*
41 *Impotentia coëundi* antecedens & perpetua, *non finit nuptias validè contrahi.*

42

42 *Exponitur & probatur isthæc conclusio.*

43 *Impotentia hujusmodi superveniens Matrimonio contracto etiam non consummato, non potest illud rumpi facere accedente etiam Papæ authoritate.*

44 *Cur Professio Religiosa rumpat Matrimonii rati vinculum?*

45 *Impotentia coëundi, ut substantialiter vitiet Matrimonium, qualis esse debeat?*

46 *Sterilitas sola, non obest Matrimonii valori.*

47 *Aliud dicendum: si sit* antecedens, *conjuncta cum impotentia coëundi.*

48 Eunuchi, Spadones, *seu Castrati, utroque testiculo carentes, jure naturæ, ad nuptias sunt inepti.*

49 *Quid de* Hermaphroditis, *de utroque sexu æqualiter, vel inæqualiter participantibus?*

50 *Error circa Nuptias, est quadruplex.*

51 *Solus error circa personæ individuam substantiam, reddit Matrimonium jure naturæ,* nullum.

52 *Error igitur circa personæ qualitatem, aut fortunam, non evacuat Matrimonii valorem. Præcedens doctrina limitatur.* ibid.

53 *Quandónam error* qualitatis, *redundet in personam?*

54 *Error* conditionis, *non ita* jure Naturæ *officit nuptiarum valori, sicut jure, tum Civili, tum Canonico.*

55 *Homines, alii liberi, alii servi.* Isti *aut Ingenui sunt, aut Libertini.* Hi: *aut propriè dicti; aut impropriè tales.*

56 *Solus error conditionis servilis propriè dictæ, facit; quò minus valeat jure naturæ Matrimonium liberi cum ancilla; aut liberæ cum servo.*

57 *Noster* Basilius Pontius, *hac in parte, non malè distinguit.*

58 *Etsi* disparitas cultûs *faciat illicitè nuptias contrahi, non tamen naturæ jure, illas irritat.*

59 *Quinimò ex sacris Litteris, efficaciter probari nequit, quòd jure Divino* positivo, *cultûs disparitas induxerit* nullitatem *nuptiarum.*

60 *Matrimonium baptizati cum Pagana, non habet Sacramenti rationem, licet Ecclesia tales nuptias non irritásset.*

61 *Exponitur textus* D. Pauli 1. Corinth. 7. Sanctificatus est vir infidelis, propter uxorem fidelem.

62 *Matrimonium Catholici cum Hæretica, alioquin ritè contractum, nedum jure naturali & Divino; sed & Ecclesiastico,* validum *est.*

63 *Regulariter tamen illicitum ac prohibitum.*

64 *Exceptio ab ista regula.*

65 *Vix licita est consuetudo, ut Catholici cum hæreticis connubia celebrent, etiam in locis, ubi* mixtim *vivunt.*

66 *Minus verò [nisi fortè in singularissimo casu] tolerari potest, ut nuptiæ eo pacto contrahantur; ut*

masculi, Patris Religionem, fæmellæ, Matris sectam sequantur.

67 Vis compulsiva, & metus etiam gravissimus, non dirimit jure naturæ, Matrimonium. Quod secus de jure Ecclesiastico.

68 Quæ requirantur, ut metus jure Ecclesiastico, nuptias dirimat?

69 Metus gravis, facit, Matrimonium, jure naturæ, rescindi posse.

70 In statu merè naturali, si deficeret superior, ipsemet, qui ex gravi metu contraxit, Matrimonium rumpere posset.

71 Occurritur scrupulo.

72 Matrimonium inter fideles validè contractum, nec per Adulterium compartis; nec per malitiosam alterius desertionem; neque per ullum crimen, dissolvi potest.

73 Detegitur Protestantium error, in hoc puncto.

74 Jure naturæ, viro competit quædam superioritas & potestas saltem directiva in uxorem.

75 Respondetur ad opposita.

76 Post Evæ peccatum, mulier jure Divino, subest marito, quò ad potestatem etiam coäctivam.

77 Quæ tamen non est despotica, sed domestica & civilis.

78 Natura præcipuam potestatem in liberos, & familiam regundam, dedit Patri.

79 Exercitium tamen hujus potestatis, ex speciali pacto, posset competere Matri.

80 Cæteroquin præferendum est patris imperium.

81 Hobbesius, ex cerebrinis rationibus, Matri præcipuam, de jure naturæ, adscripsit potestatem in liberos.

82 Patria potestas, quid importet de jure naturæ?

83 Quousque se extendat in personas liberorum?

84 Patri non competit jus vitæ & necis in proles etiam gravissimè delinquentes.

85 Perimuntur objectiones.

86 Pater non valens filium alere, eundem alteri oppignorare, imò & vendere potest.

87 Origo patriæ potestatis, prout de jure naturæ suo modo communis est; desumitur à fine, nempe: ab obligatione liberos debitè educandi.

88 Status familiæ paternæ quid sit?

89 Patria potestas, qua ratione sit juris naturæ & Gentium; itidem & juris Civilis?

90 Plurimi effectus, quos jus Civile patriæ potestati attribuit, fundantur in jure naturali.

91 Quid sit status herilis?

92 Servitus, alia pactitia, alia legalis, seu coacta.

93 Origo & causa servitutis propriè dictæ.

94 Servitutis pactitiæ occasio & causa proxima.

95 Status herilis, est juris naturalis permissivi.

96 Quid herus possit vel non, in servos tum pactitios, tum coactos?

1 

Er Statum hominum in genere intelligimus certam hominum conditionem, seu vivendi rationem; quæ, si à sola natura ac independenter à facto aliquo libertatis congenitæ restrictivo proficiscatur; vocatur *Status naturalis*: Si verò homini ex facto quopiam sive proprio sive alieno, libertatis nativæ limitativo, proveniat; Status *adventitius* nuncupatur. Sic homo dicitur esse in Statu naturali constitutus, si sibi soli viveret, nec alteri, præterquam soli Deo, ùt authori naturæ subjectus esset: si verò sive sua sponte, per factum aliquod proprium, sese alteri dedat, subjiciat, mancipet; sive per alterius factum, ad deditionem, subjectionem, mancipatúmve cogatur; dicitur esse in Statu adventitio, quatenus tali ratione, præpeditam sentit nativam libertatem. Unde Status hominis adventitius bene describitur, quòd sit: *conditio hominis, per factum sive proprium sive alienum, ad certa quædam officia & inde pullulantia jura, determinati.*

2. Ex quo resultat, quòd Status adventitius non reperiatur extra societatem, quæ velut una persona *moralis* consideranda, quatenus plures unanimiter in eundem finem conspirantes, eadem media assumunt, ad finem istum consequendum.

3. Cùm autem fines admodùm diversi esse possint: patet; societates varias esse posse, sociósque, ad varia officia & jura obstrictos posse censeri.

4. Cæterum inter varii generis societates, prima conspicitur *conjugalis* seu *domestica*, quæ est *simplex*, ex aliis minoribus non composita, ad distinctionem alterius, quæ ex aliis minoribus consurgit, cujusmodi est civitas aut Respublica.

5. Status itaque conjugalis, ordine & dignitate primus, spectato præcisè jure naturæ, intelligitur esse *societas simplex* personarum diversi sexûs, sobolis ritè procreandæ educandæque causâ, inita.

6. Hunc Statum esse à Deo tanquam Authore naturæ institutum, adeóque jure naturali, quàm maximè licitum; nemo Christianorum dubitare potest, & ratio sana dictat; speciem humanam propagari haud debuisse per vagos dissolutósque concubitus, sed per legitimam maris & fœminæ conjunctionem, sine qua, nec societas domestica, nec Status familiæ subsistere potest.

7. Statum conjugalem non quidem singulis omnino hominibus, multiplicato sat humano genere, sed universitati tantùm hominum, esse jure naturæ præceptum; Theologi concorditer tradunt cum *D. Thoma 2. 2. quæst. 152. art. 2. ad 1.* ubi sic scribit: *Præceptum* Genesis: *multiplicamini &c. non respicit singulos, sed multitudinem hominum, quam necessarium est, non solùm multiplicari corporaliter, sed etiam proficere spiritualiter. Quocirca satis providetur humanæ multitudini, si quidam generationi carnali operam dent, quidam contemplationi Divinorum vacent, ad totius humani generis pulchritudinem ac salutem.*

8. Quòd, spectato jure Divino, Status conjugalis, à mundi incunabulis, importaverit pactum, seu vinculum perpetuum, respectu omnium hominum etiam paganorum, adeóque contractus temporarius, nunquam fuerit verè matrimonialis, sive licitus sive validus; colligitur ex *Genes. 2. ỳ. 24. Relinquit homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo*

in

in carne una. & *Matth*. 19. ℣. 8. *Ab initio autem non fuit sic. Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Unde *Concilium Tridentinum*, *sess*. 24. *De Matrim*. dicit: Matrimonii perpetuum indissolubilémque nexum, primus humani generis parens, Divini Spiritûs instinctu pronuntiavit, cùm dixit: *hoc nunc os &c*.

9. Qua ratione Deus, propter duritiam cordis, in hoc præcepto, per Moysen olim dispensaverit cum Judæis, ut uxoribus suis dare possent *libellum repudii*, & qualiter Christus hanc repudiandi licentiam abrogârit, matrimoniúmque primævæ suæ indissolubilitati restituerit; expositum in *Prolegomenis*, *n*. 38. Alibi quoque dictum, quòd Matrimonium consummatum, quod apud Christianos, Sacramenti rationem habet, nullo casu, nisi mortis, apud ipsos sit dissolubile.

10. Quæstio tamen superest, num Status conjugalis, inspecto præcisè jure naturæ, importet vinculum perpetuum ac indissolubile? *Affirmant* nedum magni nominis Theologi & Canonistæ, sed & ex Protestantium scholis, ipse *Puffendorf. De Officio hominis & civis lib*. 2. *cap*. 2. §. 6. item *lib*. 6. *De jure N. & G. cap*. 1. & *Heineccius. in Elem. lib*. 2. *cap*. 2. §. 449. cum *Kemmerichio in Element. lib*. 2. *cap*. 2. §. 4. Rationem dant: quòd Status conjugalis, spectato etiam solo jure naturæ, fulciri debeat contractu non qualicunque, sed, qui de se conducat ad Status istius finem tum primarium, tum secundarium: jam verò contractus temporarius & mutuo consensu dissolubilis, ad neutrum istius statûs finem de se conducit; non quidem ad *primarium*; qui non solùm est generatio, sed congrua educatio prolis, non per aliquod tempus, sed per totum ejus vitam, à parentibus fieri debita, ùt tradit *D. Thomas in* 4. *Dist*. 33. *q*. 2. *art*. 1. *in Corpore*. ubi insuper dicit, de lege naturæ esse: *quòd parentes filiis thesaurizent*, *& filii parentum hæredes sint*. Quomodò enim finis iste obtineri posset, si fœmina nunc uni, nunc alteri nubere, aut vir, mox uni, mox alteri se jungere posset uxori. Quomodò inquam sat certa proles? quis etiam amor parentum erga liberos? & quo pacto, hujusmodi conjugia differrent à vago concubitu, qui etiam non respuit omnem conventionem? sed nec finis *secundarius*, qui consistit in mutuo subsidio, solatio atque auxilio in rebus domesticis, obtineri posset, si conjuges pro lubitu ab invicem discedere possent, aut ad certum solùm tempus, nuptias contrahere valerent.

11. Ob prætactam rationem, Classici Authores tradiderunt: Matrimonium *consummatum*, esse prorsus jure Naturalì indissolubile: quia tamen hanc quæstionem cum *Sanchezio* penitiùs & limatiùs considerârunt, tandem concludere & fateri debuerunt, quòd omnimoda indissolubilitas non competat Matrimonio consummato, ex jure naturæ, sed ex lege Divina *positiva*, quam Christus innovavit, elevando insuper Matrimonium ad rationem Sacramenti, & statuendo: ut repræsentaret indissolubilem suî cum Ecclesia unionem. Unde quando *D. Thomas in* 4. *Dist*. 33. *q*. 2. *art*. 1. & *alibi*, quandam, de jure naturæ, tribuis indissolubilitatem Matrimonio; non est intelligendus de jure naturæ, *in sensu rigoroso*, sed de convenientia magna cum ratione naturali. Quomodò enim cæteroquin in veteri lege, dispensatum fuisset cum Judæis, ut repudiare potuissent uxores, & alias superinducere; cùm in jure naturæ propriè dicto, nulla dari possit dispensatio? *Adde*: quòd & in nova lege, unus infidelium conjugum conversorum, possit ad alia vota transire, seu novas nuptias

ptias

ptias contrahere, si alter nolit ex infidelitate converti, nec converso cohabitare absque contumelia Creatoris: quòd fieri non posset; si Matrimonium, de jure naturæ, foret penitus indissolubile. Ad hoc Argumentum quidem alias respondimus; quòd in concursu duorum præceptorum naturalium, ubi nempe utrumque servari non potest, illud præponderare & observari debeat, quod magìs stringit & fortiùs obligat, quale est illud, de non toleranda contumelia Creatoris & Salvatoris, déque non subeundo periculo perversionis; nihilominus, si Matrimonii vinculum, jure solo naturæ, foret prorsus indissolubile; potiùs dici deberet: quòd in casu posito, solùm absolveretur neò conversus ab obligatione cohabitandi alteri nolenti converti, aut Salvatorem blasphemanti; aut: quòd manente vinculo prioris Matrimonii, dispensetur cum converso, ut possit esse *bigamus*.

12. Quidquid sit; *absolutè* loquendo, non videtur Matrimonii *primario* & *essentiali fini* repugnare solubilitas, mutuo consensu, facienda. Si enim v.g. ad decem annos, nuptiæ contraherentur, aut: post viginti annos, mutuo consensu dissolverentur; prolibúsque interea natis & bene educatis, utrimque convenienter prospiceretur; quid obstare posset fini primario Matrimonii, qui est prolis generatio & debita educatio? Quinimò (verba sunt *Card. Bellarmini lib.* 1. *de Matrim. cap.* 4) *Si consideremus Matrimonium, ùt est officium naturæ, ad propagandam sobolem; ægrè potest reddi ratio; cur ob sterilitatem conjugii, non liceat eam dimittere & aliam ducere? Si Matrimonium consideres, ùt est remedium fornicationis; cur non poterit uxor, perpetuo morbo laborans, dimitti? aut, cur sobole ritè educatâ, non poterit alia duci?* Videtur quidem Doctor *Angelicus* loco supra cit. curam parentum, circa prolium educationem, extendere ad totam earundem vitam; ast id de naturali & stricta obligatione intelligi nequit, cùm proles ad pubertatem & ultra, educatæ, sibi prospicere possint; & de jure Civili, proles emancipatæ, sui juris reputentur, nec subsint Patriæ potestati. Porrò, licèt mutuum subsidium, solatiúmque ex cohabitatione perpetua resultare natum, arguat, naturali rationi consentaneum esse, ut vinculum Matrimonii sit perpetuum; attamen non probat absolutam necessitatem naturæ Matrimonii simpliciter propriam, de qua hîc sermo.

Huc facit, quòd, sicut dictum, *Divus P. Augustinus*, *Doctor Angelicus*, & alii Doctores Classici, Matrimonii indissolubilitatem perpetuò referant ad unionem Christi cum Ecclesia. Audiamus *Augustinum*! *Hujus* (inquit *lib.* 1 *De nupt. cap.* 10) *Procul dubio Sacramenti res est, ut mas & fœmina connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent.* Unde *Innocentius III. cap. Quanto. De divortiis.* Matrimonium fidelium, indissolubile dicit, *quia est Sacramentum*, non item infidelium; quia non est *ratum*, seu Sacramentum. Ergo supponunt SS. Patres & Doctores; quòd Matrimonium de jure naturæ, seu in ratione contractûs merè naturalis, tam arctam non importet indissolubilitatem, Præterquàm, quòd & Matrimonium fidelium *ratum*, etsi sit Sacramentum; equidem per Professionem religiosam, vinculotenus dissolvatur; ùt testatur Ecclesiæ traditio, & juris Canonici dispositio.

13. Profectò; si contractus Matrimonialis ex natura sua, seu naturali jure, foret perpetuus; præstantissimi juris Consulti; *Paulus*, *Caius* & alii, haud existimâssent; licitè servatis servandis, posse repudiari uxores. Confer *l.* 1. 2. *& fin. ff. De divortiis.* Neque idem arbitrati fuissent: *Plato*, *Cato*, *Cicero* & alii, de quibus

bus meminit *Divus P. Augustinus lib. de bono Conjugii. cap.* 18. Quin etiam Christo indissolubilitatem Matrimonii restaurante, dicendo: *Qui aliam duxerit, mœchatur*, haud scandalizati fuissent Judæi; quasi de re nova & inaudita, regerentes: *Si ita est, non expedit nubere.* Si enim jure Naturæ, id fuisset notum; non fuissent per Christi Sermonem scandalizati, seu admirati.

14. Nec attendi meretur, quòd concessâ licentiâ, mutuo consensu nuptias dissolvendi, familiæ perturbentur, & in Republica nascatur confusio. Non enim hic consideramus societatem conjugalem, prout reperitur in statu Civili, & bonam respicit civitatis politiam; sed, prout is Status se habet, *secundùm se*, præscindendo à legibus civilibus & politicis: hoc autem modo consideratus, non importat vinculum indispensabiliter perpetuum, cùm per vinculum etiam mere temporale & simpliciter solubile, sufficienter tamen accommodatum educationi prolis, satis præcaveri possit fini primario & essentiali Matrimonii.

15. Solùm ergo evincitur, quòd indissolubilitas vinculi conjugalis, sit valde consentanea rationi naturali, quia non apparet medium aptius coërcendi vagam libidinem, veram fovendi amicitiam, salutémque liberorum promovendi; quàm conjugium ad dies vitæ initum; quæ tamen omnia, jus naturæ *Præceptivum* non evincunt, cùm non omne, quod est rationi consonum, sit juris naturæ *præceptivi*, ùt patet in cœlibatu, & operibus consilii.

16. Ob hanc tamen majorem convenientiam cum ratione naturali, ad societatem bene ordinatam inclinante, pleræque Gentes saltem *moratiores*, Matrimonii contractum censuerunt esse perpetuum, saltem ita, ut privatâ authoritate, & ob quamvis causam, pro libitu, illum rumpere non fuerit concessum.

17. Quod jure Divino, à mundi primordiis, status conjugalis respectu omnium hominum etiam Gentilium, importaverit vinculum duorum, exclusivum omnis *polygamiæ*, sive *licitæ* sive *validæ*; quódque Deus ad multiplicandum populum fidelem, post Diluvium, dispensaverit cum Patriarchis, ut simul plures habere possent uxores; alibi pluries probatum. Nemo etiam ignorat, quòd Christus in nova lege, Polygamiam abrogaverit, ut meritò Concilium *Tridentinum* anathematizaverit eos, qui dixerint: licere Christiano plures habere uxores, neque id lege Divinâ fore prohibitum.

18. Disputatur tamen, an *Polygamia* sit ipsomet jure naturæ prohibita? Id quod nedum multi ex Catholicis, tum Canonistis, tum Theologis contendunt, & ex *Protestantibus*, *Heineccius* & *Vitriarius* probare nituntur, contra *Lutherum* & *Anabaptistas*. Fundamentum ipsorum est; quòd pluralitas uxorum, videatur officere generationi prolis, viro fœcunditatem suam enervante, dum pluribus adhæret uxoribus: videatur etiam obesse debitæ prolis educationi; dum sic affectus patris, divideretur in filios diversarum matrum plus vel minus dilectarum: Videatur porrò etiam repugnare mutuæ traditioni corporum, quæ debet utrimque fieri *in solidum*: id quod stante uxorum pluralitate, fieri non posset; etsi enim quælibet uxor totum corpus suum traderet marito; non hic tamen reciprocè traderet uxoribus, ùt patet. Quò facit; quòd tale conjugium, non esset remedium concupiscentiæ respectu plurium uxorum, quarum quælibet simul, voto suo potiri non posset. Prætérquàm; quòd ex diversarum mulierum indole, vix sperari possit pacifica familiæ gubernatio, multò minus mutuum subsidium & solatium, ùt liquet exemplis sacræ Scripturæ, de *Agar* & *Sara*, de *Rachele* & *Lia*.

19.

19. Verosimiliùs tamen est, ***Polygamiam*** spectato solo naturæ jure, nec esse, neque fuisse vetitam; & ita post ***Durandum***, ***Gersonium***, ***Cajetanum***, ***Abulensem***, ***Medinam***, ***Scotum*** & alios, quos citat ***Sanchez** lib. 7. de Matrimonio. Disp.* 80. ***n.*** 8. novissimè ***P. Ignatius Schwartz** Instit. juris publici. part.* 2. *tit.* 1. *pag. mihi.* 8.

Nec plenè probat contrarium, discursus præmissus. Nam generationi & educationi prolis tantum abest, ut repugnet uxorum pluralitas; ut per se loquendo, generis humani propagationi etiam aptior videri posset, cùm vir unus teste ***D. Thoma** in* 4. *Dist.* 33. *q.* 1. *art* 1. sufficiat pluribus uxoribus fæcundandis & educandis filiis, ex eis, natis. Nisi enim ad id sufficeret vir unus, Deus post diluvium non dispensâsset cum Patriarchis circa Polygamiam. Quòd si reprehendatur ***Salomon*** ob uxorum pluralitatem; non reprehenditur ob aliam rationem; quàm, quia nimium indulsit libidini, assumendo nimiam fœminarum alienigenarum & idololatriæ addictarum, multitudinem. Cæterum, licet reciprocum & utrimque æquale pactum conjugale de tradendo usu corporis ***in solidum***, primario fini Matrimonii maximè conveniat; non tamen probatur, esse simpliciter necessarium; cùm pactum inæquale respectu conjugis, absolutè sufficiat ad generationem prolis certam, ejúsque debitam educationem. Si enim uxor eatenus possit juri suo cedere, ut cum ejus consensu, maritus possit amplecti professionem religiosam, & vovere castitatem; cur non poterit, juri suo cedere ex parte, permittendo; ut maritus superinducat concubinam, aut uxorem alteram, id quod ***Rachel*** & ***Lia***, ***Jacobo*** persuaserunt. ***Genes.*** 30. ℣. 3. & 9. Quinimò, si attendatur finis etiam primarius; docente ***D. Thoma.** loc. cit. art.* 1. *ad* 6. Vir non tenetur debitum reddere uxori quotiescunque petit, sed quantum sufficit ad concipiendum. Et licet uxor, in casu, quo consortes habuerit, non possit pro libitu, uti concupiscentiæ remedio; sufficit tamen, quòd interdum, quantum vires mariti ferunt, & occasio permittit; illo remedio frui possit. Denique uxorum pluralitas non officit tranquillæ conjugum cohabitationi *per se*, sed solùm *per accidens*, ex malitia conjugum. Neque gubernationi domesticæ, per se incommodat, cùm hæc principaliter dependeat à viro, cujus est officia inter uxores distribuere, ut omnia ordinatè gerantur. Unde Teste *Bellarmino lib.* 1. *de Matrim. cap.* 11. Hebræi & Gentiles, duo genera uxorum habebant; quædam enim ductæ erant & ad procreandos liberos, & ad totius domûs gubernationem, quæ uxorum nomine honorabantur, & quarum filii, hæreditatem Patris consequebantur: aliæ autem ad solos liberos procreandos assumebantur, & concubinæ vocitabantur, qua de re, noster *Basilius Pontius. lib.* 7. *De Matrim. cap.* 28. præprimis legi meretur.

20. Aliud, communi calculo, statuunt Doctores, tam *Protestantes*, quàm Romano-Catholici, de *Polyandria*, seu virorum pluralitate simultanea, respectu unius fœminæ; siquidem per *Polyandriam* seu *Polyviriam*, regulariter intendi aut promoveri nequit propagatio generis humani: tum quia mulier non nisi semel quot annis parere potest, uno viro ad hujusmodi fœcunditatem sufficiente; tum quia per virorum pluralitatem, potiùs impeditur generatio prolis & hebetatur mulieris fœcunditas, ùt patet in meretricibus: Tum denique; quia ex congressu plurium virorum cum una muliere, proles redditur incerta ex parte patris, & educatio ejus consequenter negligi nata est. Quibus incommodis accedit, quòd divi-

ſo plurium maritorum imperio, uxor in bivio hæreret, cui maritorum obſecundare deberet.

21. Quid (inquies) ſi primus maritus impotens aut ſterilis foret? Quid, ſi per pactum ſpeciale, Matrimonii uſus non eſſet conceſſus, niſi ſucceſſivè in annos ſingulos? Quid denique, ſi non niſi una in mundo ſuperſtes foret fœmina viro ſterili juncta?

Ad 1*mum Reſp.* Impotentiam coëundi antecedentem, ſeu perpetuam, jure naturæ dirimere Matrimonium; adeóque mulierem, probatâ viri impotentiâ, alteri nubere poſſe; quod ſecus eſt de ſterilitate non conjuncta cum coëundi impotentia. Vide prælaudatum noſtrum *Pontium lib. 7. cap. 49. & 50. per tot.* Ad 2*dum Reſp.* Quòd poſito hujuſmodi pacto, nec certitudini prolis, neque ejus educationi ſatis proſpectum eſſet, nec etiam alia ceſſarent incommoda ſocietati conjugali repugnantia. Ad 3*tium Reſp.* Tali caſu, præſumi debere mundi interitum, proinde & ceſſare obligationem propagandi generis humani; aut ſaltem ſterilitatem mariti, fore impedimentum *dirimens*, bono, conſervandi generis humani, prævalente.

22. Unde ſat enormiter hallucinatus eſt *Sanchez*, dum *loc. ſupra cit. n. 15.* cenſuit Polyandriam, ſaltem Deo diſpenſante, poſſe eſſe licitam. Cùm enim ſanæ adverſetur rationi, & primis repugnet naturæ principiis; patulum eſt, Deum hac in re diſpenſare non poſſe.

23. Quòd, ſi *Stoïci* unà cum *Platone* dicantur uxorum admiſiſſe communionem, eámque *ſophis* propriam judicaverint; quatenus hoc pacto, omnes *Patrum inſtar*, æquâ charitate ſobolem amarent, tollerentque mulierum Zelotypiam: ſi etiam *Spartani* cum *Lycurgo* & *Solone*, in eam rem conſenſerint; certè id admiſerunt & ſtatuerunt, quod patentiſſimam ſapit turpitudinem & morum corruptelam, prout ingenuè hoc in paſſu, fatetur *Puffendorf. De offic. hom. & civis. lib. 2. cap. 2. §. 6. & lib. 6. De J. N. & G. cap. 1.*

24. Ex dictis Colliges, quòd, licet *Polygamia* ſecundùm ſe, non ſit juri naturæ adverſa; ipſa tamen uxorum pluralitas, ſolius libidinis causâ, aut ultra vires generationi neceſſarias, item ultra facultatem educandi & alendi proles, ſemper fuerit illicita & juri naturæ diſſona. Dum enim Sancti Patres exculpant veteres Patriarchas, qui pluralitate uxorum uſi ſunt; ajunt; hos non libidinis, ſed multiplicandæ ſobolis ratione, & quidem Deo in primævo præcepto ſuo diſpenſante, inductos fuiſſe.

25 Quinimò *Bellarminus lib. 1. de Matrim. cap. 4. ſub finem*, probabile cenſet, diſpenſationem hanc, ante Chriſti adventum, jam ceſsâſſe; tum quia pro tunc ceſſabat *cauſa finalis* diſpenſationis, paucitas ſcilicet hominum; cui argumento eſt, quòd *S. Zacharias* ſterilem habens uxorem, hoc remedio nequaquam fuerit uſus, ùt liquet ex *cap. 1. Lucæ.* Tum quia ſub Chriſti adventum, tam Romani, quàm Judæi, à Polygamia abſtinebant, ſicut nec modo inter Gentes, quæ fidem Chriſti non colunt, amplius frequentatur, ſi ſpurciſſimos Mahumetanos exceperis. Unde Doctores etiam Acatholici cum *Puffendorfio* fatentur, *Monogamiam* eſſe jure Gentium probatam.

26. Si Petas: Num diſpenſatio divinitus indulta Patriarchis & Hebræis, ad alios Gentiles & infideles veteris legis, prorogata fuerit? *Reſp.* Etſi multi velint reſpectu infidelium, perſeverâſſe primævum Dei præceptum, veroſimiliùs tamen cenſuit *S. P. Auguſtinus lib. 16. De Civit. Dei cap. 38.* & *lib. 3. De doctrina Chriſtiana. cap. 12.* item: *lib. 22. Contra Fauſtum*

Faustum. ***cap.*** 47. Dei dispensationem, ad ipsos infideles fuisse prorogatam, idque ex eadem ratione propagandi generis humani. ***Divus P. Augustinus,*** *locis citatis*, sententiam suam inde probat: quòd in terra, ubi ***Jacob*** quatuor duxit uxores, inculpabilis consuetudo fuerit plures habendi uxores: terra autem illa non Judæorum, sed Gentilium erat. Unde cum nullibi in Sacra Scriptura; Gentiles ob pluralitatem uxorum, reprehendantur; rectè intulit ***Augustinus***, illo tempore, nullam extitisse legem prohibentem, & generatim dixit: *quando mos erat* (scilicet habendi plures uxores) *crimen non erat*.

27. Hîc incidenter Quæri posset; num Hebræis in veteri lege, definitus fuerit uxorum numerus? Ita volunt Judæorum ***Rabbini*** apud Abulensem, in ***lib.*** 3. ***Reg. cap.*** 12. ubi ***quæst.*** 5. refert: Hebræos credere; Regibus ipsorum licuisse, tantùm octodecim habere uxores, exemplo ***Davidis***, qui tot tantum habuit, & contrario ***Salomonis*** exemplo, qui 3. ***Reg. cap.*** 11. ob nimiam uxorum multitudinem, reprehensus legitur, siquidem ***Deuteron. cap.*** 17. ibi: ***Rex non habebit uxores plurimas.*** Verius tamen est, Hebræis aut respectivè Gentilibus, nullum præscriptum fuisse uxorum numerum, sive per legem, sive per consuetudinem, prout colligitur ex 2. ***Paralip*** 11. ubi non reprehenditur ***Roboam***, quòd præter uxores decem & octo, habuerit concubinas sexaginta, ùt observat ibidem ***Abulensis***, ***quæst.*** 24. & 25. Unde textus ***Deuteronomii*** capiendus est de uxoribus alienigenis, aut de tanta uxorum pluralitate, ut cæteris non relinqueretur occasio uxores accipiendi. Peccatum igitur ***Salomonis*** non in eo positum erat, quòd plurimas uxores adamaverit; sed quòd alienæ religionis fœminis, nempe superstitioni & idololatriæ deditis, contra legem Divinam Hebræis datam, junctus fuerit; ùt post ***Pinedam***, ***lib.*** 7. ***De rebus Salomonis. cap.*** 4. ***n.*** 6. docet noster ***Pontius De Matrim. lib.*** 7. ***cap.*** 17. ***n.*** 5.

28. Porrò, cùm Christus abrogatâ Polygamiâ, Matrimonium reduxerit ad Statum primævum; certum est, quòd nedum fidelibus, sed & infidelibus, Polygamia modò sit prorsus prohibita, ut meritò ***Abulensis*** & ***Verracruzius***, (qui docuerunt, etiamnum infidelibus Polygamiam fore permissam) à ***Vasquezio***, erroris arguantur. Quanquam enim Polygamiam, juri naturali haud absolutè adversam diximus; innegabile tamen est, quòd in veteris legis primitivo Statu, jure Divino fuerit prohibita, & prohibitio isthæc, per Filium Dei incarnatum, restaurata sit, adeóque cunctis mortalibus vetita dignoscatur. Hîc libet examinare: quænam sint impedimenta jure ***naturæ***, adeóque & ***Gentium***, nuptias ***dirimentia***, de iis enim, quæ jure duntaxat Ecclesiastico, ***nullitatem***, vel prohibitionem important; Theologis agendum relinquimus.

29. Prima hîc ***Quæstio*** occurrit de Consanguinitate, & indagandum: An, & quousque, in linea tum ***recta*** tum ***obliqua***, sanguinis propinquitas, ***jure naturæ***, nuptias dirimat? Loquendo in primis de linea ***recta***; video; Doctores etiam probè Catholicos, in diversas ivisse sententias. ***Dominicus Soto*** enim ***in*** 4. ***dist.*** 40. ***art.*** 3. censet: primo & secundo duntaxat gradu, nuptias, naturali jure, fore irritas. ***Angelus*** verò ***Verb. Matrimonii impedimenta.*** cum aliis, ultra quartum quidem gradum hoc impedimentum prorogat; non tamen ultra vigesimum. ***Covarruvias*** longiùs illud extendit ad decimum nempe gradum. Noster ***Basilius Pontius***, ***de Matrim. lib.*** 7. ***cap.*** 31. ***n.*** 3. existimat nullam posse solidam afferri rationem, cur ad decem aut viginti gradus, aut in infinitum, hoc

impedimentum extendatur, cùm ultra ſeptimum gradum, imò multò antea, non agnoſcatur parentela, ut ideo Concilia impedimentum iſthoc ad ſeptimum tantum gradum extenderint. Pro reſolutione

30. Dico 1*mò*. Matrimonium, in primo conſanguinitatis gradu lineæ *rectæ*, puta Patris cum filia, aut filii cum matre, eſt jure naturæ, nedum illicitum, ſed & irritum. Ita Theologi & Canoniſtæ ad unum omnes, quibus conſonant juris civilis interpretes, contra inſaniam *Thomaſii*, qui in ſua, ita dicta *juriſprudentia Divina. lib. 3. cap. 2. n.* 246. Vult Matrimonium Patris cum filia, aut Matris cum filio, juri naturæ haud repugnare, adeóque illo jure, fore *validum*, imò, *licitum*.

Ratio aſſerti noſtri eſt 1. Quia ùt ait *Alexander Alenſis. 3. p. quæſt. 36. n. 6.* confunderetur ordo naturæ; cùm principia generationis, fierent generationis comites. 2. Quia, ùt bene arguit *Grotius, de J. B. & P. lib. 2. cap. 5. §. 12. n. 2.* Nec maritus, qui ſuperior eſt lege Matrimonii, eam reverentiam poteſt præſtare Matri, quam natura exigit, nec patri filia, quæ licet inferior maneret in matrimonio, inde tamen talem contraheret ſocietatem, quæ illius neceſſitudinis reverentiam excluderet. Unde *Paulus Juriſconſultus*, cùm in *l. Adoptivus. 14. §. Serviles. 3. ff. de Ritu Nupt.* dixiſſet: in nuptiis contrahendis, naturale jus & pudorem inſpiciendum eſſe; ſubjunxit: contra pudorem eſſe; ut quis filiam ſuam, ducat uxorem. Talia igitur conjugia indubitanter, nedum illicita, ſed & inſuper irrita ſunt; quia vitium perpetuò effectui adhæret.

Declaratur utraque hæc ratio. Familiaritas conjugalis in matrimonio Patris cum Filia, elidit authoritatem patris & obſervantiam filiæ; pudor quoque actûs conjugalis, repugnat reverentiæ liberorum erga parentes: & cùm mater jure naturæ, æqualem, aut ſaltem non multò inferiorem habeat poteſtatem in liberos ac pater; utique in conjugio matris cum filio, ordo ille ſubjectionis, quem natura induxit, ſubverteretur: ſiquidem, mater fieret ſubdita filio marito, tanquam capiti. Adde: quòd natus ex filia, eſſet filius & nepos reſpectu matris; reſpectu Patris verò, filius & ſimul frater. Unde in tali conjugio confunderentur jura, obligationes, ac officia, uxoris & matris; patris & mariti; patris & fratris; matris & ſororis.

31. Nec attendi meretur *Diogenis* & *Chryſippi* argumentum à Gallis gallinaceis, aliiſque mutis animantibus petitum, quo probare volebant, teſte *Grotio*, quòd commixtiones tales non eſſent contra jus naturæ. Non enim jus naturale hominibus proprium, metiendum eſt ex indole bruti alicujus animalis.

Nec etiam obeſt, quòd atteſtante *D. P. Auguſtino. quæſt. 61. in Levit.* & *D. Hieronymo lib. 2. contra Jovinianum.* Indi, Æthiopes, Medi, item Perſæ & & Parthi, eiuſmodi nuptiis ſeſe conſpurcaverint. ſiquidem *naturale* rectè dicitur; Interprete *Michaele Epheſio. ad Nicomachia. quod apud pleroſque, non corruptos, ſed naturæ convenienter ſe habentes, obtinet.* Proinde, quò ad hoc, Gentes illæ, pro maximè barbaris & inhumanis, habitæ fuerunt; ita, ut *Hippodamus Pythagoricus*, hujuſmodi nuptias, *immoderatas & à natura alienas cupiditates, effrenes impetus, nefaridſque voluptates*, dixerit. Atque inde [inquit *Grotius loc. cit.*] mirari libet *Socratis* commentum apud *Xenophontem*, qui in conjugibus talibus, nihil culpandum invénit, præter ætatis diſparitatem; unde, aut ſterilitatem ait ſequi, aut malè conformatam ſobolem. Si enim hæc ſola ratio tali conjugio obſtaret; non magis

gis esset illicitum & irritum, quàm inter alias personas, quarum ætas tot annis distat, quot annis, parentes liberos solent præcedere; inter quas tamen non habitâ ætatis differentiâ, nuptiæ nedum validè, sed &, per se loquendo, licitè ineuntur.

32. Igitur omnes Gentes, quæ non prorsus obbrutuerunt, ab hujusmodi connubiis abstinuêre: & *Aristoteles. lib.* 2. *politic.* reprehendit conjunctionem parentum & liberorum, tanquam naturæ ordini repugnantem, cùm & nonnullæ belluæ, ab hujusmodi congressu, abhorreant, prout ipse de Camelis & equis, refert. *lib.* 9. *Historiæ animalium. cap.* 46. & *Plinius lib.* 8. *Natural. Histor. cap.* 42. ut meritò *D. Ambrosius. Epist.* 66. dixerit: Matrimonium parentis cum filia, *repugnare legi naturæ, scriptæ in cordibus hominum, omnibúsque horribilem* & *turpem videri congressum illum.* Quò facit communis sensus & usus sophorum etiam gentilium; & quòd in hujusmodi conjugio, nunquam fuerit dispensatum, etiam cum Barbaris, ad lumen evangelicæ veritatis, conversis.

33. Dices 1*mò*. Pater & filia sunt diversa supposita, habéntque à natura, sui corporis potestatem, & sunt ad generandum idonei: ergo non prohibentur à natura nuptias contrahere. *Resp. Dist.* 1*mam part. Antecedentis.* Sunt diversa supposita, in sensu *physico. C.* in sensu *morali*, seu *Ethicè* loquendo. *N.* Moraliter enim loquendo (cùm filia sit pars patris, ex ejus lumbis quasi extracta) censetur esse eadem persona cum Patre. Similiter *Dist.* 2. *partem.* Habent à natura, sui corporis potestatem respectu cujuscunque *N.* respectu illorum, in quibus non obstat naturalis pudor, & ratio principii & principiati *C.* Ad 3. *p.* quoque *Resp. Dist.* sunt ad generandum idonei *physicè* & ad instar animalis irrationalis. *C. Moraliter* & spectatis principiis moralitatis, ac ad instar animalis rationalis. *N.* Ratio enim naturalis homini indita, horrorem talis concubitûs ingerit.

Dices 2*dò*. Potest maritus, Rex, Princeps, aut quis alia dignitate fulgens, ducere plebejam, contrahendo Matrimonium ad *Morgenaticam*, ea scilicet conditione, ut mulier sit contenta certâ bonorum portione, & abstineat à titulo dignitatis marito competentis, nec prolibus ejus sit idem jus, quod alioquin filiisfamilias competit; & nihilominus, non obstante vilitate conditionis & subjectionis ex parte uxoris, valet Matrimonium. Ergo etiam non obstante subjectione & reverentiâ, in filia respectu patris, valebit connubium inter ipsos. *Resp. Neg. conseq.* Disparitas est: quòd in priore casu, subjectio & reverentia sit merè accidentalis, extrinseca & extraordinaria, adeóque jure naturæ haud attendenda, & remissibilis aliunde, quantum ad usum conjugii, qui privatim exercetur; écontra autem, subjectio & reverentia filiæ respectu patris, sit substantialis, intrinseca, ordinaria & irremissibilis.

Replicabis. Potest filia esse æqualis Patri in contractu emptionis-venditionis. Ergo etiam in contractu matrimonii. *Resp. Neg. conseq.* Disparitas est: quòd prior contractus non obliget contrahentes ad actionem, à qua natura abhorret, sicut obligat posterior.

Urgebis. Si solus superstes foret pater cum filia, vel mater cum filio, tunc tale matrimonium jure naturæ, nedum validum sed & licitum, imò obligatorium foret, ob bonum conservandi generis humani, quod tali casu fortissime obligaret. Ergo & extra hunc casum, saltem validum erit jure naturæ; aut saltem hujusmodi conjunctio, non ita reputari debet intrinsecè mala, ut nullo fine, honesta red-

reddi posset. Quamvis enim turpis sit; occurrere tamen posset præceptum urgentius & efficacius, quo absque ulla dispensatione, cesset obligatio non contrahendi ea conjugia, ùt: si deficeret genus humanum, ùt contigit in primi ævi Matrimoniis: quæ existimatio, licet tempore illo non sat prudens, peccatum filiarum *Loth* aliquantulum excusavit: crediderunt enim perire genus humanum, atque ideo licere sibi à Parente posteritatem accipere. Ita discurrit noster *Basilius Pontius loc. cit. n. 5.* ubi subjungit, se non invenire firmum aliquod argumentum, quod ostendat hanc conjunctionem, jure naturali, fore *nullam*, cùm non opponatur ita clarè fini matrimonii, quod esset necessarium ad inducendam nullitatem. Verùm Resp. In tali hypothesi *metaphysica*, aut supponi debere; quòd Deus velit instare finem mundi, adeóque cessare obligationem propagandi genus humanum; aut in tali necessitatis casu, communi generis humani bono, cedere debere pudorem alioquin naturalem, qui talem conjunctionem vetat, adeóque tale matrimonium considerari tunc debere ad instar primi, quod Adam iniit Deo jubente cum Eva, quæ ad instar filiæ, de costa ejus formata erat. Hac ratione, filiæ *Loth*, in opinione sua inculpabiliter errantes, ab incestu excusari possunt, à quo cæteroquin illas non excusat *Divus P. Augustinus*. Cæterum, non bene se reflexit noster *Pontius*, dum arbitratus fuit, nullum inveniri posse argumenrum solidum, quo probetur *nullitas* hujusmodi inordinatissimæ conjunctionis, à qua, nativo instinctu etiam quædam bruta abhorrent, prout ipsemet supra retulerat ex Aristotele & Plinio.

34 Dico 2dò. Consanguinitas in linea *recta*, probabilissimè dirimit matrimonium in *infinitum*, adeò, ut, si Adam & Eva adhuc viverent, nulli descendentium nubere possent. Est contra *Sanchez lib. 7. Disp. 51. n. 19.* Item contra nostrum *Pontium loc. cit. n. 6.* Putârunt enim hi Doctores cum multis aliis, impedimentum consanguinitatis non dirimere matrimonium jure naturæ ultra primum gradum, consequenter *Papam* dispensare posse, ut Avus neptem suam ducat in uxorem. Horum opinionem recentissimè secutus est *P. Ignatius Schwartz in suis institutionibus juris publici universalis. part. 2. tit. 1. pag. mihi 16.*

Probatur nostra conclusio, quam cum *Scoto in 4. dist. 4. §. De secundo.* tenent nedum *Scotistæ*, sed & plurimi *Augustiniano-Thomistæ*. Probatur inquam ex hac ratione: quòd in omnibus lineæ *rectæ* ascendentibus & descendentibus, quantumvis remotis, reperiatur ratio principii & principiati, veréque sint & censeantur parentes & liberi, quorum hi, istis reverentiam debent & subjectionem, quæ inter conjuges, suo modo pares, locum habere non potest. Unde *l. ult. ff. de Ritu Nupt.* dicuntur *jure Gentium* (per quod JCti. jus naturæ intelligunt) *incestum committere, qui in gradu ascendentium vel descendentium uxorem duxerint.* & *l. Nuptias. eod. tit.* dicuntur nuptiæ non posse consistere *inter eas personas, quæ in numero parentum liberorúmque sunt, sive proximi* (scilicet gradûs) *sive ulterioris sint*, usque in infinitum. Quò facit; quòd nunquam legantur Pontifices, in ullo gradu lineæ rectæ, dispensâsse, licet sæpe occurrerint casus, quibus avus v. g. ex filio vel filia, neptem, pro stirpis conservatione ducere optâsset.

35 Objicies cum *P. Ignatio Schwartz.* Participatio sanguinis, seu ratio consanguinitatis, per plures & plures generationes, semper redditur debilior, sensímque deficit: Dein Avus respectu neptis ex fi-

filio vel filia, non habet rationem genitoris, sed rationem causæ applicantis genitorem, adeóque non est principium neptis, *per se*, sed merè *per accidens*, cùm hujus genitor potuerit à Deo creari, sicut *Adam*. Ergo natura non impedit tale conjugium. *Resp.* Quotocunque gradu ab invicem distent ascendentes & descendentes; semper adesse respectum *parentelæ*, seu rationem *principii* & *principiati*. Neque attendi meretur, an *per se* vel *per accidens Petrus* v. g. sit avus *Catharinæ*, semper enim verum est, quòd *Catharina* à *Petro* mediatè sanguinem participaverit eíque reverentiam debeat. Alioquin, cùm etiam per accidens sit, quòd *Catharina* sit filia *Sempronii* (potuisset enim à Deo creari) posset juxta adversarios, Patri Sempronio conjungi matrimonialiter, quod nemo dixerit. Itaque, licet in linea collaterali, ob remotiorem graduum distantiam, vix observetur sanguinis conjunctio, & ideo, jure etiam Ecclesiastico, ultra quartum gradum, non extendatur impedimentum nuptias dirimens; aliud tamen est in linea recta, ubi perpetuò adest respectus parentelæ, pudor, verecundia, imò horror innatus inter propinquos.

36. Instabis cum nostro *Pontio*. Olim impedimentum consanguinitatis non extendebatur ultra *septimum* gradum, & jam, jure novo, non egreditur gradum *quartum*; ergo signum est, quòd saltem in ulteriori gradu, consanguinitas non ponat impedimentum juris naturæ. *Resp. Dist.* jure novo, non egreditur quartum gradum in linea *transversa*. *Conc.* in linea *recta*. *Neg.* Licet autem jus Pontificium, ulterioris gradûs, in linea recta, non meminerit; inde tamen haud inferre licet, quòd parificaverit lineam rectam cum obliqua, quasi non major esset prohibitio nuptiarum inter as- & descendentes, ac collaterales; sed sensus est: quòd, sicut hisce temporibus, regulariter nemo ex genitoribus, ultra quartam vivit progeniem, ita superfluum sit, pro ulteriori gradu, exprimere nuptiarum prohibitionem inter ascendentes & descendentes.

37. Dico 3tiò. Consanguinitas in nullo gradu lineæ collateralis seu transversæ, jure naturæ, ponit impedimentum nuptias dirimens, adeo, ut hoc jure, inter fratres & sorores, Matrimonium consistere posset. Est contra *Lessium*, *Gonet* & alios tum Thomistas, tum Scotistas, qui omnes moventur textu in *cap. Gaudemus. 8. de Divortiis.* ubi Pontifex decrevit; quòd infideles conversi ad fidem, separari non debeant, si in secundo & ulteriori consanguitatis gradu existentes, antea matrimonio juncti fuerint, quia infideles legibus Ecclesiasticis non arctantur. Ex quo inferunt: quòd ideo in primo gradu conjuncti, sint separandi; eò quòd talis gradus, jure naturæ, nuptias dirimat. Hanc opinionem suam exinde confirmant, quòd *Concilium Tridentinum sess.* 24. *De reformat. Matrim. cap.* 5. statuat: *in secundo gradu consanguinitatis*, adhuc dispensari posse cum Principibus aut insignibus personis. Ex quo rursum colligunt; ideò non posse dispensari in primo gradu; eò quòd hujusmodi propinquitas, jure naturæ, impedimentum ponat. Prætereà [inquiunt cum *Reiffenstuel ad tit. Decretalium. de Consanguinit. & Affinit.* §. 1. *n.* 29.] inter fratres & sorores, est innatus quidam pudor & reverentia naturalis, cui valde adversetur actus conjugalis, adeò, ut omnes etiam infideles nationes bene instructæ, solius naturæ ductu, ab hujusmodi nuptiis abstinuerint, & non abstinentes, inter Gentes omnino barbaras relati sint. Sed

38. Contra Probatur Assertio nostra. Quanquam enim inter fratrem & sororem,

rem, sit maxima propinquitas sanguinis, non tamen est illa, quæ fundetur in respectu *Parentelæ*, seu ratione principii & principiati, aut superioris ad inferiorem. Proinde, licet inter fratrem & sororem, sit arcta amicitia, orta ex sanguinis nexu, non tamen sibi invicem debent reverentiam, neque unus alteri, naturali jure, subjicitur. Adeóque nihil invenitur, quod obstet societati conjugali aut fini sive *primario* Matrimonii, qui consistit in procreanda & educanda sobole, sive *secundario*, qui consistit in remedio concupiscentiæ, mutuo adjutorio, solatio *&c.* Neque ex tali conjunctione confunditur ordo naturæ, aut jus familiæ paternæ. Ergo *&c.* Præterea, non est credibile, authorem naturæ, mox à principio naturæ conditæ, voluisse transgredi naturæ limites, propagando genus humanum per conjunctionem fratrum & sororum, si hoc propagationis remedium foret de se illicitum & naturaliter turpe; potiùs enim aliquas personas creâsset, sicut creavit *Adamum*, & per ipsas, genus humanum crescere & multiplicari fecisset.

39. Nec vim habet in contrarium, id quod supra positum argumentum; quia ad hoc, ut Pontifex in primo gradu dispensare nequeat,& infideles ad fidem conversi separari debeant, si in isto gradu constituti, nuptias contraxerint; sufficit: quòd talis conjunctio repugnet præcepto divino, quale datum fuisse Scriptura docet *Levit.* 18. postquam natura humana satis erat multiplicata.

40. Dices 1. *Abraham* putavit se sat occultare Matrimonium suum cum *Sara*, dicendo: quòd soror sua esset. Ergo signum est, quòd hujusmodi Matrimonium fuerit irritum jure naturæ. *Resp. Negand. conseq.* Quia sufficiebat, quòd fuerit prohibitum jure Divino, & quòd jure naturæ, non fuerit sat decens. Præstat enim amorem in extraneos diffundere, quàm illum, intra cancellos naturalis conjunctionis, coarctare. Cæterùm, *Sara* non fuit germana Soror *Abrahæ*, sed neptis ex fratre ejus, ùt post *Josephum Flavium lib.* 1. *Antiquit. Judaic. cap.* 12. docet *D. P. Augustinus lib.* 2. *Contra Faustum. cap.* 35. inquiens: more S. Scripturæ, consanguineos & consanguineas sæpe vocari fratres & sorores, prout & consanguinei Christi, vocantur *fratres Domini*; & *Isaac*, *Rebeccam* vocat sororem suam, licet ejus fuerit neptis ex Patruele. *Genes.* 26.

Quomodo (Inquis) *Abraham* de *Sara* potuit dicere *Genes.* 20. *Verè soror mea est filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem.* si eadem *Sara* fuerit neptis ejus ex fratre? Resp. Quod *Sara* fuerit filia *Aram*, qui erat frater *Abrahami*. Quia autem *Aram* jam obierat, quando *Abrahamus Saram* tenebat uxorem, Avus autem *Saræ* adhuc vivebat, ipsíque loco patris erat, ideo *Abraham* dixit *Saram* esse filiam Patris sui, non autem filiam matris suæ, quia *Aram* non erat ejus frater *uterinus* seu ex eadem matre, sed solùm *consanguineus*, seu ex eodem patre. Vide nostrum *Pontium. loc. cit. cap* 32.

Dices 2dò. Si nuptiæ inter fratres & sorores non essent jure naturæ, vetitæ & irritæ; *Divus P. Augustinus dict. lib.* 2. *contra Faustum cap.* 33. cum aliis Sanctis Patribus, ejusmodi Matrimonia haud diceret *abominanda*, neque Gentes moratiores ab iis abhorrerent. Resp. *Neg. Illatum.* Quia Sanctus Pater *ibidem* tantùm innuere voluit, nuptias ejusmodi, fore lege Divinâ prohibitas, neque multiplicato sat genere humano, fore sat decentes. Audiamus quid Divus Pater scribat *lib.* 15. *De Civit. Dei cap.* 16. *Quantò antiquiùs est* (inquit) *ut viri sorores suas, con-*

conjuges acciperent, *compellente necessitate*, *tantò factum est posteà damnabiliùs*, *Religione prohibente*. Id est lege tum Divinâ, tum Ecclesiasticâ vetante. Porrò, cur Gentes passim abstineant ab hujusmodi nuptiis, ratio est: quòd nisi ejusmodi connubia vetita essent legibus tum civilibus tum Gentium communibus; ob continuam fratrum & sororum cohabitationem, maximum periculum foret, ne invicem sub spe conjugii pangendi, fœdè conversarentur, & præcoci libidinis æstu, eandem familiam prolibus augerent, & facultatibus exhaurirent. Unde Authores nostræ sententiæ, dicunt: quòd, licet *Abraham* sciverit, nuptias cum sorore, non fore juri naturali prorsus adversas; equidem; quia non ignorabat, illas tunc temporis, fuisse jure Divino vetitas, & admodùm raras, utpote nec inter Gentes, iniri solitas; ideo, inquam, dicunt: *Abrahamum*, suspicionem conjugii satis evitâsse: dicendo: *Saram* fore sororem suam.

Dices 3*tio*. Ejusmodi fratrum & sororum conjugia non minùs apud *Hebræos* morte punita fuêre, quàm adulteria & sodomitica scelera. *Levit. cap.* 20. Atqui Adulteria & Sodomitica scelera, juri naturæ adversantur. Ergo *&c.* Resp. Ideo conjugia ista morte punita fuisse; quia legi Divinæ adversabantur, & sub ea pœna prohibita noscebantur. Ideo autem severiùs in hujusmodi conjuges animadverti oportuit; ut fratres & sorores, pœnæ metu, à carnalibus commerciis deterrerentur; spe conjugii haud suppetente. Licet autem fratres & sorores, ob nuptias hujusmodi, mortis luere debuerint supplicium; inde non sequitur; quòd eorum connubium, ejusdem fuerit turpitudinis & culpæ, cujus est adulterium & Sodomia. Nam & violatores Sabbathi, per collectionem lignorum, morte puniri jubebantur *Numer.* 15. ℣. 35. & tamen nemo dixerit: peccatum hoc, crimini Sodomitico parificandum fore. Ex his

Deduces. Præter gradus lineæ rectæ *ascendentium* scilicet & *descendentium*, nullam consanguinitatem vel affinitatem dirimere Matrimonium jure naturæ, etsi ob majorem decentiam, aliósque fines societati humanæ magìs congruos, nedum jure Divino & humano Ecclesiastico, sed & Gentium moribus, conjugia in propinquioribus gradibus prohibeantur, & nuptiæ in gradibus prohibitis contractæ, incestuosæ dicantur.

Licet autem dixerimus: jure naturæ validum esse Matrimonium fratres inter & sorores; sustinere tamen non possumus, cum nostro *Pontio*, quòd summus Pontifex ex justa causa in illo dispensare posset. Sufficit enim ad negandam hanc dispensandi facultatem; quod conjugium istud sit jure Divino prohibitum, & genere humano sat multiplicato, indecens, probrosum, & rationi societatíque humanæ minimè congruum sit ejusmodi connubium. Igitur, licet Rex *Hispaniæ* v. g. non posset invenire uxorem tantâ Majestate dignam, aut illa, quæ alioquin digna reperiri posset, esset hæretica, ex qua periculum esset Regis aut Regni pervertendi (quod est exemplum *Pontii*, & casus, in quo putat Pontificem dispensare posse) equidem nullatenus concedi posset, ut Rex duceret sororem suam, sive *consanguineam* ex eodem solùm patre, sive *uterinam tantùm*, ex eadem scilicet matre.

41. Alterum impedimentum, jure naturæ, Matrimonium dirimens; est *impotentia antecedens* & perpetua coëundi Ubi

Observandum 1*mò*. Impotentiam coëundi aliam esse *naturalem* seu *intrinsecam*, aliam *accidentalem* seu *extrinsecam*. *Illa* est, quæ ex ipsius naturæ defectu oritur, ùt nimia arctitudo in vase fœmi-

neo, aut nimia frigiditas vel caliditas in viro, licet, ùt observat *Divus Thomas in* 4. *dist.* 43. *q. unic. art.* 2. *in corpore.* hæc impotentia ex caliditate rarissimè reperiatur in viris. *Hæc* seu *accidentalis* & *extrinseca* est; quæ non ex naturæ defectu, sed ex maleficio, vel hominis facto, oritur; puta; ex incantatione vel castratione &c.

Observandum 2dò. Impotentiam aliam esse *perpetuam*, aliam *temporalem*. *Perpetua* est, quæ absque mortis periculo, nec per media licita, naturalia vel spiritualia, puta: consuetos Ecclesiæ exorcismos, preces *&c.* tolli potest, etsi per miraculum vel per media illicita, aut non sine mortis periculo, per media etiam naturalia & licita, auferri possit. *Temporalis* est, quæ operâ vel arte naturali, licitâ, vel per consuetos Ecclesiæ exorcismos, aliáve spiritualia remedia, removeri potest. Dixi: *Operâ vel arte licitâ.* Si enim non nisi per aliud maleficium vel peccatum, tolli potest, verè reputabitur impotentia *perpetua*. Siquidem de jure, tantùm id possibile & fieri posse censetur, quod licitè & absque piaculo fieri potest.

Observandum 3tiò. Impotentiam coëundi aliam esse *absolutam*, aliam *respectivam*. *Absoluta* est, quæ respectu omnium alterius sexûs personarum se tenet, ita, ut quis cum nulla persona copulam carnalem perfectè exercere possit. *Respectiva* est, quæ tantùm intuitu unius vel plurium certarum personarum, non tamen respectu omnium se habet, ita, ut licet quis coïre non possit cum hac vel illa persona, possit tamen cum alia. Talis teste experientiâ non rarò contingit ex maleficio, quo ita afficitur persona, ut cum una vel altera persona nullatenus coïre valeat, etsi cum altera carnaliter congredi, absque difficultate, possit. Talis etiam interdum reperitur in iis, qui respectivè membra genitalia habent nimis improportionata. His observatis

42. Assertio nostra communis procedit de omni & sola impotentia perpetua Matrimonium antecedente, de impotentia [inquam habendi copulam perfectam] non attendendo nec distinguendo, an hujusmodi impotentia sit intrinseca; item, an absoluta vel respectiva; dummodò sit perpetua & antecedens. *Ratio* est: quia de essentia & intrinseca ratione Matrimonii est traditio corporis ad copulam carnalem, & obligatio debitum illud reddendi, si rationabiliter exigatur. Jam autem perpetuò impotens ad copulam, ita corpus suum alteri tradere, aut illam obligationem in se nequit suscipere (*impossibilium enim nulla obligatio. l.* 185. *ff. De R. J.*) Ergo *&c.*

43. Dixi: *Dummodò sit perpetua & antecedens.* Si enim impotentia etiam perpetua Matrimonio contracto, licet non consummato superveniat; verius est, illam de jure naturali, dirimere connubium, quod ea intentione contractum, ut perpetuam habeat & importet vitæ societatem, quæ ex casu superveniente dissolvi non debet. An autem Papa in Matrimonio *legitimo* infidelium, vel *rato* fidelium necdum consummato, dispensare possit? inter Theologos & Canonistas etiamnum disputatur, & non desunt, qui dicunt: Papam ob superveniens impotentiæ impedimentum, nedum dispensare *posse* in Matrimonio *rato*, sed & *dispensâsse de facto*. Confer *Abbatem Panormitanum. Ad cap. Ex litteris.* 3. *De frigid. & maleficiat.* Mihi tamen semper verosimilius visum fuit, Papalem dispensationem hac in parte nihil operari posse; si enim dicamus Matrimonium *legitimum* infidelium, & *ratum* Christianorum, esse solo jure Divino *positivo*, sive insuper jure *naturali* (quod valde probabile est) indissolubile;

sem-

ſemper verum eſt, Papæ authoritatem ſe eouſque non extendere, præſertim, quia plures Doctores cum P. *Gonet* contra *P. Franciſcum Henno* & alios, probabiliùs docent: Matrimonium ſive *ratum* ſive *conſummatum*, prout eſt *in officium naturæ*, fore ſuapte naturâ indiſſolubile; cùm *Adam* necdum conſummato cum *Eva* matrimonio, inſtinctu rectæ rationis, ejus indiſſolubilitatem pronuntiaverit, dicens: *Quamobrèm relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori ſuæ.* Ex quo ſic argui poteſt: Firmius eſt vinculum Matrimonii inter virum & uxorem, quàm inter patrem & filium; ſed *hoc* eſt *naturale*; ergo & prius.

Nec *contra* facit: quòd Matrimonium conſummatum, majorem importet indiſſolubilitatem, eò quòd fieret injuria nedum uxori jam defloratæ, ſed etiam proli naſcituræ vel jam natæ; inde enim non ſequitur, Matrimonium *ratum* non fore *abſolutè* & *de ſe* perpetuum.

44. Nec in contrarium urget: quòd Matrimonium *ratum* inter fideles, Sacramenti rationem habens, per Profeſſionem ſolemnem in Religione ab Eccleſia approbata, diſſolvatur; prout definivit *Concilium Trident. ſeſſ.* 24. *can.* 6. & habetur *in cap. Ex parte tua. De converſ. conjug.* ibi: *Ex Sacri eloquii interpretatione & divina revelatione, in Eccleſia Chriſti, ſemper fuit cuſtoditum, ut* ratum *Matrimonium, per* Profeſſionem *ſolemnem diſſolveretur.* Non inquam hoc in contrarium urget, quia Profeſſio ſolemnis, id eſt ea, quæ importat votum perpetuum, tam ex parte ſuperioris votum acceptantis, quàm ex parte voventis, facit Profitentem *Civiliter* mori, adeóque Profeſſio hujuſmodi, ex divina revelatione, diſſolvit Matrimonium *ratum*, quod eſt contractus *civilis*, qui licet ad Sacramenti dignitatem à Chriſto ſit elevatus, tamen non eam importat perpetuitatem, qualem inducit Matrimonium *conſummatum*, quod eſt vinculum, non ſolùm *animorum*, ſed & conjunctio *corporum*, cùm conjuges per illud quadantenus facti ſint una caro, ut proptcrea illud non niſi morte *carnali* diſſolvi queat.

Igitur ratio, cur Profeſſio Religioſa dirimat Matrimonium *ratum*, non eſt ponenda in perfectione Status melioris; alias quoque diſſolvi deberet Matrimonium *conſummatum*, & ob identitatem rationis, per ſuſceptionem Ordinis Sacri, vel Epiſcopatûs, rumperetur Matrimonium ſaltem *ratum*, quod omnes negant. Porrò, licet Matrimonium ratum & conſummatum ſint ejuſdem ſpeciei, perfectius tamen per conſummationem eſt tranſlatum dominium, & conjunctio reddita eſt ſtrictior, unde & Matrimonium conſummatum, propriè ſignificat ſpiritualem conjunctionem Chriſti cum Eccleſia.

Quid juris, ſi dubitetur: an impotentia fuerit *antecedens*, & ſit *perpetua*? item quid ſtante dubio, liceat conjugibus? Tradunt & decidunt Theologi & Canoniſtæ, & hac de re videri poterunt *Sanchez. lib. 7. diſp.* 103. *n.* 10 *Guttierez De Matrim. cap.* 116. *n.* 2. Noſter *Pontius l.* 7. *cap.* 65. *Pirhing. ad tit. Decretal. De Frigid. & Maleſ. n.* 16. *Maſcardus de Probationib. concl.* 816. *n.* 19. *& concl.* 1027. *n.* 3. *Mennobius de Præſumpt. lib.* 1. *Præſumpt.* 14. *n.* 3.

45. Dictum ſupra; aſſertionem noſtram intelligendam eſſe de impotentia habendi copulam perfectam, qualis illa eſſe cenſetur, quâ nequidem vir intra vas muliebre ſeminat. Verum enim alioquin eſſet impotentiæ impedimentum, ſi vir ſive ex proprio, ſive ex mulieris defectu, vel omnino non, vel non intra vas fœminæ, ſeminare poſſet, etſi alioquin vas fœminæ ut-

D 2

utcunque penetrare valeret. *Ratio* est: quia de substantia Matrimonii, est traditio corporis ad copulam conjugalem; ast non reputatur copula conjugalis, ubi semper semen deficit. Coïtus enim & copula est tantùm via ad actum conjugalem perficiendum. Sufficit tamen, si vir seminare possit, etsi fœmina nequeat seminare, eò quòd juxta naturalistas, semen fœminæ, non sit necessarium ad generationem prolis, licet ad eam multùm conferat. Confer *Sanchez lib. 7. disp.* 64. *n.* 17. & 21. item *lib. 2. disp.* 21. *n.* 10. ubi id docet ex *D. Thoma* 3. *p. q.* 31. *art.* 5. *ad* 3. Similiter sufficit, si vir semen suum intra vas muliebre effundere valeat, etsi mulier illud retinere nequeat. *Sanchez lib* 7. *disp.* 92. *n.* 11. *Ratio* est; tum quia tunc jam habetur copula conjugalis; tum quia ex eo, quòd semen retinere nequeat, tantum sequitur, illam esse sterilem, quod valori Matrimonii non obest. Siquidem

46 Sterilitas seu impotentia generandi, quæ non sit conjuncta cum impotentia seminandi, non ponit impedimentum dirimens, prout communiter tradunt Doctores contra *Felinum in cap. Cùm sit.* 6. *De foro compet. n.* 15. *Ratio* est: quia steriles, ùt supponitur, possunt perficere copulam carnalem. Dein; etsi steriles non possint frui primario fine Matrimonii, qui est prolis generatio; possunt tamen assequi finem secundarium, qui est remedium concupiscentiæ & solatium humanitatis, ùt dicitur in *can. Nuptiarum.* 41. *caus.* 27. *q.* 1. adeò, ut steriles in remedium concupiscentiæ, æquè licitè copulam exercere possint ac fœcundi. Quò facit; quòd sterilitas successu temporis, sæpe corrigatur, prout constat variis exemplis, tum ex sacra, tum profana historia. Unde universali praxi & Ecclesiæ consuetudine, etiam senes & decrepiti, nedum in matrimonio vivere; sed illud etiam contrahere permittuntur, licet tales ordinariè noscantur esse steriles. Meritò igitur *Justinianus Imperator l. Sancimus.* 27. *C. De Nuptiis.* correxit veteris juris dispositionem, qua per legem *Papiam* & *Juliam*, Matrimonium contrahere prohibitum erat viris annum sexagesimum excedentibus, & fœminis, post annum quinquagesimum.

47. Fatendum tamen est cum *Sanchez dict. lib.* 7. *disp.* 92. *n.* 14. *Pirbing. loc. cit. Barbosa. ad tit. De Frigid. & Malef. n.* 6. *Engel ibid. n.* 3. *Guttierez de Matrim cap.* 112. *n.* 12. & *seq.* quòd si in senibus & decrepitis tanta esset virium debilitas, ut nullo modo, puta nec medicamentis aut aliis licitis mediis juvari possent, ad perficiendam copulam conjugalem; Matrimonium ipsorum foret *nullum*, hoc est *nulliter* celebraretur, supposità hujusmodi coëundi impotentià, Quod secus est in illo, qui alioquin potens, *per accidens*, vi morbi, copulam exercere non posset, & in articulo mortis, vel ad legitimandam prolem, aut aliam ob causam, cum persona sibi dilecta, Matrimonium contrahere vellet. Nisi reverà constaret, quòd per morbi qualitatem, vis & potentia seminandi, seu cum effectu coëundi, penitus destructa esset, tunc enim Matrimonium nulliter iniretur, ùt bene observat *Palao. De Sponsalib. disp.* 4. *punct.* 14. §. 2. *n.* 6. Impotentia enim perpetua, undecunque proveniat; verè ponit *impedimentum*, jure naturæ, *dirimens.* Ex dictis

48. Colligitur *imò.* Eunuchos, Spadones seu Castratos utroque testiculo carentes, jure naturæ, fore ad contrahendum Matrimonium ineptos, eò quòd non possint emittere verum semen, quod tamen requiritur ad coëundum cum effectu. Dixi: *Utroque testiculo &c.* Si enim uno tantùm carerent; non est dubium, quin

quin & validè & licitè nuptias contrahere possint. Et hoc sensu capiendus est textus *in l. Si serva.* 39. §. *Si Spadoni. ff. De jure dot.*

49. Colligitur 2do. *Hermaphroditos*, id est de utroque sexu participantes; in sexu prævalente, posse validè & licitè Matrimonium inire; ita, ut tanquam mas, possit ducere fœminam, si prævaleat in ipso sexus virilis, vel tanquam fœmina, nubere possit viro; si natura fœminea potentior reperiatur. Cùm enim à potentiore desumenda sit denominatio; sexus prævalens, aut viri aut fœminæ denominationem & qualitatem tribuit, juxta *l. Quæritur.* 10. *De Statu hominum.* ibi: *Quæritur Hermaphroditum, cui comparemus? & magìs puto, ejus sexûs existimandum, qui in eo prævalet.*

Sed quid, Si neuter sexus prævaleat, sed uterque æqualiter se habere videatur? *Resp.* Tunc *Androgynum*, seu utroque sexu æqualiter valentem, posse pro libitu, vel, ùt virum, vel, ùt fœminam, nuptias contrahere, prout cum *Sanchez loc. cit. Guttierez loc. cit. Sylvestro V. Hermaphroditus. in fin.* docent communiter Theologi & Canonistæ *ad tit. de Frigid. & Malef* Necessùm tamen est, ad licitè contrahendum, ut alteri sexui, coram judice Ecclesiastico, perpetuò & quidem juratò renuntiet, quamquàm, si mortua comparte, sexum alterum amplecteretur, & in altero sexu conjugem duceret, validè adhuc ageret, licet fieret perjurus, quia, ne jure quidem humano, teste *Sanchez*, tale Matrimonium irritatum invenitur.

Quinimò, si unus sexus prævaleret quidem, in altero tamen sexu, quis posset copulam perfectam exercere; posset teste *Pontio lib. 7. cap. 65. n.* 8. saltem validè in sexu debiliore Matrimonium contrahere. Dico: *Saltem validè*; quia talis, *naturâ* non prohibetur neque exstat textus in alterutro jure, qui tale Matrimonium declaret aut decernat *nullum*. Equidem non assentior nostro *Pontio ibid.* asserenti: quòd *Androgynus* etiam *licitè* posset nuptias contrahere in sexu debiliore; hoc enim sana prohibet ratio, & leges vetare censentur, dum Hermaphroditum illi sexui adscribunt, qui prævalere dignoscitur. De impotentiæ impedimento, pro nostro instituto, satìs. Qui reliquos casus & quæstiones eatenus occurrentes examinare desiderat, adeat nostrum *Basilium*, *Pontium loc. cit.* & *Sanchez ubi supra.* Hi enim præ cæteris, exactiùs hanc materiam pertractârunt. His ex recentioribus, adjungi potest *Anacletus Reiffenstuel*, qui singulari studio, ex probatis authoribus, singula *ad tit. De Frigid. & Malef.* collegit, quæ in quæstionem venire possunt.

Tertium impedimentum jure naturæ nuptias perimens, est *error substantialis circa personam.*, quam quis ducere intendit. Ubi

50. Notandum. Quadruplicem distingui errorem in hac materia, scilicet *personæ*, *conditionis*, *qualitatis*, & *fortunæ*. *Error personæ* est, quando quis errat circa personam, quam intendit ducere, prout contigit *Jacob*, qui putans se contrahere cum *Rachaele*, contraxit cum *Lia*, loco ejus supposita. *Genes.* 19. *Error conditionis* est; quando quis putat se contrahere cum libera, quæ reverà est serva. *Error qualitatis* est: qui versatur circa personæ qualitates, veluti: dum quis putat se contrahere cum pulchra, nobili, virgine *&c.* & contrahit cum deformi, ignobili, corrupta. *Error fortunæ* (qui reverà etiam est error qualitatis) speciatim dicitur: quando quis putans se contrahere cum divite, aut possidente multa bona immobilia, reapse contrahit cum paupere, aut exigua, vel nulla bona possidente.

51.

51. Ex his erroribus, ſolus ille, qui circa perſonæ ſubſtantiam ſeu individualem rationem verſatur, reddit Matrimonium, jure naturæ, ***nullum***, prout in confeſſo eſt apud omnes, ex clara ratione; quòd errantis circa ſubſtantiam, nullus ſit conſenſus, & abſque conſenſu, non poſſit conſiſtere Matrimonium, cùm nuptias, non concubitus, ſed conſenſus faciat. *l. Nuptias* 20. *ff. De R. J.*

52. Igitur Matrimonium contractum ex errore circa qualitatem aut fortunam, licet quis ex dolo vel ſimulatione alterius deceptus ſit; jure naturæ, imo & humano jure, validum cenſetur, ex ratione: tum quia talis error non eſt circa ſubſtantiam, corpus nempe conjugis, quod mutuo conſenſu viciſſim traditur; ſed tantùm circa accidentia, quæ in ordine ad valorem, haud attenduntur. Unde *cauſ.* 29. *quæſt.* 2. dicitur: ***Non omnis error conſenſum evacuat . . . . qui ducit uxorem meretricem vel corruptam, quam putat eſſe caſtam aut virginem; non poteſt eam dimittere & aliam ducere.*** Tum quia: ſi error circa qualitatem vitiaret ſeu annullaret Matrimonium; ex ſexcentis vix unum ſubſiſteret, vel ſaltem pleraque impugnarentur, & nullitatis arguerentur, cum maximo damno tam prolium, quàm conjugum, imò totius Reipublicæ, quæ ex diſſolutione aut impugnatione infinitorum conjugiorum, perturbari ſummoperè deberet.

Dicta equidem *limitanda* ſunt 1*mò*. Si error qualitatis, etiam redundet in perſonam: aut; ſi 2*dò*. qualitas aliqua ***actualiter*** vel ***virtualiter***, internè vel externè, ſit in conditionem deducta; puta: ſi quis internè ita cogitaret; aut externè diceret: ***Si es virgo, filia conſulis, nobilis, aut dives &c. volo, ſeu intendo te ducere, & duco te, alias nolo, neque te duco.*** Quia tunc error circa qualitatem, Matrimonium invalidaret juxta omnes, teſte ***Sanchez*** *lib. 7. diſp.* 18. *n.* 21. *Ratio* eſt: quia omnis contractus, ſub conditione honeſta de præſenti, initus, conditione deficiente, ***nullus*** eſt. *l. Cùm ad præſens.* 37. *ff. De reb. creditis.* & *l. Cùm in ſecundo.* 16. *princ. ff. De injuſt. rupto & irrit. fact. teſtam.*

Et quamvis in foro externo dicenti: quòd ſub tali conditione animo concepta contraxerit, non credatur; niſi dictum ſuum probet, nihilominus in foro interno, reapſe invalidum erit tale Matrimonium, ſi deſiderata illa qualitas abſuerit, ut proinde à copula abſtinere debeat ac diſcedere poſſit, niſi velit conſenſu abſoluto, Matrimonium revalidare, prout in multis caſibus, tenetur; ſi nempe abſque gravi præjudicio conjugis aut prolium jam ſuſceptarum, diſcedere nequit; maximè, ſi conjunx deſiderata qualitate carens, dolum non commiſerit.

53. Quandónam [inquis] error qualitatis redundat in perſonam? *Reſp.* Tunc, quando error vel verſatur circa perſonæ aliàs ignotæ talem qualitatem, quæ ſit omnino ſingularis certum individuum denotans; ut: ſi quis velit præciſè ducere primogenitam, & ipſi obtrudatur ſecundò genita. Vel: cùm qualitas aliqua principaliter & unicè intenditur, ita; ut Matrimonium unicè aſſumatur ad obtinendam illam qualitatem. v. g. Si quis ideo præciſè ducat Catharinam, quia eſt filia talis Opificis, aut Patritia talis civitatis, ut mediante tali qualitate, poſſit ad Tribum opificum recipi, vel conſequi jus civitatis. Deficiente enim tali qualitate perſonæ, deficeret quoque conſenſus in ipſam perſonam, ùt de ſe patet.

54. Cæterùm, error ***conditionis perſonæ***, licet juxta legem Civilem ***Novell. De Nuptiis.*** 22. §. *Si verò ab initio.* & Eccleſiæ definitionem, *cap.* 2. *& fin. De con-*

conjug. Servor. inducat Matrimonii nullitatem; veriùs tamen illud non irritat, jure naturali inspecto, cùm absolutè & simpliciter non excludat consensum in determinatam personam, licet involuntarium sit adjunctum, ratione qualitatis, quod non facit deficere *voluntarium simpliciter*. Quò facit, quòd servitus alterutrius, non impediat semper & absolutè Matrimonii usum, licet servus sub Domini potestate constitutus, non possit juxta votum suum, semper debitum reddere aut petere. *Zoës. ad Decret. tit. De conjugio servorum. Sanchez lib. 7. disp. 19. n. 16.* & Doctores communiter contra *Scotum in 4. dist. 30. q. 1.* & novissimè contra *Reiffenstuel ad cit. tit.*

Assertio posita intelligitur de servo aut ancilla propriè talibus, non verò de *originariis* vel *adscriptitiis*. Pro quo

NOVERIS. Homines alios esse liberos, alios servos. *Liberi* homines vocantur, quibus est naturalis facultas ejus, quod cuique facere lubet, nisi quid vi aut jure prohibeatur. *§. & Libertas. Instit. De jure personar.* Atque ex his, alii sunt Ingenui, alii Libertini. *Ingenui* dicuntur illi, qui sunt in plena libertate, atque in hac nati fuerunt. *§. 1. Inst. De ingenuis.* Econtra *Libertini* seu *Liberti* appellantur, qui ante hac fuerunt servi, & postea sunt manumissi. *§ 1. Inst. De Libertinis.* Servi in jure vocantur illi, qui domino alieno contra naturam (id est contra jus naturæ permissivum) juris constitutione subjiciuntur. Theologi & Publicistæ, triplex distinguunt servorum genus. Alii enim sunt servi *propriè dicti*, alii *Adscriptitii*, alii demum *Originarii*. Servi propriè dicti (qui & *Mancipia* audiunt) ita Dominio alterius subsunt, ut ab illo vendi possint. *§. Servi. Instit. De jure person.* & *can. Fugitivum. caus. 12 q. 2.* & quidquid acquirunt, domino suo acquirunt. *l. Acquiritur nobis. ff. De acquir. rer. dominio.* Atque circa conditionem talium servorum nullum est discrimen, sive facti sint tales captivitate, sive nativitate aut venditione. Servi *Adscriptitii* dicuntur illi, qui glebæ seu prædio colendo sunt perpetuò addicti, ita ut inde sine consensu dominorum suorum discedere nequeant. *Originarii* tandem sunt; qui ex Adscriptitiis sunt nati.

De servis inquam propriè dictis, quæri poterat, an scilicet Matrimonium sit jure naturæ *nullum*, si liber cum Ancilla, aut libera cum servo, ignorata servili conditione, contraxerit? Servi enim Adscriptitii & Originarii, licet operis & laboribus in utilitatem domini obstricti sint, quò ad personas tamen suas, liberis hominibus potiùs accensendi sunt. *Arg. l. Definimus. 13. C. De Agricolis & Censitis.* Et tales hodie reputantur homines illi, quos *proprios* vocamus, quibus *Moravia* & *Bohemia* redundat. Cum his igitur Matrimonia contracta, licet eorum conditio fuerit ignorata; quin jure naturæ saltem valeant, non videtur dubitandum.

57. Noster *Basilius Pontius* circa valorem Matrimonii, quod liber cum Ancilla, aut libera cum servo contraxit, sic pro reconcilianda sententia opposita distinguendum putat. Aut enim error servitutis est *antecedens* & *dat causam contractui*, ita: ut quis ideo præcisè ducat hanc personam, quia putat eam esse liberam, & nullo modo duceret, si sciret eam labe servitutis affectam esse; & tunc existimat *Pontius* errorem Statûs servilis, jure naturæ, dirimere Matrimonium, eò quòd sit error qualitatis redundantis in substantiam personæ: aut error servitutis est merè *concomitans* aut *incidens in contractum*; consensus verò fertur in personam præsentem, nil cogitando de servitute aut libertate; & tunc jure quidem na-

naturæ subsistet matrimonium, & solùm erit irritum, jure Ecclesiastico. Hanc distinctionem, supra positis assertionibus nostris non adversantem, amplectimur, & sub hujus distinctionis sensu, accipimus textum in *cap. 2. & fin. De conjug. serv.* juncto *canone. Si quis. 4. caus. 29. q. 2.* ibi: ***Si quis ingenuus homo, uxorem Ancillam alterius acceperit, & existimat, quòd ingenua sit, si ipsa fœmina postea in servitute fuerit detecta, si voluerit, aliam accipiat, si autem ancillam illam scierat, legitimam eam habeat: similiter & mulier ingenua de servo alterius facere debet.***

Hîc Quæri posset: an *cultûs disparitas* jure naturæ, Matrimonii contractum dirimat? Ubi

Nota: Per *Cultûs disparitatem* intelligi differentiam in fide aut Religione Christiana; qualis est inter Baptizatum & non Baptizatum, puta: Judæum, Turcam, Paganum.

58. Ad Quæsitum *Resp. negativè*, Etsi enim Matrimonium fidelis cum infideli, propter periculum perversionis & alias rationes, sit jure naturæ illicitum; non est tamen fundamentum reperibile, cur illud omnino irritum dicamus. Cùm omnia, quæ jure naturæ; ad Matrimonii substantiam requiruntur, in illa inveniantur, ùt patet examinanti. Unde in veteri lege, non invenitur irritum habitum fuisse Matrimonium, quod Esther contraxit cum *Assuero* infideli, Nec in nova lege, invalidum ab ullo judicatum fuit Matrimonium, quod *S. Mater Monica* inierat cum *Patritio* viro infideli, de quo *Divus P. Augustinus lib. 9. Confess. cap. 9.* & quod *Clotildis* Christiana inivit cum *Clodoveo Francorum Rege*, dum adhuc Ethnicus erat, teste *Gregorio Turonensi. lib. 2. cap. 28.*

59. Quinimò nec efficaciter probari potest hujusmodi Matrimonium in veteri lege fuisse irritum, *jure divino positivo*, ùt ùt enim hujusmodi nuptiæ, ob perversionis pericula, sæpe reprehendantur, non tamen de se invalidæ evincuntur.

Nec Obest, quòd *Esdras* quasdam Ægyptias separaverit à viris suis. *Esdr. 1. cap. 9.* Hoc enim factum est ideò; quia mulieres illæ, quæ bonâ fortè intentione ductæ fuerant, postea defecerunt ad idola, eáque rursus adoraverunt, nec absque injùria Creatoris, viris suis cohabitare voluerunt, ut proinde absque peccato retineri non potuerint. Igitur, quia cultûs disparitas non pugnat cum individua vitæ societate (cùm fieri possit, ut dissensiones ob fidei diversitatem aut planè nunquam aut rarò oriantur) aliunde etiam proles, à conjuge Christiano, decenter educari possint; non est ratio, cur ob cultûs disparitatem, jure naturali vel divino, dicamus Matrimonium fidelis cum infideli, esse ***nullum***, præcipuè, cùm fidelis ea intentione possit ducere infidelem, ut illum ab infidelitate abstrahat & cœlo lucrifaciat Porrò; quòd jure Ecclesiastico, hujusmodi Matrimonium sit irritum; in confesso est apud omnes orthodoxos, & latè probat noster *Pontius lib. 7. cap. 47. à n. 5.* Si

60. Hîc incidenter Petas: An Matrimonium Christiani cum infideli, v. g. Turca; præscindendo ab Ecclesiæ prohibitione, sit Sacramentum? *Resp. Negativè* cum nostro *Pontio loc. cit. n. 8.* Ex ratione; quòd non possit claudicare ratio Sacramenti, cujus infidelis incapax est. Igitur, cùm Matrimonium sit unicum numero Sacramentum, & utriusque consensus, corpora item & verba componant unicam indivisibilem formam & materiam; sequitur; quòd, si ex parte unius desit principium seu fundamentum, cui inniti debet ratio Sacramenti, consequenter Sacramentum hoc constitui ac subsistere non

non possit. Jam autem ex parte unius deest Baptismus, qui est janua Sacramentorum suscipiendorum. Ergo

61. Nec *contra* facit illud *Pauli* 1. *Corinth.* 7. *Sanctificatus est vir infidelis propter uxorem fidelem.* Nomine enim sanctificationis non intelligitur sanctitas *Sacramenti*, quasi fidelis contrahens cum infideli, perciperet Sacramentum, sed Divus *Paulus* ibi agit de his, qui in infidelitate Matrimonium contraxerunt, quorum alter ad fidem conversus, non debet subitò alterum infidelem expellere, cùm bonis exemplis allici & conversionis gratiam consequi possit. Confer *Pontium loc. cit.* ubi contra *Scotum*, multos adducit Authores nostræ sententiæ faventes.

62. Porrò, cùm Matrimonium fidelis seu baptizati, valeat de jure naturæ cum infideli, à fortiori valebit cum Hæretico. Quinimò Doctores Orthodoxi cum *D. Thoma* & Doctore *Seraphico in* 4. *Dist.* 39. *q* 1. *art.* 1. communiter docent: Matrimonium Catholici cum Hæretica, aut èccontra, debitè & ritu Catholico contractum, viribus subsistere nec jure Pontificio irritari. *Arg. cap. Decrevit. De Hæreticis in 6.* ubi supponitur, Matrimonium Catholici cum Hæretica, valere; eò quòd ibidem mulieres scienter nubentes Hæreticis, solummodò priventur dote, nequaquam verò jubeantur separari à viris Hæreticis.

63. Cæterùm; licet Matrimonium Catholici cum Hæretica, de jure etiam Pontificio, validum reputetur, si illo ritu sit celebratum, qui illo jure, ad substantiam requiritur; nihilominus eodem isto jure, regulariter prohibitum & illicitum est; ex ratione; quòd plerumque & ordinariè, varia scandala, damna & pericula spiritualia, ex hujusmodi conjugiis emergant vel ipsi conjugi Catholico, vel liberis inde natis, prout tristis quotidie, hisce in partibus, experientia docet.

64. Dixi: *Regulariter prohibitum esse* Matrimonium Catholici cum Hæretica, aut Hæretici cum Catholica: à qua regula Doctores communiter exceptionem faciunt in casu, quo Hæreticus verè promittit, quòd post contractum Matrimonium, Catholicam fidem velit amplecti, si rationabilis subsit causa, professionem fidei, & respectivè absolutionem ab Hæresi, differendi. Atque hunc casum, ipsa jura Canonica expresè eximunt. Ut liquet ex *Can. Non oportet.* 26. *caus.* 28. *q.* 1. *ibi: Si se profiteantur futuros Christianos & Catholicos.* In tali enim casu, cùm cesset omne periculum perversionis aut alterius peccati; & adsit lucrum animæ; non est, cur nuptiæ dicantur prohibitæ, vel illicitæ. Equidem rectè additum: *si justa subsit causa professionem fidei differendi*, qualis justa causa posset esse; si alioquin impediendum esset Matrimonium, aut amittenda pinguis hæreditas. Quamvis in tali etiam casu, absque ullius præjudicii periculo, conversio secretè præmitti posset, quod semper faciendum suaderem. Si enim Hæreticus, absque gravissima causa, conversionem suam differret, & primùm, post contractum Matrimonium, professionem fidei promitteret se emissurum; fallacem potiùs, quàm seriam videretur habere intentionem. Igitur, vera debet esse promissio, & non sufficit sola spes ad hoc, ut jure Ecclesiastico, licitè Matrimonium citiùs celebretur, quàm alter ab hæresi convertatur. Confer *Bosco. De Impedimentis Matrim. Disp.* 12. *Sect.* 11. *concl.* 3. *n.* 134.

65. Putant aliqui in Germaniæ partibus ubi Hæreticis permittitur mixtim inter Catholicos vivere, ex recepta & tolerata consuetudine, licitè etiam contrahi Matrimonia Catholicos inter & Hæreticos, dummodò Catholici in sua fide liberè vivere permittantur, & omne absit perversionis & scandali periculum. Nam juri huma-

humano Ecclesiastico derogare potest consuetudo, pro communi pace & tranquillitate Reipublicæ introducta.

Hæc limitatio, licet ob adductam rationem, videatur Theoricè sat probabilis; nihilominus in praxi vix locum habere potest, eò quòd conditio apposita: *dummodo Catholici in sua fide liberè vivere permittantur &c.* Vix unquam verificetur, sed contrarium eveniat etiam in locis, ubi Hæretici cum Catholicis permixti stabiliter habitant, cùm teste experientiâ, conjuges Catholici ab Hæreticis plerumque vel pervertantur, vel ad plura peccata, signanter contra Ecclesiæ præcepta, inducantur, prolésque aut in Hæresi, aut saltem minùs Catholicè educentur, quæ etsi non pugnent contra jus naturæ absolutum, pugnant tamen contra jus Divinum *positivum*.

66. Hoc à fortiori dicendum, si Matrimonium Catholici cum Hæretica, tacito vel expresso pacto, initum fuerit; ut, vel omnes, vel aliquæ proles, v. g. masculæ in vera patris Religione Catholica, fœmellæ verò in Secta Hæreticæ matris, aut vice versâ educentur. Tali pacto enim vel conditione, Matrimonium initum vix à gravissimo peccato contra jus Divinum excusari potest, quia quivis parentum, de jure Divino, tenetur ex pietate curare, ut proles in vera fide educentur, & acquirant necessaria media ad salutem, id quod non faciunt, si alteruter stipuletur, ut vel omnes, vel aliquæ proles, in Secta Hæretica educari debeant. Dixi: *vix* à gravissimo peccato tale connubium excusari. Posset enim esse casus, in quo hujusmodi pactum culpâ vacaret; ùt, si in aliquo Regno penitus perire deberet Catholica Religio, nisi saltem tali viâ conservaretur, præstat enim aliquos in vera Religione educari, quàm perverti omnes.

67. Ulterius in quæstionem venire potest, an vis & metus scilicèt gravis, *cadens in virum constantem*, jure naturæ irritet Matrimonium? Ubi NOTANDUM: quòd non sit quæstio de vi *absoluta*, quæ scilicet facit abesse animum patientis, & est *majoris rei impetus*, *cui resisti non potest*; seu: *cujus principium est ab extrinseco*, *passo non concurrente*. Non enim est dubium, quòd talis vis, utpote auferens consensum, de jure naturæ, obstet Matrimonii valori. Sed sermo est de vi *conditionali tantùm* & *compulsiva*, qualis invenitur in metum passo. Hoc prænotato; ad quæsitum RESP. Hujusmodi vim aut metum, non obesse valori Matrimonii de jure naturæ, licet jure humano Ecclesiastico dirimat Matrimonium.

Ratio primæ partis est; quia vis seu coactio *conditionalis* cum metu coïncidens, non excludit consensum voluntarium *absolutè* & *simpliciter*, licet causet involuntarium *secundùm quid*, ùt loquuntur Theologi. Nam, si quis metu mortis compellitur v. g. idolis sacrificare, licet contra voluntatem suam id facere dicatur; eò quòd non spontè & motu proprio feratur in hujusmodi impietatem; adhuc tamen simpliciter vult sacrificare; quia vult vivere; & hac ratione (licet non absque piaculo) vitam conservare, prout in simili arguit *D.P. Augustinus, relatus in can. meritò. caus.* 15. *q.* 1. Quinimò, quod per metum etiam gravissimum fit, magìs censetur, & est voluntarium, quàm involuntarium. Est enim *simpliciter* voluntarium, quatenus principium ejus est *ad intra*, & liberè hîc & nunc assumitur, veluti medium impeditivum majoris mali, quod timetur, ùt patet in projiciente merces in mare, ad allevandam navem, ne tempore tempestatis pereat: involuntarium autem est *secundùm quid*, prout consideratur extra peculiarem circumstantiam, adeóque est involuntarium, sub conditione duntaxat; si videlicet

cet

cet tale periculum vel circumstantia abesset. Ex quo natum est illud Jurisconsultorum axioma: *Coacta voluntas, est voluntas.* Argumentô *can. meritò.* Et amplius declarat *Glossa ibid. Verb. vult.*

Ratio 2dæ *Partis* est: quia, ùt loquitur *Tridentinum, sess.* 24. Matrimonium debet plenâ libertate gaudere, scilicet propter statûs perpetuitatem seu indissolubilitatem. *Arg. cap. cùm locum.* Et *cap. veniens. De Sponsal. & Matrimon.*

Quod jus naturæ attinet; parùm refert, an metus gravis provenerit ab intrinseco vel ab extrinseco? à causa itidem libera vel necessaria? an quoque jure, vel per injuriam fuerit incussus? an denique directè in finem extorquendi consensûs in Matrimonium, an ob aliam causam?

68. Theologi tamen cum *D. Thoma in* 4. *Dist.* 29. *q. unic. art.* 3. Et Canonistis ad *tit. De Spons. & Matrim.* requirunt ad Matrimonii nullitatem, jure Ecclesiastico inductam, 1*mò.* ùt metus sit *à causa libera*, id est, ab homine sit incussus. Si enim à *causa naturali*, vel ab *intrinseco* proveniat timor gravis, v. g: mortis, incendii, aut alterius gravissimæ bonorum jacturæ; & eo timore percussus quis Matrimonium contrahat; validum est juxta communem & certam sententiam, ùt videre est apud *Sanchez lib.* 4. *Disp.* 12. *n.* 3. Ex ratione? quia tunc non impellitur homo ab homine, sed à se ipso, & tunc Matrimonium eligit ad evadendum hujusmodi periculum.

Cæterùm, non refert; an timor gravis ab altero, qui Matrimonio jungi desiderat; an alio, v. g. ejus patre, fratre, propinquo, vel prorsus extraneo incutiatur? Quia jura non tam in odium injustè timorem incutientis, quàm in favorem libertatis Matrimonii, nullitatem illam statuerunt. *Arg. cap. cum locum* 14. *De Spons. & Matrim.* Quæ libertas peræquè læditur, sive à volente nubere, sive à quocunque alio, metus gravis incutiatur. Quò facit: quòd metus, qui sufficit ad rescindendos alios contractus, à fortiori sufficere debeat ad irritandum Matrimonii contractum maximè onerosum & prorsus indissolubilem: jam autem alii contractus rescindi possunt ob gravem metum à quocunque homine incussum. *Arg. l. Si cum exceptione.* 14 §. *in hac actione. ff. De eo quod met. caus.* & fusiùs docet *Sanchez l.* 4. *Disp.* 8. *n.* 7. Ergo. Confer *Pirhing. ad tit. de Spons. & Matrim. n.* 101.

Secundò requirunt: ut metus sit incussus *in ordine ad extorquendum Matrimonium.* Nisi enim in hunc finem metus gravis incutiatur; non obstabit Matrimonii valori, prout rursum in confesso est apud omnes. *Ratio* est: quia alioquin non censetur quis ab alio cogi, sed moveri à se ipso, occasione metûs gravis mali apprehensi.

Tertiò volunt: ut metus sit *injustè* incussus. Dum enim metus à causa libera, & in ordine ad extorquendum Matrimonium incutitur *justè*, seu ex causa legitima, v. g. à judice Ecclesiastico excommunicationem alicui minitante, nisi Matrimonium contrahat, cum *tali*, cui illud reverà promisit; nihil officiet valori Matrimonii. *Ratio* est: quòd tunc metus non tam à judice, vel alio homine, quàm ab ipso jure, aut ipsa incutiatur lege, volente; ut positis certis circumstantiis, quis sub gravi reatu & pœna, nuptias contrahere teneatur. Quo facit: quòd jura haud indistinctè irritent Matrimonia metu inita, sed tunc duntaxat: quando metu injustè incusso, sunt extorta. Vide *Sanchez lib.* 4. *Disp.* 17. *n.* 3. & plenissimè *Bosco part.* 5. *Disp.* 11. *sect.* 7. nec non *Anacletum Reiffenstuel ad tit. de Sponsal & Matrim.* §. 9. ubi *à n.* 333. An & quatenus Matrimonium metu gravi injustè incusso initum, & consequenter jure Ecclesiastico irritum, validetur per subsequentem copulam vel cohabitationem? Solidè tradit. Ex dictis

69. Deduces 1mò. Vim & metum gravem ad contrahendum Matrimonium injustè incussum, etsi absolutè non auferat consensum ad hunc contractum jure naturæ requisitum, equidem id operari, ut propterea rescindi possit, præcipuè, cum ex principiis juris naturæ; præscindendo scilicet à jure Divino positivo, haud evidenter probari possit perpetuitas seu indissolubilitas conjugii, prout supra *n.* 11. insinuavimus.

70. Sed quis (Ais) in statu merè naturali, ubi nullus agnosceretur superior, ejusmodi nuptias rescinderet? Resp. Datô, quòd in statu naturali, nullus agnosceretur superior, tunc talis contractus rescindi posset ab illo, qui vim aut metum passus est.

71. At (Regeres) Quomodò vim passus, aut quivis alius superior, rescindere, aut irritare potest contractum hunc jure naturæ *validum*, cum nullus mortalium quid possit in jus naturæ? Resp. Neminem mortalium quid posse contra jus naturæ *præceptivum* vel *prohibitivum*, ast potestatem humanam extendi ad ea, quæ sunt juris naturæ *permissivi*, è quorum classe est casus de Matrimonio, metu, contracto. Non enim jus naturæ præcipit, tale Matrimonium debere teneri validum; sed duntaxat permittit, si pars injuriam passa demum acquiescat.

Deduces 2dò. Quòd, ùt ùt jure naturali *permissivo* de se subsistat matrimonii, vi aut metu initi, valor; equidem, ob summam æquitatis rationem, Ecclesia illud de facto prorsus *nullum* & *irritum* esse statuerit, ita, ut jam Matrimonium taliter extortum, statim ab initio, sit *informe* & *invalidum*. Quod idem dicendum de *cultûs disparitate*.

72. Deduces 3tiò. Quòd, etsi non sit omnino expeditum, an *de jure naturæ*, conjugii vinculum rumpi nequeat propter adulterium alterutrius, malitiosam itidem desertionem, morum intolerabilitatem, sterilitatem, aut similes causas Matrimonii bona respicientes; certum tamen & fide tenendum sit, quòd Matrimonium inter fideles, *jure divino*, ita perpetuum & indissolubile existat; ut ejus vinculum nec per adulterium, nec per malitiosam alterius desertionem, nec per aliud compartis crimen, rumpi possit.

De Adulterio quidem (ùt videre est apud *Gratianum. caus.* 32. *q.* 1.) olim etiam inter Catholicos dubitatum fuit, num per illud rumpi queat conjugii vinculum? Quinimò Græci etiamnum tenent, Matrimonii vinculum rumpi per compartis adulterium, quod Oratores Venetos, in Synodo *Tridentina* exposuisse scribit *Cardinalis Pallavicinus lib.* 22. Historiæ *Concilii Trident. cap.* 4. qui Oratores teste eodem *Purpurato*, petierunt, ut Concilium ad istum Græcorum morem, reflexionem faceret, ne alioquin, propterea perpetuam ab Ecclesia Romana secessionem instituerent in insulis Reipublicæ Venetorum subjectis. Nihilominus sacrosanctum œcumenicum Concilium *sess.* 24. *De Matrim. can.* 7. ita decrevit: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm docuit & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi; & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissâ adulterâ aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit.* Igitur effatum Christi: *Quicunque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem &c.* non eam conficit sententiam ab Herodoxis malè fabricatam, quasi ob adulterium compartis, alter innocens, Matrimonii vinculum rum-

rumpere, & ad nova vota transire posset, sed solùm insinuat, quòd innocens, à comparte adultera, secessionem facere possit *quò ad thorum & cohabitationem*, de qua secessione loquens **D. P. *Augustinus lib. 2. De Adulterinis Conjugiis. cap. 5.*** sic personat: ***Licitè itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob causam fornicationis.*** Cui consonat ***Divus Thomas in 4. dist. 35. q. 1. art. 1.*** ibi: ***Dominus dimittere uxorem concessit propter fornicationem, in pœnam illius, qui fidem fregit, & in favorem illius, qui servavit: ut non sit adstrictus*** ad reddendum debitum ***ei, qui non servavit fidem.*** Unde admisso ab uno conjugum adulterio, facta est innocenti potestas in perpetuum, quò ***ad thorum*** divertendi à comparte rea, potéstque sine consensu ejus, vitam religiosam amplecti vel sacros Ordines suscipere, prout decisum in ***cap. 15. & 16. De convers. conjugat.***

53. Facessat igitur cum reliquis Evangelii deformatoribus, ***Puffendorfius***, qui in suo opere ***de J. N. & G. lib. 6 cap. 1. n. 21.*** non discernens inter divortium ***quò ad thorum***, & ***quò ad vinculum***, in eum lapsus est errorem, ut asseruerit; non solùm propter compartis adulterium, sed etiam malitiosam desertionem, innocentem, ad secunda vota, transire posse. Minùs audiendus est ***Puffendorfii*** Paraphrastes ***Kemmerichius***, qui adulterio tanquam causæ naturaliter [prætensè] dirimenti, adjungit inimicitias capitales, sterilitatem aut mores alterius intolerabiles. Alii ejusdem ***Puffendorfii*** commentatores, cum ***Fleischero*** latiùs progrediuntur, effutientes: Matrimonii vinculum etiam rumpi posse, ob alterius relegationem perpetuam, morbum sonticum ***&c.*** non verò ***ob Hæresin***, imò nec ***Atheismum.*** Omnes isti Pseudo-Moralistæ, errorem suum, hac in parte, hauserunt ex ***Seldeno***, ex quo ***Puffendorfius loc. cit. §. 23. pag. Mihi*** 835. jactitat: divortio inter antiquissimos Christianos, ex aliis quoque causis, quàm adulterii, fuisse licita, ***donec*** (ô convitium orco dignum) ***Pontificum superstitione & iniquitate, conjugii vinculum... insolubile declaratum sit.***

Postquam de Statu conjugali, non inutilia proposuimus; QUÆRI adhuc posset; An & qualis potestas, jure naturæ, competat marito in uxorem? item: an major potestas in proles competat Patri, quàm Matri?

Profectò, si vel ipsum jus naturæ, præscindendo à statu naturæ lapsæ, consideremus; mox in animum occurret, quòd per se loquendo, marito, vi status conjugalis, aliqua competat potestas ac superioritas ***saltem directiva*** in uxorem; adeóque non sit perfecta æqualitas inter conjuges. ***Ratio*** est: quia sana ratio postulat, ut præstantior, firmior, fortiórque sexus, sequiori, infirmiori & imbecilliori præsit: jam autem vir tanquam caput mulieris, est utique individuum perfectius; ***cùm vir creatus non sit propter mulierem, sed mulier propter virum.***

75. DICES ***1mò.*** Mulier ante peccatum, non meruit puniri, & ***Eva*** à Deo producta est in adjutorium viri, ut esset ejus socia, non verò, ut esset ipsi subjecta; siquidem postquàm ***Eva*** seduxerat ***Adamum***, ipsi in pœnam, priùs dictum est: ***sub viri potestate eris.*** Adeóque ante peccatum, ***Eva*** fuit æqualis conditionis cum ***Adamo.*** RESP. Argumentum solùm probare, quòd ante peccatum, ***Eva*** non fuerit ***Adamo*** subjecta, quò ad potestatem ***coactivam***, licet ei fuerit subjecta, quò ad potestatem ***directivam***, hæc enim subjectio non sapit pœnam, sed oritur ex natura sexûs fœminei, masculino imperfectioris,

fectioris, argumentó naturæ Angelicæ, in qua ob majorem vel minorem perfe-ctionem, individuis, à Deo inditam, adstruitur inter Angelos subordinatio *Hierarchica*.

Dices 2dò. Natura fecit omnes æquales & liberos, & major individui perfectio, utpote accidentalis, non confert potestatem in aliud individuum minùs perfectum, alioquin etiam unus mas debilior, alteri fortiori, & naturæ dotibus magìs instructo, subjectus esse deberet. Resp. Tametsi naturæ jure *permissivo*, omnes nascantur liberi; quia servitus *jure Gentium*, contra, seu *præter* naturam, est introducta; nihilominus natura non facit fœminas viris, quò ad nativam conditionem æquales per se loquendo; licet per accidens, hæc vel illa mulier, possit esse, isto vel illo viro, fortior, prudentior & præstantior. Porrò, etsi major perfectio, *per se* non conferat potestatem in alium, confert tamen vi statûs coniugalis, qui subordinationem postulat inter conjuges. Si enim mulier esset æqualis viro, qua ratione in statu conjugali, perpetuam cohabitationem postulante, concordia diu inter conjuges, conservari posset; præsertim, cùm mulieres soleant esse capitosæ & imperiosæ, & sexûs sui imbecillitatem non facilè agnoscant. *Meritò* igitur dicente *S. Chrysostomo in cap.* 11. *Epist.* 1. *ad Corinth. fœmina viro subjicitur, quia æqualitas honoris, pugnam parit.*

76. Si de potestate *coactiva* mariti erga conjugem inquiramus; illa post *Evæ* peccatum, adscribenda est juri divino. Dixit enim Deus *Genes.* 3. ℣. 16. *Sub viri potestate eris*, & *ipse dominabitur tui*. Quò respexit Apostolus *Petrus*, dum in Epistola sua *prima cap.* 3. ℣. 1. hortatus est mulieres, ut sint subditæ viris suis. Unde conclusit *Divus P. Augustinus* in locum *Genesis citatum*, quòd uxor maritum habere meruerit Dominum, *non naturâ*, *sed culpâ*. Ita, ut subordinatio jure naturæ merè *directiva*, transierit in *subjectionem* peccati *pœnalem*, vigore cujus, uxor etiam reluctans, mariti imperio [dummodo illud juri naturali vel divino non repugnet] obsecundare cogitur. Exinde

Christiani divinam legem non ignorantes, hoc pacto conjugia pangunt, ut uxor viri imperio sese substratam agnoscat, quinimò Gentes pleræque, etsi divini decreti ignaræ, Christianorum mores sequuntur, & parili conditione nuptias contrahunt.

77. Cæterùm, potestas mariti in conjugem, nequaquam est *despotica*, *herilis* vel *absoluta*, quæ conjuncta sit cum jure *vitæ & necis*, prout stolidè censet *Fridericus Hornius lib.* 1. *De civitate. cap.* 1. §. 5. *n.* 16. Sed *domestica*, intra societatis conjugalis & familiæ ritè regendæ terminos, restricta. *Ratio prioris partis est;* quòd hujusmodi imperium nedum non congruat, sed etiam positivè repugnet societati conjugali, quæ amore fulciri & foveri debet. Quòd, si uxor atrocius quid in virum attentaret; in *statu composito* seu *civili*, judicis officio, puniri, aut in familia *segrege*, spectato naturæ jure, tanquam hostis ejici, &; si aliter ejus maleficiis occurri non posset; quadantenus jure belli, seu defensionis naturalis, interimi posset. *Ratio posterioris* est: quòd societas conjugalis, aut Matrimonii finis, aliam in marito non postulet superioritatem, nec subjectionem in uxore. Cæterùm, potestas *domestica* importat societatem quandam inæqualem, vi cujus uxor tanquam inferior, marito velut superiori & capiti parére tenetur, non quidem *absolutè* & *indistinctè*, sed in causis duntaxat conjugium & familiam re-

respicientibus. Et hinc est: quòd uxor quò ad domicilii determinationem, cohabitationis modum, familiæ sustentationem *&c.* mariti arbitrio obtemperare debeat.

Licet autem hac ratione, uxor Marito *civiliter* subsit; is tamen herilem potestatem citra tyrannidem sibi arrogare non potest in uxorem; neque eam ùt *servam*, sed, ùt *thori sociam*, tractare debet: talis enim potestas repugnat tum juri naturali, quod libertatem fovet, & servitutem juri Gentium adscribit: tum juri Divino, quod inter conjuges præcipit amorem & honorem, & prohibet amaritudinem. 1. *Petri. cap.* 3. Tum denique juri *Gentium*; siquidem consuetudine populorum magìs moratorum, mitiùs tractantur à viris uxores, quàm ab heris *servæ*. Cum quo tamen stat, quòd viro moderata correctio mulieris, etiam per verbera, si necessitas ita postulaverit; non sit deneganda.

Ad discernendum, an æqualis potestas Matri ac Patri competat in liberos? non oportet inspicere jus Civile, certum enim est, quòd illo jure, patri tanquam familiæ capiti, potior potestas & familiæ regimen attribuatur, prout patet ex *titulis Instit. & Cod. De Patria potestate*; & ex *titulo Digestorum: De his, qui sui vel alien. juris sunt.* Hìc indagamus, quid jus naturæ, circa parentes & liberos importet? Et

78. Dicendum: quòd, etsi tam Mater, quàm Pater, jure naturæ, habeat potestatem in liberos, & uterque, proles alere & familiam regere teneatur; equidem præcipua potestas in liberos & familiam regundam, competat Patri. Et hæc conclusio fluit ex dictis supra *n.* 74. ubi probavimus; quòd jure naturæ, marito competat potestas *directiva* in ipsam uxorem, adeóque & superioritas in totam familiam, in qua liberi, primas partes faciunt.

79. Ut ùt autem res ita se habeat de jure naturæ; fieri tamen per pacta posset; ut exercitium potestatis & familiæ regimen, *privativè* ad Matrem spectaret. *Ratio* est: quia jus naturæ nihil aliud postulat, quàm prolium educationem, præscindendo: an id fiat per curam principalem Matris, vel patris: modus enim educationis, relictus est parentum arbitrio. Unde apud Babylonios, teste *Petro de Valle*, ex pacto conjugum, Pater in filios, Mater in filias, potestatem exercebat. Quin & *Amazones*, eâ lege dicuntur nupsisse; ut proles in sua potestate forent & suo arbitrio instituerentur.

80. Hac in parte rectè scripsit *Grotius. lib.* 2. *De J. B. & P. cap.* 5. §. 1. quòd *generatione* utrique parentum jus acquiratur in liberos, sed, *si contendant inter se imperia* [id est: aliud pater, aliud mater, circa rem in utramque partem licitè fieri possibilem, præcipiat] præferendum sit patris imperium, ob sexûs præstantiam.

81. Paradoxum itaque est, quod scripsit *Hobbesius Tract. De Cive. cap.* 9. §. 2. apud *Puffendorfium lib.* 6. *de J. N. & G. cap.* 2. §. 2. scilicet Matri competere præcipuam potestatem in liberos, tum propter *præoccupationem* (censet enim jure naturæ, dominium infantis ad eum pertinere, qui eundem primò apprehenderit: jam autem (inquit) mater primò apprehendit infantem. Ergo. [Tum propter certam scientiam, scit enim mater, quis sit pater infantis. Tum denique propter dolores puerperii, majorémque laborem matris in liberorum educatione. Verùm hæ rationes phantastico nituntur fundamento. Non enim Matri ulla potestas in liberos attribuenda ex alio titulo, quàm *generationis* quatenus mater cum patre ad

fieri.

fieri & *esse* liberorum concurrit, & quia consequenter proles est pars matris. Alioquin, si propter præoccupationem, matri attribui deberet dominium infantis; sequeretur, quòd plerumque *Obstetrix* matri dominium infantis præriperet. Altera *Hobbesii* ratio ad rem nihil facit, licet enim mater sciat, quis sit pater infantis, hæc tamen scientia non facit, quòd mater, naturâ, sit pater. Licet etiam pater jure *Romano*, liberos extra justum Matrimonium natos, in sua non habeat potestate; inde quoque non sequitur, quòd illos alere non teneatur, siquidem leges Romanorum loquuntur de effectibus specialibus patriæ potestatis, quos voluntas legislatoris introduxit, non verò de juribus & effectibus potestatis patriæ à natura profectis. Porrò quanquam mater, majores dolores & labores infantis causâ, sustineat ante & post partum, quàm pater; inde nihil aliud inferri potest, quam quòd memor esse debeat suæ conditionis, quam post *Evæ* peccatum subiit omnis mulier, quæ ex voluntate viri, concepit. Dixit enim *Evæ* Deus: *paries in dolore &c.* Igitur ex miseria sexûs fœminei, malè arguitur, quòd mater præemineat patri, aut *costa* fiat *caput*.

82. Petes: Quousque se extendat patria potestas? Ante Responsionem Nota: Patriam potestatem consistere in jure ea omnia agendi, sine quibus vita liberorum, ad obtinendum societatis hujus finem, dirigi nequit. Unde importat jus jubendi, prohibendi & debito modo immorigeros castigandi, habitâ tamen ratione ætatis liberorum. Siquidem, ùt bene observat *Grotius lib. 2. de J. B. & P. cap. 5. §. 2. n. 1.* Distinguenda sunt in liberis tria tempora: primum, *imperfecti judicii* seu pueritiæ, dum, ùt *Stagyrita* loquitur 1. *Polit. cap. ult.* abest *vis electrix*, id est capacitas discernendi inter noxia & utilia. Secundum tempus *perfecti judicii*, quo tamen filius manet pars familiæ parentum. Tertium tempus, *quo filius ex familia parentum excessit.* Nunc ad quæsitum.

83. Resp. In primo tempore, omnes liberorum actiones, sub dominio seu regimine ac directione sunt parentum. Cùm enim infantes in hujusmodi tenella ætate, se ipsos regere nequeant; æquum est, ut ab iis regantur, quibus natura educationis officium injunxit. Est tamen eo quoque tempore filius aut filia capax dominii *in res*, ex jure gentium; potest enim infantibus donari, quo casu defectus judicii, in acceptatione, à parentibus suppletur. Equidem dominii exercitium, ob judicii imperfectionem & imbecillitatem, penes parentes est. Quare, ut res omnes liberorum, parentibus acquirantur, non naturale est, sed ex quorundam populorum legibus, quæ & patrem à matre in hac re distinguunt, & filios non emancipatos, ab emancipatis, & *naturales*, puta: nothos, spurios, & extra conjugium susceptos, à *legitimis.* Quæ discrimina jure Romanorum invecta (vide §. 1. *Instit. Per quas personas cuique acq.*) natura ignorat, exceptâ sexûs virilis præ muliebri præstantiâ, si imperia inter se contendant; id est, si parentes in jubendo dissentiant.

In secundo tempore, seu ætate *media*, dum jam judicium ætate maturuit, subsunt parentum imperiis non aliæ actiones, quàm, quæ ad familiæ statum aliquid momenti habent. Æquum enim est, ut pars conveniat cum ratione totius. In cæteris autem actionibus, habent liberi facultatem agendi *absolutè*, etsi ex pietate, observantia & gratitudinis officio, studere semper debeant, ut agant illa, quæ parentibus placent. Ex quo resultat; quòd, etsi in pangendis nup-

nuptiis, liberi parentum voluntatem explorare, & illi se accommodare ex pietate & observantia debeant; nuptiæ tamen citra vel contra voluntatem ipsorum contractæ, viribus subsistant, prout alibi fusiùs dictum.

In tertio tempore, quo nempe liberi extra familiam parentum, per nuptias & separatam œconomiam constituti, ac naturaliter quadantenus emancipati sunt; actionum suarum liberam habent potestatem, & *sui juris* censentur, remanente tamen semper illo pietatis & observantiæ naturali debito, cujus causa perpetua est. Ex his

Colliges 1mò. Patriam potestatem quò ad facultatem castigandi liberos delinquentes, propriè usum habere in primo & secundo tempore, cessare verò in tertio quo scilicet liberi sui juris effecti, extra familiam & curam parentum constituti sunt.

84. Colliges 2dò. Nec in primo nec secundo tempore, hanc castigationis potestatem spectato jure naturæ, in delictis etiam atrocioribus, porrigi posse ad summum jus vitæ & necis. Tanta enim potestas nec necessaria est ad finem conservandæ familiæ, [siquidem in casu atrocioris delicti, vel incorrigibilitatis, ejectioni locus esse posset] neque amori paterno congruit, ut pater in sceleris vindictam, vitam quàm dedit filio auferat, & in eum carnificem agat. Quod si filius meritò è familia ejectus, vitæ patris insidiaretur, tunc quà hostis, jure naturalis defensionis perimi posset.

85. Dices 1mò. Cum *Puffendorfio*, *Hornio*, *Thomasio* & aliis. In veteri testamento suppetunt exempla, ex quibus constat, quòd Pater jus vitæ & necis exercuerit in liberos. Sic de *Juda* legitur *Genes.* 38. ỳ. 24. quòd *Thamarem* Nurum suam occidi mandaverit, dicendo: *ducite eam, ut comburatur.* Idem exemplum prostat in *Saule* respectu *Jonathæ* filii ejus. Quin & post Christi adventum, *Constantinus* filium suum *Priscum* occidi mandavit, ut de aliis nihil dicam, qui propriis etiam manibus, filios degeneres & facinorosos trucidâsse leguntur. Quod facit; quòd veteres Romanorum leges jus illud Patri expressè asseruerint. Resp. Jus illud aut exercitum fuisse à Patrefamilias, non *qua tali*, sed quà supremo imperante & publico legum custode & vindice; aut certè minùs legitimè usurpatum fuisse. Sanè; si patri quà tali, jure naturæ competeret jus vitæ & necis in filios delinquentes; cur saltem defuncto patre, non competeret etiam matri? De vetustis Romanorum placitis, non tam ex rationis præscripto, quàm truculentia *Martiali* profectis, non est, cur loquamur; cùm sciamus Justinianum Imperatorem, *l. unic. Cod. De emendat. propinq.* & *l. unic. Cod. De his, qui parent. vel liber. occid.* hanc sustulisse immanitatem.

Dices 2dò. Familia refert figuram Civitatis, Pater personam Principis: atqui Senatus in Civitate, & Princeps in suo principatu, morte plectere potest facinorosos: Ergo & Pater liberos atrociora perpetrantes: Resp. Patrem quidem respectu familiæ, referre *analogicè* personam illius, qui Civitati vel Principatui præest, non tamen *univocè* & perfectè; potestas enim Civitati aut summo Principi competens, est publica, independens, & perfecta; potestas verò competens Patri, est privata, subordinata, & imperfecta, si Pater nempe degat in societate composita, seu Civitate, aut sub Principis imperio. Quòd, si extra civitatem, segregatim vivat, & tanquam caput familiæ suæ consideretur; ejectionis, vel alio mitiore remedio, liberorum excessus emendare poterit.

86 Hîc disceptari solet, an Pater filium in necessitate, alteri oppignorare vel planè vendere possit? Resp. cum *Grotio loc. cit.* §. 5. Quòd etsi imperium paternum ita sequatur Patris personam, ut ab eo avelli, inque alium transferri non possit; nihilominus, si alia ratio alendi filium non suppetat; possit ipsum alteri oppignorare; imò & vendere, non quidem, ut detrudatur in propriè dictam servitutem; sed, ut alteri constituatur jus aliquod, simile dominio utili, iisque habeat jus utendi servitio filii. *Ratio* est: quia ipsa natura censetur jus dare ad omne illud, sine quo obtineri non potest, quod ipsamet imperat. Jam autem natura imperat Patri, ut filium, alendo, conservet; ergo, si non possit ipsum aliter alere & conservare, quàm eundem oppignorando vel vendendo; utique ad hoc, à natura, jus habere censendus est. Atque ex hoc fluit, quòd Pater multò magis possit filium suum alteri in adoptionem dare. Ex dictis

87. Habes 1mò. Originem patriæ potestatis, prout hæc matri communis est desumi debere à fine, ob quem coaluit status familiæ, nempe ab obligatione educandi liberos. Cùm enim natura parentibus imposuerit officium seu obligationem alendi & debitè, seu honestè, educandi proles; necessariò natura iisdem suppeditare debuit medium, ad finem illum assequendum omnino requisitum: medium autem illud est *patriæ*, seu jubendi potestas in parentibus & obsequendi necessitas, in liberis. Ergo.

Habes 2dò. Quòd patria potestas hoc loco, intelligatur esse jus parentum in liberos, quo actiones ipsorum ad vitam honestè & feliciter transigendam diriguntur.

88. Habes 3tiò. Statum familiæ paternæ, esse societatem plurium personarum, quæ unius potestate, per ipsam naturam, educationis causâ, sociatæ sunt. *Educationis* inquam *causâ*: quo nomine venit sobolis à prima infantia ad maturitatem, tum corporis, tum animi, conveniens perductio: quorsum referuntur omnia auxilia & officia, quæ parentes liberis præstant, tum ad corpus conservandum, tum ad animum formandum & excolendum.

89. Habes 4tò. Patriam potestatem *absolutè consideratam*: esse juris naturæ & Gentium, & matri quoque competere; licet, ùt dictum; non in gradu tam excellente, quo patri; eò quòd jure naturæ, potestas matris, maritali imperio subordinata sit. *Dixi*: *absolutè consideratam*: *relatè* enim ad Rempublicam Romanam, est juris civilis, intuitu nempe formæ & effectuum. Unde alii dicunt: *patriam potestatem* juris naturalis esse, *jus* verò *patriæ potestatis peculiare*, juris esse civilis. Ubi

Observandum: quòd plurimi effectus, quod jus civile Patriæ potestati attribuit, fundentur in jure naturali, & ex illo æquitatem suam hauriant. Sic juri naturali valde convenit 1. quòd Pater filium contumacem & degenerem, conclavi includere, & pro re nata, vinculis constringere possit, absque hoc, quòd reatum carceris privati incurrat. Ita *Doctores*. ad *l. unic. Cod. De carcerib. privat.* 11. Quòd parentes, liberos ab aliis detentos vindicare possint, per *interdictum*. *De liberis exhibendis. l.* 1. §. 2. *D. R.V.* 3. Ob injuriam liberis inustam, injuriarum actionem intentare. §. 2. *Inst. De injuriis.* & contra liberorum depravatores, *utili actione servi corrupti* experiri queant. Quinimò, quòd pater olim juxta *legem Juliam. De adulteriis.* impune potuerit cum adultero, occidere filiam in crimine repertam, & quòd olim patri datum fuerit jus vitæ & necis in personas liberorum

rum delinquentium; non prorsus deviat à rationis naturalis dictamine, licet prior potestas, potissimùm ob animarum periculum, canonum jure, Patrifamilias sit adempta, per *text. in can. Si quod veriùs.* 33. *q.* 2. & veteris juris civilis rigor mitigatus fuerit, quò ad correctionem liberorum, per *l.* 5. *ff. Ad l. Pomp. De Parricid.* idque suadente cultiori ætate & Christianâ pietate, quæ insinuat, Patriam potestatem, magis amori, quàm crudelitati, subnixam esse debere. Similiter 4. valde congruit juri naturali, quòd filiusfamilias (dempto peculio *Castrensi vel quasi-Castrensi*) non sibi, sed Patri acquirat; cedit enim hujusmodi acquisitionis lucrum, in compensationem laborum, curarum & alimentorum, quæ Pater liberis impendit à nativitatis momento.

De Patria potestate & statu familiæ paternæ, hactenus satis actum; nunc de statu *Herili* pauca subjiciemus.

91. *Herilis status*, pars est *integralis* familiæ *simplicis*, *completæ* ac *domesticæ*; hæc enim complectitur societatem conjugalem, paternam & herilem, quia est conjunctio inter parentes, liberos, & servos.

Status herilis bene describitur, quòd sit: *societas inæqualis inter dominum & servum, eo fine instituta, ut hic in ejus commodum, debita servitia præstet.*

92. Servitus, quantum ad præsens, alia est *pactitia*, alia *legalis*. Prima habetur per contractum voluntarium servi cum domino, & propriè dicitur *famulatus*: & hæc servitus, si pro mercede suscipiatur, vocatur *mercenaria*, potéstque esse vel *temporaria* vel *perpetua*. Secunda seu *legalis*, vel *coacta*, habetur ex institutis Gentium, ac legibus, queis bello capti mancipabantur, & ideo *mancipatus* audit. De hac Servitutis specie agit Imperator in *tit. Inst. De his, qui sui vel alieni jur. sunt.*

Licet servitus *pactitia*, seu *famulitium*, originem remotam habeat ex inæqualitate conditionis humanæ, quatenus unus est naturâ hebes, agrestis & stupidus, alter ingeniosus, politus & agilis; adeóque unus ad serviendum, alter ad dominandum magis idoneus reperitur: hoc tamen de servitute propriè dicta intelligi nequit, quia natura relinquit omnes liberos, seu condidit omnes, quòad libertatem, æquales.

93. Servitus igitur *propriè dicta*, occasione belli, & quidem ex arbitrio victoris, victíque consensu coacto, *causaliter* introducta fuit, formámque à jure Gentium accepit. Ingens enim utilitas ex operis servorum resultans, accedente forsitan etiam commiserationis & humanitatis sensu, commovit victores, ut vitam miseram potiùs victis relinquerent, quàm illos trucidarent. Unde servi nomen non malè *à servando* deductum videtur, eò quòd bello capti, occidi cùm potuissent, ad servitia servati sint, arbitrio victoris, & extorto, metu mortis, assensu illorum, qui victi erant, qua de re pleniùs infra *cap.* 8. *sect.* 10.

94. Loquendo de *pactitia servitute*, patet; quod illa pro causa *proxima* habeat paciscentium voluntarium consensum, & ab illo, modum ac formam accipiat *Occasio* hujus servitutis est, quòd variante fortunâ, alii rebus abundent, alii egeant, & ditiores indigeant aliorum egentium operis & servitiis; hi verò locupletiorum subsidiis. Inde (inquam) ad pacta deventum est; & egeni, locupletioribus operam addixêre, ut ab ipsis alimenta consequerentur. Igitur inæqualitas conditionis, adegit homines ad hujusmodi pacta libertatis nativæ restrictiva. Ex quo

95. Resultat, quòd status herilis non sit juris naturalis *Præceptivi*, sed *merè* per-

permissivi; non enim est *necessitatis absolutæ*, ut fit sed *utilitatis* non repugnantis dictamini rationis, ut esse possit. Quia autem supponit factum libertatis congenitæ limitativum; ideo est status *adventitius*, qui ex hypothesi, quòd existat; sive ex voluntario pacto, sive ex consensu, jure captivitatis, extorto; jure naturæ, adstringit servum ad operas domino præstandas. Si

96. Sciscíteris: Quid herus possit in servos? Resp. Si de spontanea servitute sermo sit, videndum, quo pacto conclusa fuerit? pacta enim dant legem contractibus. Regulariter tamen dominus 1mò. servo injungere potest omnia servitia viribus ejus proportionata, & ad finem intentum conducentia. 2dò. Potest dominus percipere omnem utilitatem ex operis servi sui. 3tiò. Habet jus castigandi socordiam vel nequitiam servi, pro ratione delicti, absque tamen crudelitate & nimia sævitia; siquidem & servo *propriè dicto* injuria fieri potest. *l. un. Cod. De emendat. serv.* quod perperàm negat *Hobbesius. De cive. cap.* 8 §. 9. Confer §. 2. *Inst. De his qui sui vel alien. jur. sunt.* Ubi sic disponit Imperator: *Hoc tempore, nullis hominibus, qui sub imperio nostro sunt, licet sine causa legibus cognita, in servos suos, supra modum, sævire. &c.* Unde Dominus, nec in servum *pactitium*, nec in servum *propriè dictum*, jus vitæ & necis habet, prout erroneè tradit *Thomasius, in suis secundis curis. Ratio prioris* est; quia tanta potestas, ad finem intentum, non est necessaria Domino in servum mercenarium, qui summi supplicii loco, è familia ejici propriæque socordiæ relinqui potest. *Ratio posterioris* est: quòd in societatibus minoribus, cuivis privato non sit indulgendum, quod in civitate, ob commune bonum, Magistratui concessum. 4tò. Habet dominus jus imperandi seu demandandi servo *mercenario* operas ipsúmque ad illas cogendi etiam per verbera, non tamen vendendi invitum. Tale enim jus non censetur servus ex pacto concessisse domino, voluit enim se tradere huic domino, non cuicunque alteri fortè duriori.

Loquendo de servitute *propriè dicta*, certum est, quòd hæc domino longè potentius jus attribuat, quod quadantenus *jus proprietatis* dici potest, vigore cujus non tantùm persona *mancipii* alienari potest, sed & omnes ejus res domino obnoxiæ sunt. Quidquid enim servus acquirit vel habet, domino cedit.

Sicut autem servi, domino justè & rationabiliter præcipienti semper obtemperare, personæ ejus reverentiam exhibere, utilitatíque ejus intendere debet, donec servitus ad tempus fortè contracta, *temporis lapsu*, aut servitus propriè dicta, *manumissione* dissolvatur; ita vicissim domino incumbit, servo mercedem ex contractu persolvere, alimenta aliáque vitæ necessaria suppeditare, jussa & imperata viribus servi attemperare; citra rationem in eum non sævire, multò minùs eundem, ùt jumentum tractare; cùm, etsi desierit esse *liber*, non desierit tamen esse *homo*. Ut meritò *Justinianus* §. 2. *Inst. De his, qui sui vel alien. jur. sunt.* Sic statuerit: *Si intolerabilis videatur sævitia dominorum, cogantur servos suos, bonis conditionibus vendere; ut pretium dominis daretur & rectè, expedit enim Reipublicæ, ne suâ re quis malè utatur.* Quinimò, juri naturæ *permissivo* minimè congruit servitus illa barbara & inhumana, qua servi vix in hominum numero, sed planè *pro nullis* habiti fuêre veteri Romanorum jure.

CAPUT

CAPUT III.

DE

Societate composita seu de Civitate.

SUMMARIUM.

1 *Civitas unde, & quem in finem, constituatur*

2 *Cur homines civilem ambiant Societatem?*

3 *Origo Civitatum*, Juri Gentium *adscribenda, non verò juri naturali* præceptiva.

4 *Jus naturale tamen suadet Societatem civilem.*

5 *Quæ fuerit causa* impulsiva *Civitatum condendarum?*

6 Kemmerichii *opinio refertur.*

7 *Refutatur* Kemmerichii *discursus.*

8 *Quæ sit causa* efficiens *Civitatis?*

9 *Quæ itidem causa* materialis *&* formalis?

10 *Quot homines constituant Civitatem?*

11 *Quid sit Civitas?*

12 *Inter* Catholicos *&* Protestantes *disceptatur; in quo consistat beatitudo seu felicitas civilis.*

13 *Impia, hac in parte*, Machiavelli *opinio adoptata à* Puffendorfio.

14 *Uterque Pseudopoliticus refellitur.*

15 *Quatenus Civitates sint propter Religionem?*

16 *Quis sit finis Civitatis, considerato statu hominum merè naturali; & quis itidem finis Reipublicæ* Christianæ?

17 *Error* Protestantium, *Civitatis etiam Christianæ finem collocantium in felicitate* merè externa.

18 *Civitas primordialiter coalescit ex pacto expresso vel tacito familiarum.*

19 *Civitates aut sunt* Regulares, *aut* Irregulares.

20 *Quæ sint Civitates* Regulares *vel* Irregulares?

21 Monarchia *quid sit?*

22 *Quid* Aristocratia?

23 *Quid* Democratia?

24 *Quid porrò status* mixtus?

25 Imperium Romano Germanicum, *hodie est status* mixtus.

26 *Quâ ratione, Civitates efficiantur* irregulares?

27 *Civitas quomodò desinat esse?*

27

---

1. E Triplici statu Societatis simplicis, puta: *Conjugalis, Paternæ & Herilis*, coalescit status Familiæ, è Familiis verò consurgit status magis compositus, scilicet status *Civitatis*, quæ generatim dici potest: quodvis corpus *politicum* in suo genere perfectum, & civilis beatitudinis causâ, in commune coadunatum: sivè, ùt loquitur *Grotius lib.* 1. *De J. B. & P. cap.* 1. §. 14. *n.* 1. Civitas, *est cœtus perfectus liberorum hominum, juris fruendi & communis utilitatis causâ sociatus.*

2. Civitatis Originem, plures, quos sequitur *P. Franciscus Schmier, Ordinis S. Benedicti, in sua jurisprud. public. univers. lib.* 1. *cap.* 2. *Sect.* 4. §. 2. *n.* 157. Deducere contendunt, ex jure hominibus congenito. Tum quia *homo est* [ùt loquitur *Doctor Angelicus in* 1. *Polit. cap.* 1. *lect.* 1.] *naturaliter animal domesticum & sociale*, & quidem Sermone præditum ac ratione instructum, ut sibi de vitæ felicitate perfecta consulere possit, maximè, quia ea est naturæ humanæ conditio, ut tam animi, quàm corporis miseriis & necessitatibus pressa, aliorum culturâ, ope atque auxiliis indigeat, ac proindè Societatem aliorum quærere necessum habeat. Tum; quia, cùm homo appetat Societatem simpliciter, ut consequatur ea, quibus absolutè carere nequit; videtur etiam naturaliter inclinari in Societatem civilem, ut assequatur ea, quæ ad commodiùs subsistendum conducunt.

3. Rectiùs tamen sentiunt, qui civitatis originem, Juri Gentium, tacitóve vel expresso hominum pacto adscribunt. Cui non adversatur, quòd etiam Civitatis institutio aliquatenus referenda sit ad jus naturale, si per jus naturale, intelligamus

mus in sensu latiore, inclinationem & appetitum ad omne id, quod rationi quomodocunque convenit. Natura enim indit homini, modo quodam *suasivo* inclinationem ad societatem civilem, velut naturæ rationali valde consentaneam; ast natura nequaquam præcipit societatem istam, tanquam determinatè & simpliciter necessariam: id quod requireretur, si originem civitatis, juri naturæ rigorosè accepto, adscribere vellemus. Identidem igitur recole, quòd jus naturæ propriè dictum, prospiciat homini de necessariis *absolutè* & *simpliciter*, sine quibus obtineri non posset felicitas creaturæ rationali debita, & ipsa natura foret manca & defectuosa. Proinde licet homo sit animal sociale, quod suopte instinctu, nititur sibi prospicere de alieno subsidio per societatem aliquam, conservandæ vitæ suæ, indispensabiliter necessariam, ac simpliciter sufficientem; inde tamen nequit inferri; quòd pari impetu feratur in societatem civilem, quæ non conducit, nisi ad *abundantiùs*, *meliùs* & *commodiùs* subsistendum. In idem recidit, si dixeris: Civitatis originem esse juris naturalis *permissivi* seu *negativi*, non verò *præceptivi* seu *affirmativi*. Item; si dixeris. naturam appetere societatem civilem, ductu rationis oportuniora & meliora suadendis; ast non rationis imperio, ad simpliciter necessaria, veluti cogente. Utique naturalis ratio suadet, ut adnitámur assequi utiliora & commodiora; non jubet tamen, nec obligationem inducit tendendi in illa, velut media ad assequendum felicitatem sibi præfixam necessaria. Unde

4. Concludendum; quòd civitatum incunabula attribuenda sint juri naturali non quidem *præcipienti*, sed *concessivo* & *suadenti* hujusmodi associationem velut naturali hominum genio magis accommodam, puta: acquirendis utilitatibus & amovendis incommodis peroportunam.

Dixi: *juri naturali non præcipienti &c.* Nequaquam enim probari potest, quòd civitatum institutio tantæ sit necessitatis, ut humanum genus alioquin subsistere finémque suum assequi non posset, cùm ante urbes conditas, quando adhuc familiæ segreges existebant, homines sciverint suis consulere necessitatibus. Quò facit, quòd hodiedum multæ dentur Coloniæ, quæ merces necessitati aut voluptati subservientes, ab exteris petunt, absque hoc, quòd cum iis in unam civitatem coïre necessùm ducant.

5. Quia tamen observatum fuit, quòd homines in unum cœtum vel corpus congregati, sibi mutua officia & auxilia faciliùs præstare potuerint; & quòd ingravescente improborum malitiâ, vix securius præsidium contra malignantium ausus consequi potuerint, quàm si civitatum munimentis se tutos redderent; ideo bene dicitur: quòd causa *impulsiva* civitatum conditarum, fuerit tum indigentia, majórve utilitas & commoditas: tum metus proborum ab improbis, ob mala scilicet probis, ab improbis, extra civitatem impendentia. Constat enim, quòd in cœtu sic coadunato, habeatur plenior vitæ sufficientia ex mutuis auxiliis majúsque tutamen ad pericula quæcunque propulsanda.

6. *Kemmerichius*, *Puffendorfii* Epitomator, ratus fuit; metum pravorum à probis, suppeditâsse ansam civitatum condendarum, eò quòd facinorosi homines, primitus civitates exstruxerint & adscitis scelerum sociis, in illas sese abdiderint, quò tutiùs probos spoliare & facultatibus exhaurire possent. Fatus Author opinionis suæ fundamentum haurire nititur ex S. Scriptura, quæ memorat primos civitatum conditores, non fuisse pios Patriarchas: *Sethum*, *Noachum* vel *Abrahamum*, sed impios: *Cainum*, ante & *Nim-*

Nimbrodum, post diluvium. Quò facere videtur: quòd testibus sæculorum Fastis, penè omnium Regnorum ortus & incrementa tyrannidi, oppressioni, & violentæ occupationi adscribantur.

7. Hæc tamen opinio, meritò rejicitur. Tametsi enim raptores & latrones ad consequendam scelerum suorum impunitatem, castra, Præsidia, & munimenta suscitaverint; inde tamen concludi nequit quòd primæva & sana ratio urbium condendarum, fuerit malitia improborum: quia præscindendo à facinorosis hominibus; etiam justi & probi, alienis subsidiis, adjutoriis & adminiculis, saltem ***ad melius esse***, opus habebant; ut nihil dicam de ipsis improbis, qui etiam in civitate, mutuis egent officiis. Abs ratione igitur Civitatis seu societatis civilis institutum, malitiæ hominum, velut fonti primario attribuitur, quasi civitas, non nisi coagulum fovendæ & roborandæ iniquitatis foret. Cùm enim Civitas, de se sit perfecta societas & complementum totius sufficientiæ, teste *Stagyrita.* 1. *Polit. cap.* 2. cœtus iste, alio ex capite appetibilis est, quàm, ut sit improbitatis propugnaculum. Etsi etiam plura imperia & Regna, per injustam vim & tyrannidem occupata noscantur; inde tamen argumentum porrigi non potest ad id, quod non corruptæ rationis dictamine fieri aut factum esse decuit. Porrò; licet sacra historia narret, civitatem *Hennochiam* fuisse à *Caïno* conditam; inde non sequitur; quòd fuerit omnium prima. Et quid! Si à probis & integrioris vitæ hominibus aliena non appetentibus, & sibi propriâ sponte invicem succurrentibus, non fuerit civitas omnium prima, erecta? Anne idcirco concludendum; quòd Civitatum condendarum causa *originaria* vel impulsiva, sit improbitatis securitas, & illecebra impunè grassandi in innocentes ac probos?

8. Si de causa civitatis ***efficiente proxima*** quæstio moveatur; cohærenter concludendum est; illam haud aliam esse, quàm conventionem expressam vel tacitam eorum, qui animo pangendæ inter se societatis civilis, in unum cœtum seu corpus coïvêre. Non enim sine voluntaria singulorum inter se conventione, corpus hujusmodi *morale* coädunari potest, sed potiùs intelligeretur ***dissociata multitudo sine lege***, ***sine Rege.*** Ad civitatem autem debitè & ordinatè constituendam, necessum est, ut membra non sint paris conditionis, quia teste Philosopho; *Civitas non fit ex similibus.* Unde civitas consurgit *ex disparibus*, imperantibus scilicet & parentibus, ùt rectè quis dixerit: ad civitatis felicitatem, tres requiri hominum classes, *Quæstuosam* scilicet, quæ lucris, commerciis & communibus utilitatibus intenta sit; ***militarem***, quæ tam bellis intestinis obstet & tumultuantes refrœnet, quàm hostes publicos arceat; ac denique *Senatoriam*, quæ rem communem administret, & jus suum unicuique illæsum præstet. Ex quo ulteriùs

9. Resultat: *Causam materialem proximam* civitatis esse, cœtum hominum, in unum corpus *morale* seu ***politicum***, mutuæ pactionis vinculo, consociatum. *Causam remotam* esse familias, ex quibus cœtus iste conflatur: *Causam* porrò *formalem*, esse summum imperium, quod vel est ***Monarchicum*** vel ***Aristocraticum*** vel ***Democraticum*** vel etiam ***mixtum***, prout infra dicetur. Si

10. Petas: Quot homines requirantur ad constituendam Civitatem? *Resp.* Numerum hominum definiri non posse. Rectè igitur dicitur: tantam requiri hominum multitudinem, quanta ad finem felicitatis civilis, tam in promovendis commodis, quàm removendis incommodis necessaria est. Hoc equidem certum

est, quòd plures requirantur homines ad Civitatem ad initio constituendam, quàm ad illam ab interitu præservandam. Quare, si pauci superstites se defendere possint contra vim hostilem exterorum; poterunt sibi vindicare imperium, donec in justam multitudinem allectis aliis, excreverint; siquidem jura Collegiorum, possunt etiam conservari in uno.

11. *Supra n.* 1. Generatim descripsimus civitatem; ex dictis autem eruitur: quòd civitas specialiùs definienda sit: *Societas plurium perfecta, consensu singulorum coadunata, & summo imperio instructa in ordine ad felicitatem civilem.* Ubi Nota: quòd Civitas dicatur *Societas perfecta*, comparatione factâ ad familias segreges, quæ societates sunt debiliores & minùs validæ, non verò eo sensu, quasi civitas adeò plenam rerum omnium abundantiam, tantámque securitatem adversùs hostium impetus haberet, ut nec aliorum populorum subsidiis, sive per commercia, sive per fœdera, opus habeat, pacísque vel belli tempore, suis consistere posset viribus Experientia enim docuit, notante *Grotio lib.* 2. *De J. B. & P. cap.* 5. §. 8. *& cap.* 7. §. 4. quòd nulla sub sole, tam valida substiterit, aut etiamnum subsistat Civitas vel Respublica, quæ non aliquando exterorum ope indigere possit, sive ad commercia, sive ad propulsandam exterarum Gentium inter se fœderatarum potentiam.

12. Insinuavimus supra, finem civitatum fore, felicitatem seu beatitudinem civilem; sed inter Catholicos & *Protestantes* vehementer disputatum fuit; num beatitudo ista, veræ felicitatis nomen mereatur, si duntaxat concluderetur & arctaretur bonis & commodis temporalibus corpus attinentibus, absque respectu ad felicitatem internam animi, consistentem in virtute & honestate morum, ordinata ad consequendum finem ultimum alterius sempiternæ vitæ.

13. Eò impietatis prolapsus est *Machiavellus*, ut in *Præfat. suæ Speræ Civit.* effutiverit; Statum civilem, sine ulla virtute aut Religione, salvum subsistere & conservari posse. *Machiavello* haud sanior est *Puffendorfius*, qui in *libello: De habitu religionis Christianæ ad vitam civilem.* §. 54. & alibi tradit: Religionem, respectu statûs civilis, se habere *quasi impertinenter*, adeò, ut Principis nihil intersit, quid quisque civium credat, dummodo civili officio satisfaciat.

14. Falluntur autem, aut enormiter fallunt Pseudopolitici isti; quia felicitas *externa* consistens in temporalium bonorum affluentia, securitate & tranquillitate vitæ, tantùm est finis civitatis *materialis, inadæquatus* & *secundarius*; finis enim *adæquatus, formaliter* & *principaliter* importat felicitatem quoque *internam*, sitam in virtutis & honestatis cultu, Religioni saltem naturali, conformi. *Ratio* est: Quia finis civitatis adæquatus, non est felicitas qualiscunque, sed *humana* seu hominem decens, & eundem distinguens à brutis adeóque *primario* & *formaliter* importare debet felicitatem consistentem in virtutis & honestatis cultu, sine quo homo cum homine, imò nec secum ipso, diu pacificè & tranquillè vivere nequit. Merito igitur *Doctor Angelicus* vel alius quiscunque Author *lib.* 1. *De Regimine Principum cap.* 15. ad vitam hominis beatam duo requirit: unum *principale*, quod est *operatio secundum virtutem.* Virtus enim est, qua bene vivitur: aliud *secundarium* & *quasi instrumentale*, quod est *sufficientia vel copia corporalium bonorum*, quorum usus conducit ad actum virtutis Huic doctrinæ consonat discursus, quem alibi ducit *S. Doctor* de Republica, dicens: finem ejus, non esse: *simpliciter vi-*

vi-

vivere, sed *vivere secundùm virtutem*. Non enim (inquit) homines congregantur *propter solùm vivere* alioquin & animalia bruta, forent membra societatis civilis, sed *ob bene vivere*, quod consequi non posset unusquisque singulariter vivens. ***Bona autem vita est secundùm virtutem: virtuosa igitur vita, est congregationis humanæ finis.*** Cæterùm [prosequitur *S. Doctor*] ***quia homo vivendo secundùm virtutem, ad ulteriorem finem ordinatur, qui consistit in fruitione Divina; oportet eundem esse finem multitudinis humanæ, qui est hominis. Non ergo ultimus finis multitudinis humanæ, est vivere secundùm virtutem; sed per virtuosam vitam pervenire ad fruitionem divinam.*** Scilicet illam, quæ statui merè naturali quadrat.

15. DICES cum *Puffendorfio*. Civitates non sunt institutæ propter religionem, neque Religio propter civitates, quia antecedenter exstiterunt, & independenter à Religione, subsistere possent; cùm neque opus sit ad Religionem civitate, nec civitati, Religione Christianâ, utriusque fine longè invicem discrepante. RESP. *Dist.* Civitates non sunt institutæ propter Religionem *Christianam* & *supernaturalem*. *Transeat.* Non sunt institutæ propter Religionem *saltem naturalem Neg.* Cùm enim idem debeat esse finis ***multitudinis***, qui est ***hominis***, & civitas sit propter beatitudinem ***non qualemcunque***, sed ***humanam***, consistentem in virtutum exercitio ultimatè tendente in fruitionem Dei; hinc Religio saltem naturalis, principaliter intendi debet ab iis, qui in civitatem coëunt, maximè; quia sine ***unius***, veræque Religionis vinculo, felicitas, nequidem ***externa***, diu subsistere nequit. Proinde, cùm pietas erga Deum, fundamentum sit probitatis morum, & æquitatis inter homines; populus ipse, aut is, qui populo præest, præprimis curare debet, ut verus cultus Dei, à quo bona cuncta procedunt, observetur: adeóque summis imperantibus, non solùm incumbit, ut religio saltem naturalis, à civibus probè colatur; sed &, ut in illos, pœnarum suppliciis, animadvertatur, qui committunt actus externos Religioni adversantes. Porrò; tametsi Religio in se & quò ad professionis exercitium, extra civitatem & societatem hominum summo imperio instructam, subsistere queat; si tamen ipsamet Religio consideretur, prout reperitur in hominum multitudine; rectè postulat superioris imperium, quo homines in sacris dirigantur, & in unius fidei professione conserventur.

16. Igitur sicut considerato *statu* hominum ***merè naturali***, finis adæquatus civitatis, non est felicitas qualiscunque, sita in *Epicurea* quadam quiete & bonorum corporalium affluentia, sed felicitas *humana*, consistens, præter prosperitatem temporalium subsidiorum, in honestate vitæ, naturæ legibus, conformi, quâ non modò *quietè*, sed & ***probè*** cum virtute saltem naturali, & honestate ***morali publica*** vivatur; ita finis adæquatus Reipublicæ ***Christianæ***, suppositâ legis novæ institutione, & divinâ ***credendorum*** ac ***faciendorum*** revelatione, non est felicitas merè naturalis sed Christiana, sita in sufficientia & honestate vitæ, Divinis legibus conformi; sic, ut non modò ***tranquillè***, & etiam ***probè***, juxta juris naturalis dictamina, sed insuper ***Christianè*** vivamus, juxta fidei nostræ leges, quæ non tantùm ad felicitatem quandam naturalem, sed etiam supernaturalem nos dirigunt. Ex his

17. Facilè colligitur: quantoperè ***Protestantici Moralistæ*** aberrent, dum pro fine civitatis etiam ***Christianæ***, felicitatem statuunt ***merè externam***, data cuivis libertate ***autonomicâ***, excludendo Superioris

Ecclesiastici, jubendi & corrigendi *in sacris* potestatem, imò statuendo Religionem *quodlibeticam*.

18. Modus, quo primùm coalescit civitas, habetur ex pacto *expresso* vel *tacito* familiarum in unum corpus *morale* coëuntium. Et hoc pactum est duplex: unum, *de consociatione*; alterum, *de debita subordinatione*, seu Regiminis constitutione & administratione. Atque hinc oritur: quòd pro voluntate populi, forma regiminis ac imperii, non sit una seu uniformis in singulis civitatibus, sed imperans, qui populi voluntate nactus est Imperium; legibus fundamentalibus adstrictus fit. *Dico: qui populi voluntate.* Non enim est quæstio de modo, quo quis per potentiam, jure belli, subjugat sibi civitatem, eámque sibi subditam facit. Tali enim eventu, pro voluntate victoris, forma regiminis constituitur.

19. Civitates, aut sunt *regulares*, aut *irregulares*. *Regulares* sunt: quæ naturam, ex primæva institutione acquisitam, salvam & inalteratam retinent. *Irregulares* verò, quæ regularem indolem, ex primæva institutione sibi inditam, salvam & integram non habent.

20. è censu civitatum regularium, sunt istæ, in quibus ab initio, forma regiminis perseverat *Monarchica*, *Aristocratica*, *Democratica*, vel ex his *mixta*. Quæ verò primævâ regiminis formâ alteratâ, factæ sunt *Heriles*, *Patrimoniales*, aut *Systematicæ*: illæ rectè dicuntur *irregulares*.

21. Regimen *Monarchicum* seu *Monarchia* est: cùm omne jus in subditos, penes unum est, isque solus ad communem populi utilitatem, Rempublicam administrat.

22. Regimen *Aristocraticum* seu *Aristocratia* est: ubi prudentiores seu *Optimates* aliquot, id est optimi & selecti viri regunt, bonum publicum curantes. Cui opponitur *Oligarchia*, ubi pauci quidem regunt, sed in *suam*, non *civium* utilitatem.

23. Regimen *Democraticum* seu *Democratia* est; ubi regimen penes universum populum est, & populus in commune consulit, nullum supra se principem agnoscens, licèt quosdam eligat, qui communi nomine ad gubernacula sedeant, & usque ad aliam dispositionem, Rempublicam curent: sicut olim mos erat populi Romani, ad tempus consules ferentis, & nunc observatur apud *Helvetios* & *Hollandos*, ubi tamen nuper per *Locumtenentis perpetui* & *Hæreditarii* restaurationem, res aliquam subiit mutationem *Democratiæ* opponitur *Ochlocratia*, quando populus nulla ratione ductus, nec decus nec commodum publicum respiciens, sed suæ tantùm libidini serviens, regimen vitiosum instituit. Confer *Schwederum. introd. J. P. part. speciali. sect. 2. cap. 9. §. 10.*

24. Status *mixtus* est; in quo Princeps, Senatus & singuli de populo, saltem *tributim*, seu per *Tribus* & *collegia*, aliquid ad Reipublicæ gubernationem conferunt. Quòd, si Princeps cum Senatu & selectis nobilibus, summam rerum gerat; Respublica dicitur *mixta*, ex Monarchia & Aristocratia. Talis hodie est *Polonorum* Respublica, in qua Rex arbitratu proprio, nec bellum suscipere, nec cum exteris, fœdera sancire, neque nova civibus tributa imponere potest, idque ex legibus Regni, pro fundamento, stabilitis, juxta quas, sub coronationis solemniis, Rex jurare debet, nunquam se commissurum, ne haud communicato cum Senatoribus consilio, quidpiam gravioris momenti statuatur.

25. *Mixti* statûs formam, hodie, saltem post Pacificationem *Monasteriensem*, habere Imperium *Romano-Germanicum*, non

non est negandum. Cùm enim hodie Imperator in Comitiis, nedum *Electorum*, sed & liberarum Imperii civitatum vota exquirere & sequi teneatur; solus omnia non potest, neque solus est imperans, adeóque status Imperii nostri, est ex Monarchia & Aristocratia, quin & suo modo Democratiâ, compositus in hanc rem juvabit adducere verba articuli 8*vi*. § 2. *Instrumenti Pacis Westphalicæ* ubi sic habetur: *Gaudeant* (nempe status Imperii) *sine contradictione jure suffragii in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii, præsertim, ubi leges ferendæ vel interpretandæ, bellum decernendum, tributa indicenda &c.* Igitur *Lex Regia*, ex qua *Reinkingius lib.* 1. *classe* 2. *cap.* 2. §. 54. statum hodiernum imperii nostri, vult facere purè *Monarchicum*, aut nunquam apud Germanos fuit recepta, aut saltem modo abrogata dignoscitur. Confer *Lampadium De Republ. Rom. Germ. p.* 3. *c.* 14. §. 27. *&* 27. *Limnæum Prolog. ad Capitulat. Cæsar. sect.* 8. Imò ipsa verba Capitulationum Cæsarearum, ex quibus liquet, restrictam esse Cæsaris potestatem, ita, ut saltem omnia & quidem principaliora, solus non possit perficere.

26. Civitates sunt & efficiuntur *Irregulares* 1*mò*. Si exorbitent à fine, qui debet esse utilitas publica & communis civium. Unde Civitates *Heriles*, in quibus imperantes principaliter & ferè unicè, propriis inhiant emolumentis ac despoticè subditos premunt, meritò *irregulares* nuncupantur: quales sunt testibus Historiis, permultæ *Asiæ* & *Africæ* civitates. Huc referuntur quoque Civitates *Patrimoniales*, in quibus imperantes liberam sibi vindicant potestatem, esto ex prima institutione, jugum tale, cives non susceperint, sed temporum necessitatibus adacti, jure quasi *fideicommissario*, in summum Principem, eâ lege contulerint imperium, ut stirpe ejus extinctâ, ad ipsos imperium reverteretur. Irregularibus, ùt verbô dicam, accensentur civitatibus, communitates omnes, quæ alium intendunt scopum, quàm virtutem, honestatem, & justitiam; sed pro fine sibi præfigunt felicitatem merè externam, fallacem, apparentémque, utpote sitam in fluxis & caducis bonis, luxu, voluptatibus & vitiorum illecebris.

2*dò*. Civitates efficiuntur *irregulares*, defectu formæ, puta: si *Monarchia* degeneret in *Tyrannidem*, quâ postposito communi civium bono, imperium geritur ad libidinem & utilitatem unius despoticè regnantis. Si *Aristocratia*, ùt dictum, deflectat in *Oligarchiam*, quâ pauci ex optimatibus, suæ potissimùm utilitati studentes, in cives dominantur, ùt olim Romæ *Triumviri*. Denique, si *Democratia* in *Ochlocratiam* vergat, & pars populi haud in communem utilitatem, sed in suam libidinem, imperium exerceat, ùt quondam *Dictatores Romani*. Vel in *Anarchiam* delabatur, in qua scilicet vulgi licentia, ejectis Regibus aut eversis Magistratibus, tumultuariè omnia gerit & exequitur.

3*tiò*. Ex defectu nexûs & perfectæ subordinationis, pro *irregularibus* habentur civitates *Systematicæ*, quæ nempe *ligam* inter se fecerunt, & in unum corpus *morale* coïverunt; ita, ut singulæ quidem summum retineant imperium; belli tamen pacisque negotia, communi consilio tractare debeant, quasi una forent Respublica. Hac ratione *Helvetiæ* & *Belgii fœderati* civitates, in unum corpus concesserunt.

27. Quòd si populus in alterius ditionem & imperium concesserit; tunc desinit esse civitas *per se*, aut cœtus perfectus liberorum hominum; & consideratur velut membrum perfectæ alterius civitatis, in cujus ditionem concessit.

28.

28. Disputatum aliquando fuit, an status Civitatis *mixtus*, videlicet ex duplici vel triplici forma temperatus, habeat majestatem sive summum Imperium? Ratio dubitandi erat; quod majestas seu summa imperandi potestas sit *indivisibilis*, adeòq; non possit existere in multis subjectis, seu non patiatur conregnantium pluralitatem. Pro resolutione istius dubii, sciendum est; quòd tradente *Grotio lib. 1. de J. B. & P. cap. 3. §. 7. n. 2.* Majestatis subjectum sit duplex; unum scilicet *commune*, seu *essentiæ*; alterum *proprium*, seu *existentiæ*. *Commune* majestatis subjectum est ipsa Civitas seu Respublica, quæ est Societas magna ex pluribus minoribus composita. Et sicut Civitas, unius corporis imaginem habet, ita *subjecti communis* habet rationem. Subjectum *proprium* seu *existentiæ* majestatis, sunt ipsi imperantes, in quibus majestas existit, & per quos omnia in Civitate disponuntur & summum imperium exercetur proprio ipsorum nomine. Unde, si unus solus imperet, & omnia possit in Civitate, Majestas est *Monarchica*; si plures exerceant imperium, Majestas est *Aristocratica*; si omnes simul ad imperii, exercitium concurrant; Majestas dici potest *Democratica*. *Mixtus* verò erit status, si summam imperandi potestatem exerceant, vel unus & plures, vel unus & omnes, vel unus, plures, & omnes conjunctìm. Etsi igitur Majestas planè & perfectè Monarchica, sit *indivisibilis* & in communicabilis alteri, nec possit existere in pluribus; aliud tamen dicendum de Majestate temperata, quæ subjectari potest in pluribus. Ubi bene Notandum: quòd longè aliud sit status Imperii, vel summa potestas *secundùm se*; aliud, *ratio gubernandi* seu *exercendi Imperii.* Sæpe Monarcha utitur consilio Primorum, & ex arbitrio eorum, *absolutam* alioquin *suam* exequitur potestatem. En! modus imperandi est *Aristocraticus*, absolutum verò imperium *secundum se*. Quòd si *Ordines* non tam consulendi, quàm statuendi, prohibendi scilicet, præcipiendíve, gaudeant facultate; ita, ut Princeps, eorum votis acquiescere teneatur; non solùm modus imperandi, sed & imperium ipsum, *Aristocratiam sapiet.*

29. Politici indagare solent: quænam ex regularibus, sit præstantior Civitatis forma? Nos cum communiori *Respondemus*: *Monarchiam simplicem*, per se loquendo esse formam perfectissimam; tum quia Regimen Monarchicum correspondet ordini, quem Deus ipse tenet in regimine totius creaturæ, quémque in rebus creatis constituit. Adeóque, sicut in universo, unus est Deus, in homine cor unum, in familia unus rector: ita decet unam civitatem, unius subesse & parere Imperio. Unde & Christus Ecclesiam suam perfectissimè stabilire volens, *ut Schismatis tolleretur occasio*, regimen ejus constituit *Monarchicum* & uni voluit Pastori universali subesse oves universas, qua de re *Bellarminus lib. 1. De Romano Pontif. cap. 2. & 3.* & nos plenè agemus infra *Cap. VII. Ratio* Responsionis est: quòd eò perfectior sit gubernatio, quò magis est ordinata: jam autem magis est ordinata Monarchia, quàm *Aristocratia* vel *Democratia*; siquidem omnis ordo in hoc consistit, ut alii præsint, alii subsint; non enim inter pares, sed inter superiores & inferiores, ordo dignoscitur: atqui in sola Monarchia, omnes omnino ordinem aliquem habent; cùm omnes excepto uno, qui omnibus præest, subjiciantur: in *Aristocratia* autem inter optimates & in *Democratia* inter cives, utpote paris conditionis homines, talis subordinatio non invenitur, adeóque Monarchia *per se loquendo*, aliis simplicibus formis præferenda.

30. Quò facit 1*mò* Quòd sub uno Principe,

cipe, faciliùs servetur concordia & consensus animorum. *2dò* Quòd robur & potentiæ Reipublicæ reddatur major, quando vires conjunguntur in uno Principe, cui omnes tributum solvere & subsidium ferre tenentur. *3tiò* Quòd Regnum reddatur firmius & stabilius, eò quòd uno Principe imperium tenente, regnum non sit divisioni obnoxium. Ex divisione enim regnorum, interitus ipsorum evenire solet, prout ex historiis notum. *4tò* Quòd faciliùs ab uno administretur justitia, quàm à multis, facilè corruptibilibus. *5tò* Quod etiam expeditiùs regatur Civitas ab uno, quàm à multis in diversa judicia plerumque abeuntibus, & cunctando altercandóve, Rempublicam in discrimen conjicientibus.

Adde: Quòd in regimine *Aristrocratico*, admodùm difficulter & raró, Optimi seu Optimates seligantur; & quòd inter plures, plerumque aliqui sint perversi, æmuli, invidi, imperiosi, capitosi *&c.* Unde turbæ, dissensiones, bella intestina, infinitáque alia mala, in Rempublicam invehi nata sunt.

Porrò *Democratia* pluribus incommodis exposita est, quia plerumque populus non ratione, sed impetu; non sano consilio, sed furore, propellitur: plerique enim de populo, sunt rudes, imperiti, illitterati, cupidi, & egentes; adeóque ad regimen nec à natura nec ab arte comparati. Unde in plebe rarus conspicitur ordo; in rebus verò turbidis, mera perplexitas, confusio & inconstantia; temporibus etiam floridis, luxus, intemperies & socordia.

31. Cæterùm, si naturæ humanæ fragilitatem, & id quod mortalium genio magis accommodatum est, consideremus; Optima Rerumpublicarum forma, videtur esse ea, quæ ex regimine *Monarchico* & *Aristrocratico* conflata est; ita, ut Regia valeat potestas, & Senatûs seu Ordinum vigeat Authoritas. In hanc Regiminis formam, maximè post introductas Cæsarum *Capitulationes* & Pacem *Westphalicam*, commigravit Imperium modernum *Romano-Germanicum*, prout bene probat *Vitriarius Instit. Juris publici. lib. 1. tit. 7. n. 6.*

Ratio asserti nostri est; quòd hujusmodi Regimen tam facilè non sit tyrannidi obnoxium, ob Senatorum & Ordinum vigilantem curam. Hi enim Principem in suo continere possunt officio, ut contra Patriæ salutem, & contra fas, nil moliri ausit Regimen quoque illud, ob Principis potestatem, non patet ambitioni & factionibus Optimatum, eò quòd *Soli* nil statuere valeant Sicut invito Imperatore, regulariter non possunt Imperii Ordines.

32. Politicorum quoque est quæstio: num Regnum *Electivum*, Successivo sit præstantius? Ubi Nota: *Electivum* dici Regnum, quod liberis Electorum votis confertur: *Successivum* verò, quod jure Sanguinis atque natalium, hæreditario jure possidetur.

33. Plausibilior & Sanior sententia, Regnum Electivum præfert Successivo, maximè, si Regi electo in præmium & recognitionem bene administrandæ Reipublicæ, spes Successionis pro descendentibus ex ipso, appromittatur ab Electoribus.

34. Decidendi rationes conglobatæ sunt. 1. Quòd per Electionem, ad coronam evehi, sit Principi gloriosius. Magis enim honorificum & decorum est, propriâ virtute, ab Electoribus perpensâ, ad Regni fastigium elevari, quàm nativitatis sorte sublimari. Quò collimat illud *Taciti lib. 1. Hist. Optimum quemque demonstrat electio: contra nasci & generari à Principibus gratuitum, nec ultrà æstimatur.* Taceo, quòd multi sanguine nobiles, à parentum virtutibus deflectant, & in perditissimos

tissimos mores prolabantur. 2. Quòd viâ electionis, tutiùs & utiliùs Reipublicæ prospiciatur. Electio enim maturo consilio & seriâ deliberatione, à primoribus aut selectis populi personis prudentioribus, in virtutes & Genium eligendi Regis inquirentibus, peragitur, qui in hoc mentis suæ aciem inflectunt, ut optimum & præstantissimum Virum, ad Principatum evehant. Quem in finem jurejurando obstricti esse solent, prout per *Bullam-auream tit.* 2. Sacri Romani Imperii Electores, obligati sunt. Quòd si Electores adhibitâ licet diligenti indagine, erràsse contigerit circa electi indolem; puta: si Princeps malignantis animi, profligatæ vitæ. Hæterodoxus, tyrannus, justitiæ & æqui regiminis eversor, deprehendatur; non decrunt leges Regni fundamentales, quibus aut refrœnari poterit Principis exorbitantia, aut ipsemet, si incorrigibilis reperiatur, regiâ dignitate exui queat. 3. Quòd Princeps à Proceribus electus, cupiens filium habere Regni successorem, & sciens se haud posse potiri desiderio suo, nisi mediantibus Electorum liberis suffragiis, Reipublicæ commodis studiosiùs inserviat, continentiùs agat, fundamentales Regni leges & avitas consuetudines populi moribus probatas, arctiùs custodiat, libertatémque civium attentiùs foveat, nihil denique prætermittat, quo subditorum affectum sibi conciliare queat. 4. Quòd écontra Regnum *Successivum* sæpiùs obedire cogatur infantibus aut eorum Tutoribus, qui durante Tutelâ, bona quæcunque per fas & nefas corradere, ùt plurimùm solent, ut finito munere, nihilominùs fastuosi & præpotentes subsistere valeant. 6. Quòd Regnum *successivum* sæpe vitricos imo tyrannos ferre debuerit. 7. Quòd Rege sine prolibus, aut, non nisi filiabus relictis, decedente, gravissimis dissidiis, inter agnatos, jactari soleat Imperium, prout ex historiis notum. Vide *Limnæum Tom. IV. addit J. P. lib. 2. cap. 1. n. 43. Reinking. De Regim. sæcul. & Eccles. lib* 1. *classe* 3. *cap.* 2. *n.* 3. Adde *Besoldum. De Elect. & Success. Reg. prodrom. per tot.* ubi rationes in utramque sententiam accumulat Igitur, *per se loquendo*, Regnum *electivum* præferendum videtur *Successivo*, præsertim, si in electione, spes detur Regi, ut imposterum habenda sit ratio ejus stirpis, in electione novi Principis successuri. Hoc pacto enim, & bene merito Principi, gratia post mortem redditur, & Princeps ipse ad bene merendum stimulatur.

35. Qui successionem electioni præferunt, ducti exemplis Regnorum *Angliæ*, *Galliæ*, *Hispaniæ* ac aliorum; his utuntur argumentis 1. Quòd Regnum *electivum* mortuo Rege, sit simile navi sine navarcho. 2. Quòd Principes electi magis proprium commodum spectent, quàm salutem boni publici; præprimis, si liberos habeant de Successione in Regnum minimè securos, quibus tamen Principes Parentes, de regiis vivendi facultatibus prospicere cupiunt. 3. Quod sæpiùs Electores inter se discordent, & loco unius, plura eligant capita, præcipuè, quia multi competitores ad fasces Regni aspirantes, subornationibus factiosis uti consueverunt ad aucupanda Electorum suffragia: quibus incommodis non patet janua, si successor non sit *quærendus*, sed jam sit natalibus *designatus*. 4. Quòd major sit Principis in Regno Successivo, quàm electivo, authoritas; qui enim aliorum suffragio ad coronam evectus est, multa sæpe aut palàm, aut dissimulando, indulgere debet suæ Majestatis authoribus, ut nil dicam de contemptu, quem facilè subire potest electus apud eos, quibus antea par aut fortè inferior fuerat. 5. Quòd Electores sæpe per errorem, pro bono, elegerint Regem pessi-

pessimum & Reipublicæ exitialem. 6. Quòd in Regnis electivis, nonnunquam exteri ad sceptrum vocentur, quod nedum indecorum, sed & periculosum videtur, eò quòd summa rerum iis credatur, qui, sicut linguâ, ita moribus, à subditorum genio valde discrepant. Unde [inquiunt] Regnum *Daniæ* ex *electitio*, meritò factum est *successivum Anno* 1661. regnante *Frederico III.* quod porrò *Gustavus de Wasa*, hæreditarium effecit. Similiter Regnum *Hungariæ*, *Anno* 1687. *Leopoldus* Cæsar *successivum*, & Domui Austriacæ hæreditarium reddidit.

36. Hæc argumenta adeò solida non sunt, ut Regnum successivum probent præstare electivo. *Ad* 1*mum* enim *Responderi* potest, quòd in Regno providè constituto & legibus fundamentalibus stabilito, Rege mortuo, non fluctuet imperium instar navis sine nauclero Exemplo sit Imperium nostrum *Romano-Germanicum*, in quo tempore interregni, vigore *Bullæ Aureæ*, §. *quoties*. Constituti sunt Vicarii Imperii, videlicet Elector *Saxoniæ* & *Palatinus*. Confer *Goldastum in Præfatione Constit. Imperial. pag.* 291. *Monsr. Du May. Etat de l'Empire, part.* 1. *pag.* 96. *Limn. J. P. lib.* 3. *cap* 12. *n.* 25. ubi limites utriusque Vicaticatûs describunt Ad 2*dum* Resp. Huic periculo prudenter obviari in Regno, ubi administratio est Monarchico-Aristocratica, & maximè, si posteritati Regiæ spes data sit successionis, per novam electionem. Ad 3*tium* Resp. Regulam figi non debere ex iis, quæ in electionibus inordinatis fieri possunt; sed, quæ in legitimis & bene ordinatis, fieri debent. Ad 4*tum* Resp. Nec hoc periculum tantoperè attendi debere; quia ex perillustribus & bene ominatis familiis, Heroës communiter ad Sceptra vocari solent; qui, sicut prosapiæ nobilitate, ita vitæ integritate & regnandi auctoritate, spectabiles sunt; præcipuè; si communi bono promovendo intenti reperiantur. Ad 5*tum*. Resp. In Regno Electivo, per Principes aut alios Electores faciliùs errorem corrigi, & Regis exorbitantiam cohiberi posse, quàm in Regno successivo, ubi vix superest remedium. Ad 6*tum* Resp. Omni periculo sat præcaveri, si Princeps electus, prout fieri solet, ante coronationem juret: se Majorum Statuta, privilegia, leges & consuetudines patriæ observaturum. Quòd si etiam Rex sub tali conditione electus, juramento non attento, ab obligatione sua deflecteret; ab Ordinibus, officii sui admoneri, & pro re nata, exauthorari posset. Cæterùm; pro Imperio *Romano-Germanico* argumentum adductum inutile est; siquidem pro illo, per *Bullam auream*, expressè cautum, ne Princeps alienigena, sed Germanici sanguinis, in Regem Romanorum eligatur.

37. Dictum supra: civitates esse institutas, plurium familiarum consensu; sed licebitne civibus à civitate discedere? Resp Regulariter *affirmativè*: qui enim Civitati se adjungit, in sui commodum id fecisse intelligitur, reservatâ emigrandi libertate, si id sibi magis expedire visum fuerit. Unde in Imperio *Romano-Germanico*, subditi, qui diversæ, à Domino territorii, sunt religionis; emigrare, & bona sua vel vendere, vel per alios administrare possunt. Dixi: *Regulariter*. Pactis enim & legibus fundamentalibus, emigrandi potestas potest adimi. Dein: non est semper licitum à civitate discedere. Haud enim id permissum foret, si quis tali tempore vellet discedere, quo societatis civilis interesset, civem non abire; puta: si civitas contraxisset magnum æs alienum: nisi paratus sit civis discedere volens, de præsenti, partem suam exsolvere. Item: si fiduciâ multitudinis, bellum

sit susceptum; præsertim, si obsidio immineat, nisi civis emigraturus, alium æquè idoneum substituat, qui Rempublicam defendere possit & velit, Alioquin, cives etiam gregatim discedere possunt, si id ipsis commodum videatur & conservari non possint in tali civitate; propter sui enim conservationem, cum aliis, in civitatem coïvere.

38. Non est tamen negandum: quòd Princeps sub gravi pœna, v. g. confiscationis bonorum, prohibere possit, ne cives emigrent, puta: si utilitas vel necessitas civitatis postulet, ne cives discedant. Sic *Moschis*, non impetratâ veniâ, è regno abscedere non licet. Idem olim obtinuit apud *Argivos* teste *Ovidio* 11. *Metamorph.* 28. ibi:

-vv--- Prohibent discedere leges
Pœnáque mors posita est patriam mutare volenti.

Ratio dicti nostri est; quòd hujusmodi Principis prohibitio, non sit iniqua, utpote tendens in Reipublicæ conservationem, proinde Regi præcipienti obtemperandum sit. Aliud esset: si Princeps ideo subditos dimittere nollet, ut eos ad Hæresin vel alia peccata induceret. Cùm enim Princeps contra jus divinum vel naturale nil mandare valeat; nullatenus cives stringet manendi necessitas, sed quisque fugâ sibi prospicere poterit.

Quod de *Principe* dictum, pro statu *Monarchico*; id quoque obtinet in Regimine *Aristocratico* in *Optimatibus*; & in *Democratico*, in majore parte populi. Optimates enim, & potior populi pars, aliis, emigrandi facultate interdicere possunt. Quinimò, si cives, incolumes subsistere in civitate possint; pro lubitu, saltem turmatim, discedere nequeunt; id enim si liceret; societatem civilem, ex arbitrio suo dissolvere possent, quod primævæ institutioni & majorum voluntati repugnat. De singulorum discessione aliud est; sicut aliud est de flumine aquam haurire; aliud rivum diducere, seu in alium alveum divertere; quod privatis prohibitum, per *l.* 1. §. 5. *&* *l.* 3. §. 2. *ff. De rivis.* Unde *Cicero* pro *Balbo*, laudat jus illud, ne quis in civitate maneat invitus. Quanquàm, ùt supra monitum; hîc quoque servanda sit regula æquitatis naturalis, quam Romani in privatis societatibus dirimendis secuti sunt, ut id non liceat, si societatis intersit; semper enim, ùt rectè *Proculus* ait in *l. Actione.* §. *Labeo. ff. Pro socio.* non id quod unius ex sociis interest, servari solet; sed, quod societati expedit.

40. Pro coronide hujus Capitis, *quæri* meretur; ex quibus causis, proficiscatur subversio & interitus Civitatum vel Regnorum? Hanc quæstionem ideo instituimus, ut falsas, imò in fide erroneas opiniones, notemus & refutemus. Quidam enim cum *Platone*, rerum & regnorum vicissitudines, ortum & interitum, *criticis* quibusdam annorum numeris, seu *Epochis* adscribunt. Quæ opinio ex hoc falsitatis arguitur: quòd *quantitas*, cujus species est *numerus*; nullam vim agendi habeat, ac proinde certus annorum numerus, non possit esse causa ortûs vel interitûs rerum. Quò facit: quòd errâsse convincantur, qui pro termino *fatali* certam annorum evolutionem assignârunt.

41. Alii Regnorum mutationes, astrorum influxibus attribuunt, & non minus ac *Platonici* hallucinantur. Cùm enim Respublicæ, hominum voluntatibus, consiliis, viribus, bellis, mutentur; astra verò nihil *directè* & *immediatè* possint operari in humanam voluntatem, evidens est, quòd syderum influxus, nequeat esse causa corruptiva vel alterativa Regnorum; quod & inde evincitur: quòd juxta *Mathematicorum* observationes, motus cœlorum

lorum & astrorum sit constans, certus & regularis; mutationes autem Regnorum, sint incertæ; siquidem aliæ Respublicæ, etiam sæculorum ætatem habent, aliæ vix dimidio sæculo floruêre. Unde ***Ecclipsium*** & ***Cometarum*** observationes, ad augurandum Reipublicæ ortum vel occasum, plerumque vanæ sunt. Ecclipsibus enim quotannis observatis, & notatis Cometis variis, scimus, plures Respublicas in eodem statu & ordine perdurâsse.

42. Porrò: cùm fides orthodoxa, quin & sana doceat ratio; quòd mundus Divinâ providentiâ sapientissimè & ornatissimè gubernetur; impia, & *Epicuri* Atheïsmum redolens opinio est: quòd Regnorum mutationes, ***fortunâ***, ***casu*** vel ***fato inevitabili*** contingant. Quod, ut perspicuè magis dignoscatur.

43. Sciendum est ***Fortunam*** aliter à Philosophis, & aliter à vulgo accipi. Philosophis ***Fortuna*** est: ***causa efficiens ex electione in his, quæ rarò contingunt***. Ita, ut ***Fortuna*** dicatur causa, cujus effectui ***per se intento***, alius, præter intentionem, ***accidentaliter*** conjungitur. Vulgus autem ***Fortunam*** censet effectum ipsum, qui per accidens sequitur. Sic: si fodiens terram agriculturæ gratiâ, inveniat thesaurum; inventio thesauri, vulgo sapit ***Fortunam***.

44. Casum Philosophi discernunt à ***Fortuna***; quod ***Casum*** dicant: ***causam efficientem per accidens, operantem ex naturali inclinatione, in his quæ rarò contingunt***. Unde [ajunt] ***Fortuna*** non habet locum nisi in agentibus ***ex intentione*** & electione, ac se in finem moventibus; cùm écontra agens ***casuale*** non agat movendo se in finem præcognitum, sed potiùs impulsu sibi à natura indito, propellatur. ùt descensus lapidis deorsum, ex quo occiditur homo. Ubi

45. Nota: quòd SS. Patres ***Fortunam*** reprobantes, egerint contra Gentilium fatuitatem, qui per ***Fortunam*** intelligebant, Numen quoddam, absque consilio & providentia operans. Cujusmodi Numen sine rationis lumine, figmentum est plusquam Chymericum.

De ***Fato*** agit ***D. P. Augustinus lib. 5. De Civit. Dei. cap. 9. & lib. 2. contra Faustum. cap. 5.*** ubi ***Fatum*** à ***fando***, seu loquendo, deduci ait, ita: ut ea ***fato*** fieri dicantur, quæ ab aliquo præloquente fuerint prædicta.

46. Circa ***Fati*** expositionem, mirum quantum delirârunt Gentiles Philosophi, prout locis citatis exponit ***Magnus Pater Augustinus***. Nam ***Possidonius*** Stoicus, ùt refert ***Pontanus lib. 1. De Fortuna. cap. 19.*** tria principia rerum omnium ponebat, scilicet: ***Deum***, ***Naturam*** & ***Fatum***. Ubi ***Fatum*** arbitrabatur esse causam necessariam & inevitabilem eventuum & revolutionum rerum. Alii ***Fatum*** dicebant esse quidem ordinem seriémque rerum; ita tamen, ut ordinem istum collocârint in ***orbibus cœlestibus***, fingentes certas cœli & astrorum imagines ac figuras, sub quibus unusquisque natus esset, iisque figuris, tantam vim & potestatem attribuebant; ut ab iis omnia sublunaria necessario nexu dependere somniaverint. Hoc delirium ***Priscilianistæ*** hæretici adoptârunt, ùt refert ***Castro lib. 7. adversus hæreses. Verb. Fatum.*** qui consequenter humani corporis membra, in duodecim partes distributa, totidem ***Zodiaci*** signis subjecerunt, ita ut quælibet ***Zodiaci*** portio, alicui membro humano prædominaretur, & quidem tantâ vi & necessitate, ut nil in corpore humano dixerint fieri posse, quod in hujusmodi syderibus & figuris non fuerit præordinatum.

Hac ratione, cùm alii intelligerent humanam eliminari libertatem; in graviorem errorem prolapsi sunt, scilicet: ut pro salvanda libertate, nedum ***Fatum***, sed

& *Divinam providentiam* negaverint. De horum classe fuit *Cicero*, qui, ut ait *Divus Pater Augustinus*; *homines fecit Sacrilegos*, *ut faceret liberos*. Vide hac de re pulcherrimè ratiocinantem S. Patrem *lib. 5. De Civit. Dei. cap. 9. per tot.*

47. Orthodoxi, tum Philosophi, tum Theologi, per *Fatum* intelligunt connexionem causarum secundarum, ad effectus producendos taliter à Deo dispositam, ut nil omnino evenire possit, quod lateat præordinationem. Ex quo

48. Resultat: quòd *Fatum* in sano sensu, bifariàm capi possit; scilicet: *causaliter* & *formaliter*. *Primo* modo, est ipsamet providentia divina Deo intrinseca. *2do* modo, est dispositio causarum secundarum à Providentia Divina proveniens: adeóque *Fatum* est *formaliter* in causis creatis, *causaliter* verò in Deo.

49. De Fato *formaliter* sumpto, intelligenda est vulgata *Boëtii* definitio: *Fatum est inhærens rebus mobilibus dispositio*, *per quam providentia*, *suis quæque nectit ordinibus*. Ubi *Observes*: quòd per *tò*, *dispositio*. non intelligatur quædam qualitas rebus impressa; siquidem docente *Doctore Angelico* 1. *p. q.* 116. *art.* 2. *ad* 3. *Fatum* dicitur dispositio; *non*, *quia est in genere qualitatis*; *sed*, *secundùm quod dispositio designat ordinem*, *qui non est substantia*, *sed relatio*.

Clarius describitur *Fatum*, quòd sit: *præordinatio causarum secundarum ad certos & determinatos effectus*, *ab æterna Dei providentia facta*. Ex quo

50. Facilè percipitur: quòd *Fatum causaliter* spectatum, sit *unicum*; cùm eatenus sit ipsamet incommutabilis divina providentia, seu, Deus ipse; *formaliter* verò consideratum sit multiplex, juxta multiplicitatem causarum secundarum à Deo præordinatarum; quo sensu, obtinet illud Poëtæ: *Te tua fata trahunt*.

51. *Deo* non posse attribui causalitatem *fortunæ*, vel *casûs*, quivis sensatus primo intuitu dijudicabit; cùm omnes effectus ab omniscio Deo, ab æterno prævisi, atque in certum finem præordinati sint. Aliud est de Angelis & Dæmonibus. *Illis* enim bonas cogitationes inspirantibus, fortuitus esse potest pravus ipsarum usus, qui contingit in homine. *His* quoque, scilicet Dæmonibus, fortuitus esse potest, bonus malarum tentationum usus.

52. Igitur, cùm fides orthodoxa doceat, mundum hunc divinâ providentiâ sapientissimè gubernari; non nisi impiè & stolidè dici potest: quòd Regnorum mutationes fortuitò, casualiter, vel fatali necessitate eveniant; quanquàm verissimum sit: quòd rerum omnium ortus & interitus adscribi debeat *Fato*, in sensu sano, accepto, pro divina scilicet providentia, quæ attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter, nec unquam in sua dispositione falli potest. Cæterùm:

53. Civitas tam diu subsistit, quàm diu *spiritus*, sive vitæ civilis consociatio, cum summo imperio, durat. Interit autem civitas & subsistere desinit, si vel partes omnes pereant; veluti: si populus mari abripiatur, aut casmate pessumeat; vel: si salvis hominibus, corporis ratio tollatur; puta: si cives v. g. ob pestilentiam aut seditionem, à societate discedant.

54. Contingere etiam potest, ut remanentibus singulis, qui cives fuerant, jus tamen civitatis non subsistat amplius. Veluti: si singuli libertatem personalem amittant, & servi fiant: aut etiam personali libertate retentâ, imperio exuantur; ita, ut nec Senatus, nec plebis consilium, neque Magistratus ullus habeatur amplius, sed sine imperio, hominum duntaxat multitudo, cui Præfectus ab alio detur,

tur, qui jus reddat & cuncta gubernet. Tales sunt populi, in provinciæ formam, redacti: item hi, qui alterius populi imperio subjecti sunt.

55. Quòd, si solùm forma regiminis mutetur; puta: si ex *Monarchia* fiat *Aristocratia*, aut *Democratia*, vel Respublica *mixta*; ideo non desinet eadem esse civitas. Ut enim civitas sit *eadem*, sufficit: quòd maneat eadem forma *essentialis*, quæ consistit in ordine imperandi & parendi *in genere*, non attendendo, utrum imperandi facultas subjectetur in uno, vel pluribus, vel omnibus. Sic idem olim erat populus Romanus, sub Regibus, Consulibus, Imperatoribus. Imò, etiamsi plenissimo jure regeretur populus; idem erit, qui ante fuit, dum sui juris erat; dummodò Rex ei præsit, ùt caput istius populi, & non, ùt caput alterius gentis. Nam imperium, quod in Rege est, *ùt in capite*; in populo manet, *velut in toto*, cujus pars est caput Atque ideo defuncto Rege, qui electus est, aut extinctâ Regis hæreditarii familiâ; jus imperandi, ad populum redit. Vide *Myler De Statu Imper. p.* 1. *cap.* 25. & *Grot. De J. B. & P. lib.* 2. *cap.* 3. §. 19. *n.* 3. & *cap.* 9. §. 1. Igitur mutatâ solùm regiminis formâ, accidentia duntaxat variantur, salvâ manente substantiâ.

56. Hîc subintrat *quæstio:* num debita civitatis extinguantur, si ex regimine v. g. *Democratico*, fiat *Monarchicum?* *Respondetur* autem *negativè*. *Ratio:* quia manet idem populus, qui & dominium retinet eorum, quæ populi fuerunt, imò & imperium, quanquàm jam non exercendum *à corpore*, sed *à capite*. Et licet imperium sit translatum in aliud subjectum *existentiæ*, non tamen est translatum in alium populum; & ideo, si moriatur Rex, cui ex populi voluntate, regnum fuit delatum, sive per electionem, sive per successionem quamcunque, imperium redit in eum statum, in quo fuit ante acquisitionem à defuncto factam.

57. Devicto per arma populo, aut victor reliquit ipsi imperium & dominium, quanquàm dependens; & rursum populus, absque dubio, solvendis debitis obstrictus manet: aut victor populo ademit omne imperium & dominium, ac omnia sibi arrogavit, puta: ærarium, agros publicos, vectigalia &c. & tunc, si laudem justitiæ amet; & pecunia sit debita iis, qui non sunt hostes; æs alienum solvere tenebitur: sicut enim alia bona, quæ hostium non sunt, si apud hostes reperiantur, non acquiruntur victori, sed sunt restituenda proprietariis; ita & bona incorporalia, seu debita, præstanda sunt creditoribus.

58. Quid, si una civitas alteri uniatur? manebítne, hoc factô, eadem? Resp. *Affirm.* Si retento imperio & dominio, unio solùm contingat per modum arctioris fœderis. Quinimò civitas eadem manebit, licet imperium duarum civitatum confœderatarum exerceatur per unum caput. Potest enim eadem persona, sub diverso respectu, considerata, esse caput plurium & distinctorum corporum seu populorum, qui perfectum cœtum singuli constituant: cujus rei certum indicium est, si extinctâ domo regnatrice, imperium ad quemque populum seorsim revertatur.

Cæterùm; si alio modo, unio fiat; puta: si una civitas alteri digniori & potentiori incorporetur, ínque ejus accessionem veniat, ac veluti appendix ejus fiat, planum est, illam tunc essentialiter mutari, cùm non intelligatur propriis ampliùs vivere legibus, sed subesse imperio civitatis illius, cui accessit.

59. Fieri potest, ut una civitas, aut consensu mutuo, aut vi bellicâ, distrahatur

hatur

batur in plures. Hoc si fiat, retento in singulis cœtibus imperio; pro uno, plura existent summa imperia, cum suo jure in singulas partes. Si quid autem commune & indivisum manserit, id aut communiter administrandum; aut pro ratis portionibus dividendum erit. Huc spectat discessio, quæ ex consensu fit in *Colonias*. Nam sic quoque novus populus, sui juris nascitur, neque tales *Coloniæ*, partes manent suæ originis, secus quàm illæ, quæ vel ob militares usus, vel negotiationis & commerciorum gratiâ, alibi stabiliuntur sub ea lege, ut maneant pars civitatis matricis, sive ipsius Regni, seu majoris patriæ; exemplo Coloniarum, quas *Hispani*, *Angli*, *Belgæ*, & *Galli* instituerunt in insulis *Americanis*. Si hic

60. Petas: Utrum Imperium Romanum semper & usque modò, apud populum Romanum permanserit; seu: an populus Romanus adhuc hodie idem sit, qui fuerat olim? Affirmat *Grotius lib. 2. De J. B. & P. cap. 9. §. 11. n. 1* Ubi sic discurrit: *Populum Romanum, eundem esse dico, qui olim fuit, quanquàm extraneorum accessione admixtum, & imperium penes eum mansisse tanquam penes corpus, in quo esset & viveret. Nam, quæ olim jure potuit facere populus Romanus, antequam Imperatores regnarent, idem faciendi jus habuit, ùt quisque Imperator mortuus erat, alio nondum existente. Imò & Electio Imperatoris, ad populum pertinebat, & aliquoties à populo, per se aut per Senatum facta est: quæ autem à legionibus, modò his modò illis, fiebant electiones, non erant ratæ ex jure legionum (nam in vago nomine jus certum esse non poterat) sed ex approbatione populi. Neque cum his pugnat prosequitur* Grotius ibid. n. 2. *quòd* Antonini *Constitutione (quæ refertur* l. 17. ff. De statu hominum) *quotquot in Orbe Romano sunt, Cives Romani effecti sunt. Consecuti enim sunt eâ Constitutione subditi Romani Imperii, ea jura, quæ olim habebant Coloniæ & municipia & provinciæ togatæ, ut & honorum participes essent, & jure Quiritum uterentur; non, ut in aliis populis, itidem ùt in populo urbis Romæ, fons Imperii esset, quod facere, in potestate Imperatorum non fuit, qui habendi Imperii modum ac causam mutare non potuerunt. Nec quòd Imperatores postea Constantinopoli, quàm Romæ habitare maluerunt, de jure populi Romani quidquam imminuit: sed tunc quoque electionem factam à parte sui, quæ Constantinopoli habitabat (Unde & Byzantios,* Quirites *vocat* Claudianus) *ratam populus totus habuit: jurisque sui monumentum non tenue servavit in urbis suæ prærogativa, & in honore Consulatûs, alisque rebus. Quare jus omne quod hi, qui* Constantinopoli *habitabant, ad eligendum Imperatorem Romanum habere poterant, pendebat à voluntate populi Romani: & cùm illi contra mentem & morem populi Romani, fœminæ* Irenes *subiissent Imperium, ut alias causas omittamus, meritò populus Romanus illam concessionem, sive expressam sive tacitam, revocavit, & per se Imperatorem legit, ac voce primi civis, id est Episcopi sui (quomodo & in Judaïca Republica, Rege non existente, prima erat summi Pontificis persona) pronuntiavit. Fuit autem hæc electio personalis in* Carolum Magnum *& quosdam ejus successores, qui ipsi jus Imperii quod habebant in Francos, ut & in Longobardos, à jure Imperii in Romanos, ùt ex nova causa quæsito, sollicitè distinxerunt. Postea diviso Francorum populo, in* Occidentalem, *qui* Galliam *nunc obtinet*, & Orientalem, *qui* Germaniam *sive* Alemanniam *tenet; placuit populo Romano, quò certius præsidium haberet; Regem non proprium sibi sumere, sed eum, quem* Germani *fecissent: ita tamen, ut jus sibi aliquod retineret probandæ vel improbandæ ele-*

electionis, quantum scilicet ea res ad se pertinebat. Hæc quoque approbatio per Episcopum *[summum scilicet Pontificem seu Papam] edici & solemniter testata fieri, peculari coronatione solebat. Quare ex electione septem Principum, qui Germaniæ corpus referunt, qui lectus est, jus habet imperandi Germanis, secundùm eorum mores: ex approbatione verò populi Romani, fit idem Rex aut Imperator Romanus, aut, ut Historici sæpe loquuntur, Rex regni Italiæ: atque eo titulo, sub se habet, quæcunque populi Romani fuerunt, neque pactionibus, aut derelicti occupatione, aut victoriæ jure, in aliorum populorum Imperium concesserunt. Unde illud quoque intelligi facile potest, quo jure* Episcopus Romanus, *vacante Imperio, investituras tribuat Feudorum Imperii Romani; quia scilicet in populo Romano, tali tempore libero, primas obtinet. Solent autem, quæ sunt corporis alicujus, per primam personam, corporis nomine, expediri, ut alibi quoque diximus. Neque verò malè* Cynus *&* Raynerius *tradidêre; si Imperator Romanus, morbo aut captivitate impediretur fungi Imperio; posse ei Vicarium dari ab ipso populo Romano.* Hæc *Grotius*, quem *Gronovius* & alii ejus Commentatores, ob eam Sententiam, nedum corrigendum volunt, sed & ludibriis & dicteriis subsannant, eò quòd ita scribendo, non tam *Papæ*, quàm *Regi Galliæ* blanditus videatur.

61. Nos autem nequaquam putamus ideo *Grotium* deridendum, aut convitiis onerandum; verissimum enim ex Historiis apparet, quòd penes populum Romanum, saltem usque ad tempora *Caroli Magni*, fuerit summa potestas eligendi Regem seu Imperatorem, etsi hæc potestas turbulentis bellorum aut seditionum temporibus, interdum à *legionibus* militum, interdum & à populi factiosa parte, usurpata fuerit. Non constat quidem, quòd post semel electum, & à *Leone III. Papa* coronatum *Carolum Magnum*, à populo Romano, deinceps electi fuerint Imperatores seu *Reges Romanorum*; siquidem *Carolus Magnus* Regna sua divisit inter liberos, quibus, jure sanguinis, alii succesṡêre. Quinimò scimus, quòd sub *Otthonibus* dignitas Imperialis *Hæreditaria* fuerit, donec *Otthonum* stirpe extinctâ, Germaniæ Principes cœperunt sibi eligere *Imperatorem*, id quod continuatum fuit usque ad tempora *Caroli IV.* qui demum septem Germaniæ Principibus, jus eligedi Regem Romanorum, cum consensu Procerum Germaniæ, perpetuò adscripsit, prout videre est in *Aurea Bulla*. Confer hac de re *Vitriarium Illustratum*, *lib.* 1. *tit.* 4. *Instit. juris publ.* Ex his tamen non licet formare peremptoriam sequelam, quòd populus Romanus, in *Carolo Magno*, vel ejus posteris, omne jus suum amiserit. Etsi enim consentiente populo Romano, Imperium in stirpe *Carolina* factum fuerit hæreditarium & successivum; extinctâ tamen prosapiâ Carolinâ, populus Romanus primævum jus suum recuperâsse intelligitur. Quidquid sit; si Romanum Imperium non sit amplius etiam *habitualiter* apud populum Romanum; certè, citiùs apud eum esse non desiit, quàm postquàm Germaniæ Proceres, tacentibus & acquiescentibus Romanis, sibi arrogârunt, & jam ab *anno* 1356. quo *Aurea Bulla* condita, firmatum habent jus eligendi Regem Romanorum.

62. Ex dictis hoc & superiore capite, liquet, quòd ortus Rerumpublicarum seu Regnorum, sit à gemino principio, *Divino* scilicet & *Humano*: siquidem Deus pro sapientia sua, omnis boni ordinis author, societate ordinatâ, sub certis jubendi parendíque legibus, homines congregat, qui divinæ auræ particulam trahentes, ipsi quoque naturâ, ad hanc ordina-

tam

tam inclinant Societatem. Quoniam igitur *omnis potestas à Deo est. Rom.* 13. ℣. 1. Et ipse transfert regna & constituit Reges. *Dan.* 2. ℣. 21. ac per ipsum *Reges regnant. Proverb.* 8. ℣. 15. mirum non est, quòd Reges & Principes, in sacris etiam Scripturis, vocitentur *Dei vicarii*, *Imagines divinæ majestatis*, *Deorum filii*, imò *Dii.*

63. Politici (qui videlicet pollent prudenti cognitione de Republica constituenda & ritè conservanda) Rerumpublicarum incrementa ad has potissimùm referunt causas; scilicet 1. *Ad vicinarum Rerumpublicarum ruinam.* Ex historiis enim tum priscis, tum recentioribus, constat *corruptionem unius*, fuisse *generationem alterius*. Sic *Romæ* prima dedit incrementa, vicinæ civitatis *Albæ* interitus. Sic etiam ex ruinis Monarchiæ *Babylonicæ*, surrexit *Persica*: ex *Persicæ* ruinis, *Græca*; ex *Græcæ* ruderibus, *Romana*, quæ ipsa quoque debilitata, *Turcicæ* fatalem ortum progressúmque præbuit. 2. *Ad concessionem libertatis*. Quo pacto *Romulus* promulgatâ libertatis concessione, Romanam in immensum auxit Rempublicam. Obtinendæ enim libertatis spe, plurimi ad eam cives confluxêre. Quin & etiamnum videmus, eos, qui novas moliuntur civitates vel Colonias, promissione immunitatum & privilegiorum, undíque exteros allicere. 3. *Ad civium disparitatem*; quæ videlicet non solùm in artium liberalium vel mechanicarum, aut commerciorum, sed etiam nationum & linguarum varietate consistat. His enim singulis disparitatum modis, crescunt Respublicæ. 4. *Ad studium armorum.* Siquidem armis, maximè auctas fore Respublicas, exemplo sunt, omnium sæculorum Monarchiæ, Regna & Principatus 5. Ad *Concordiam.* Exploratum enim est, quòd, uti per illam res parvæ crescunt, ita, discordiâ, magnæ dilabantur. 6. *Ad deductionem Coloniarum*, quarum plures egregiæ & præpotentes, ortæ noscuntur in utraque India, quas hodie tenent Belgæ, Hispani, Angli, Galli & Lusitani. Hac ratione prodiit celebris Germaniæ Respublica *Colonia Agrippinensis*, quæ in originis suæ memoriam *Coloniæ* nomen retinuit: *Ubiis* olim ab *Agrippa*, Augusti Imperatoris genero, vel *Agrippina*, nepte *Agrippæ*, ad locum, quem hodie occupant, traductis, ut à *suevis* imposterum tutiores essent. Porrò Rerumpublicarum incremento & conservationi maximè obsunt: disciplinæ relaxatio, avaritia, morum pravitas & luxus.

64. Reipublicæ cohæret & subest *territorium*, quod est: *spatium terræ armatum jurisdictione.* Quidam territorium à *terrendo* vel *territando* derivatum volunt, eò quòd Magistratus, intra ejus limites, jus terrendi habeat. Ad territorium tria potissimùm requiruntur. 1*mò* Ut sit *continuum*, alterius Principis vel Magistratûs dominio, non interruptum, quatenus fieri potest. 2*dò*. Ut sit *excultum frequentibus ædificiis* pagorum, vicorum, castellorum vel etiam urbium. 3*tiò*. Ut habeat *limites* artificio, vel naturâ loci, *munitiores.* Ob territorii continuitatem, Galliæ Regnum felicius est aliis Regnis, interposita dominia aliorum, habentibus. Propter ædificiorum frequentiam & incolarum multitudinem, Germania nostra, omnibus aliis antecellit Europæ partibus. Ob limites verò naturâ loci munitiores, felicissima est Anglia, utpote mari circumdata. Qui jus territoriale habet, illi cedit, quidquid *alluvione* vel fortunâ accedit. Possunt quoque Principes superiorem non recognoscentes, in territoriis suis, si sint ampla & separata, contra vicinum se munire, ex structione castellorum vel fortalitiorum. Tenentur autem Principes, ad tutandos subditos, malis hominibus territorium expurgare; adeò, ut, si viator, qui telonium, pedagium

gium vel jus transitus solvit: *Der das geleit bezalt hat*, à Domino territorii, damni resarcitionem petere possit, si à grassatoribus viarum, spolium vel rapinam passus sit. Confer *Mynsingerum. Cent. 5. Obser. v. 17.*

65. Distinguitur territorium in *angustius* & *latius*. Illud est: *Comitatus*, *Dynastia*, *Baronatus*. Hoc: *Provincia*, *Ducatus*, *Regnum*. Circa territorii materiam, Observandum est 1mò. *Quòd Superioritas territorialis: Die Landes-fürstliche, oder Landes-hohe-Obrigkeit*. Aptè sic describatur: *jus & exercitium summi imperii, eique annexorum regalium, quod in omnes territorii istius septis, inclusos homines, tanquàm subditos, regalis juris præsumptione, competit, donec exemptio, probetur privilegio vel immemoriali tempore, quæsita, ex notoria rei evidentia, vel testibus aut documentis.* 2. Quòd quidquid est in Regno vel Principatu, præsumatur esse, *de jurisdictione* Regis vel Principis illius, nisi contrarium probetur. 3. Quòd jurisdictio competere possit, vel *jure solius Magistratûs*, vel *jure dominii realis*. Prima non fundatur in territorio, exemplo Prætorum, Proconsulum & Præsidum provincialium, quos populus Romanus olim creabat; hi enim non in *suo*, sed *populi* territorio, tanquam ministri, jurisdictionem exercebant. Altera verò, non nisi cum territorio exerceri potest, eò quòd proprio titulo, & jure dignitatis Regalis exerceatur. 4. Quòd in Imperio *Romano-Germanico*, jurisdictio territorialis non concedatur, nisi â solo Imperatore tanquam fonte omnis dignitatis & jurisdictonis, & quidem per modum *Feudalis beneficii* & *investituræ*, sub nomine & qualitate: *Des Landes, oder-hohen Ober und Herrlichkeit.* Vide hac de re *Theodorum Reinkingk. lib. 1. Class. 5. cap. 4. n. 50. & seqq.*

66. *Civitatem*, *Rempublicam*, & *Urbem*, sæpe pro Synonymis, authores capiunt. Propriè tamen *Civitas* differt à *Republica*; quia civitas, est quasi *materia*, in quam Respublica, tanquam *forma*, introducitur. Unde Socrates dixit: Rempublicam, id est: *gubernandi rationem*, puta: vel Monarchicam vel Aristocraticam *&c.* fore *civitatis animam*. Ab *urbe* differt *civitas*, quòd urbis termini, sint muri; *Civitas* autem non in parietibus aut muris; sed in hominum multitudine posita sit. Unde cives esse possunt etiam, qui in urbe non habitant, exemplo plurimorum civium Romanorum, qui olim ruri habitabant. *Aristoteles* Civitatem descripsit, quod sit; *perfecta Societas secundùm naturam, ex pluribus pagis constans, omnibus rebus ad vitam necessariis instructa, bene vivendi causâ, instituta.*

67. Pars civitatis, est *Civis*, qui videlicet cum sua familia, certæ est adscriptus civitati, cujus fruitur privilegiis. Civis propriè dictus, est vel *Originarius* vel *Assumptus*. *Ille*, nativitatis jure, civis est, ex patre vel avo cive natus. *Hic* alibi natus, consensu & suffragio Magistratûs, civitatis jus est adeptus. Sunt quoque cives *extranei* & *honorarii*. *Illi* jus civitatis habent, etsi in ea non habitent. Sic *Genevenses* sunt cives *Bernates*, & vicissim. *Honorarii* cives appellantur, quibus honoris causâ, jus civitatis tributum est. Sic Rex Galliæ, *Helvetiorum* & *Venetorum* civis audit. Civis *Germanicè* vocatur: *Bürger*, à *Burgo*, quo nomine, venit locus, *muro vel alio munimento firmatus.*

68. Analogiam inter civitatem bene constitutam formatámque, & vivum corpus humanum, per partes eleganter sic exponit *Plutarchus* *Caput* [inquit] est Magistratus. *Oculi* sunt viri in Republica boni, quos sequimur *Aures* sunt cives subditi, qui imperata faciunt. *Lingua* sunt viri eloquio & eruditione præstantes. *Capilli*

pilli de capite penduli, ſunt homines injuriam paſſi, qui Magiſtratûs opem implorant. *Manus & brachia*, ſunt equites & nobiles, qui hoſtem reprimunt. *Pedes*, ſunt agricolæ, qui omnia ſuſtinent, & victum ſubminiſtrando, alios ſuſtentant. *Oſſa dura*, quæ corpus fulciunt; ſunt viri ſapientes, quibus nititur Reſpublica. *Corda* ſunt conſiliarii. *Collum*, quo caput corpori adhæret, eſt mutuus amor Magiſtratûs & ſubditorum, ex quibus conſtat civitas.

69. *Civitate* prior eſt *Pagus*, qui definitur: prima Societas civilis, ex pluribus domibus conſtituta. Apud hiſtoricos tamen Romanos, latiore ſignificatu, *pagus*. Accipitur, videlicet pro multorum vicorum collectione aliquot milliaria comprehendente. Sic temporibus *Julii Cæſaris*, tota *Helvetia* in pagos: *Tigurinum*, *Bernenſem* &c. qui hodie *Cantones* vocantur, diſtributa fuit. Imò, cùm pagus à verbo Græco *pagy*, quod fontem ſignificat, derivetur; ideo *pagani* olim dicti, qui ex diverſis agrorum partibus & prædiis, ad aquam, ex eodem & communi fonte hauriendam, conveniebant.

70. Primaria civitas, quam velut filiæ matrem reſpiciunt minores, appellatur *Metropolis*. Germ. *Haubt-Statt. Gall. La Capitale*. Ad *hanc* Politici requirunt 1 Ut in uno Regno, non ſit niſi *una*, repræſentans ſummi Principis unitatem Majeſtatis. 2. Ut ſit *populoſa*, cùm ad Majeſtatem conciliandam, tum ad Magiſtratum defendendum 3. Ut ſit *Sacrarium juris & Religionis*, ac proinde omnium facultatum peritiſſimis viris inſtructa ſit, ad quos veluti *Oracula*, in rebus dubiis, confugi poſſit. 4. Ut ſit *ſplendidis exornata ædificiis*, pro Majeſtate Principis vel Magiſtratûs. 5. Ut ſit *probè munita* contra vim hoſtilem & internos quoque motus. 6. Ut ſit *cuſtos archivi*; hoc eſt documentorum publicorum, legum fundamentalium, Actorum & Hiſtoriarum Reipublicæ, quæ Magiſtratui ſemper ad manum eſſe debent.

71. Finis, ùt alias diximus, Civitatis aut Reipublicæ, eſt commodum, ſecuritas & ſalus civium vel ſubditorum. Unde tritum illud: *Salus populi, ſuprema lex eſſe debet*. Peſſimi proinde illi & execrandi, qui in imperio, non niſi imperium cogitant, & ad Rempublicam accedunt velut ad *meſſem auream*, non niſi propriis commodis inhiantes. Ubi pulcherrima *Ciceronis* obſervanda eſt ſententia *ex lib. 5. De Republ. Ut Gubernatori curſus ſecundus, Medico ſalus, Imperatori victoria; ſic huic moderatori Reipublicæ, beata civium vita, propoſita eſt, ut opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honeſta ſit Reſpublica*. Cæterùm, nos Chriſtiani ſalutem hanc, non de *politica* tantùm, *externa* & *terrena*, ſed & de *cæleſti*, *interna* & *æterna* accipimus & interpretamur.

72. Quòd, ſi cum Divo Patriarcha noſtro *Auguſtino*, mentem altiùs attollere, & univerſorum hominum cœtum, ſeu Societatem *myſticè* conſiderare velimus; cum ipſo fateri debebimus; non eſſe, niſi duo hominum genera: *unum eorum, qui ſecundum hominem* (id eſt carnem) *alterum eorum, qui ſecundùm Deum vivunt; quas etiam myſticè appellamus civitates duas, hoc eſt duas Societates hominum: quarum eſt una, quæ prædeſtinata eſt, in æternum regnare cum Deo; altera, ſupplicium ſubire cum Diabolo. lib. 15. de Civit. Dei cap. 1. n. 1.* Utraque civitas in primo homine, per præſcientiam Dei exorta eſt, docente eodem Patriarcha *lib. 12. de Civit. cap. 27. n. 2.* ibi: *In primo homine, qui primitus factus eſt, nondum quidem ſecundum evidentiam, jam tamen ſecundùm Dei præſcientiam exortas fuiſſe exiſtimamus in genere humano, Societates tanquam civitates duas. Ex illo enim futuri erant homines, alii malis Angelis in ſupplicio, alii bonis in præmio, ſociandi*,

ciandi, quamvis occulto Dei judicio, sed tamen justo. Cùm enim scriptum sit: Universæ viæ Domini misericordia & veritas: nec injusta ejus gratia, nec crudelis potest esse justitia. Itaque ex omnibus Gentibus, tanta varietate inter se distinctis, *mysticè* loquendo, non nisi duæ civitates consurgunt, teste Magno Doctore & Parente nostro *lib.* 14. *De Civit. cap.* 1. Ubi sic discurrit: *ac per hoc factum est, ut cùm tot tantæque gentes per terrarum orbem diversis ritibus moribúsque viventes multiplici linguarum, armorum, vestium sint varietate distinctæ; non tamen amplius quàm duo quædam genera humanæ societatis existerent, quas civitates duas, secundùm Scripturas nostras, meritò appellare possumus, una quippe est hominum secundùm carnem, altera secundum spiritum* scilicet viventium. Et infra *cap.* 28. *princip. Fecerunt itaque civitates duas, amores duo: terrenam scilicet amor sui, usque ad contemptum Dei; cœlestem verò amor Dei, usque ad contemptum sui.* Porrò *perplexæ sunt istæ duæ civitates in hoc sæculo, invicémque permixtæ, donec ultimo judicio dirimantur.* Supra *l.* 1. *c.* 35.

CAPUT IV.

DE

Dominio, & his, quæ hominibus communiter competunt.

SUMMARIUM.

1 *Quid sit Dominium generatim?*

2 *Dominium cadit tam in res* incorporales, *quàm* corporales.

3 *Diluitur* objectio.

4 *Quomodò Juris Civilis interpretes describant dominium?*

5 *Dominium aliud* plenum, *aliud* minùs plenum, *idque vel* directum *vel* utile tantùm.

6 *Aliud item est dominium* naturale, *aliud* civile.

7 *Rursus aliud* altum, *aliud* bassum.

8 *Qualiter Deus, mox à mundo condito, Generi humano contulerit jus in res sublunares?*

9 *Primævus status communionis bonorum, quâ ratione diutiùs perdurare potuisset? & quæ ratio inductæ proprietatis ac divisionis bonorum?* ibid.

10 *Non sola animi cogitatione, sed pacto expresso vel tacito, res in proprietatem venerunt.*

11 *Deus concessit homini usum etiam rerum commoditati ac voluptati duntaxat servientium.*

12 *Abusus tamen ejusmodi rerum juri naturali adversatur*

13 *Ex dictis infertur* 1mò *Res ab initio quasi in medio positas fuisse.* 2dò *Falsum esse, quòd* Boeclerus *ait, scilicet rerum communionem, ne minimum temporis durare potuisse.* 3tiò *Improbabilem esse* Zeigleri *& aliorum opinionem: quòd Deus Adamo ita contulerit dominium totius universi, ut absque ejus consensu, nemo filiorum ejus sibi quidquam appropriare potuerit.* 4tò *Primam rerum divisionem* Juri naturali merè permissivo *adscribendam fore.*

14 *Respondetur ad objectionem.*

15 *Vigente bonorum communione, facultas utendi rebus ad vitæ sustentationem simpliciter necessariis, erat* juris naturalis præceptivi, *facultas verò utendi rebus ad commodiùs & delectabiliùs vivendum comparatis, erat pro tunc* juris naturalis merè permissivi.

16 *Ansa disceptationis inter* Grotium *&* Seldenum, *super dominio maris.*

17 *Requisita ex parte rerum, ut possint fieri alicui propriæ, & cadere sub dominium.*

18 *Mare accipi potest pro vasto Oceano, vel pro sinu, aut lacu arctiore.*

19 *Archipelagus* integraliter *à nullo Monarcha vel populo, hactenus fuit* privativè *occupatus.*

20 *Minora* maria, *puta: lacus, stagna, freta, jure naturali* permissivo, *& Gentium* positivo; *in dominium certi populi venire possunt.*

21 *Idem dicendum de vasti maris partibus, quæ littoribus viciniora sunt.*

22 *Etsi* moraliter loquendo, *Oceani totius vastitas, ab uno populo non sit occupabilis; magnæ tamen ejus portiones occupari, & jure dominii vindicari possunt.*

23 Grotiana *Argumenta plus non probant, quàm quòd vastitas Oceani non cadat sub dominium unius Gentis, neque aliis possit inhiberi* innoxius *maris usus.*

24 *Oceanus quatenus dici possit res* interminabilis.

25 *Item; quo sensu, veteribus visus fuerit* inoccupabilis?

26 *Mare occupari potest ratione* personarum, *& ratione* territorii.

27 *Populus, qui navigationis tuendæ aut juvandæ causâ, sumptus facit, à navigantibus vectigal exigere potest.*

28 *Potest Gens Genti per pacta se obstringere, ne ultra certam metam navigatum eat.*

29 *Proponitur quæstio; Num Gens una alteri populo libero inhibere queat, ne ad exteras nationes, commercii gratiâ, naviget?*

30 *Commercium quid?*

31 *Commercia cur introducta?*

32 *Quanam commercii libertas jure Gen-*

Gentium cunctis competat nationibus.

33 *Cessante necessitate vel utilitate mutuâ, Gens Genti mercatum transitúmve inhibere potest.*

34 *Gens una alteri Genti liberæ regulariter inhibere nequit, ne in exteras plagas pariter liberas, negotiationis causâ transfretet.*

35 Batavi *moderni, avitas & veras rationes suas per* Grotium *deductas, armis propriis expugnare conati sunt, ac porrò ad recentius jus Gentium, imò ad pacta pacis* Westphalicæ, *in rem suam, provocârunt.*

36 *Transitus vel mercium transvectio, non solùm armata, sed & inermis, quandoque à territorii dominii impediri potest.*

37 *Aliud dicendum, de innoxia mercium in plagas liberas transvectione.*

38 *Moyses ob denegatum innoxium transitum, justum bellum intulit* Amorreis.

39 *Innoxius transitus, quatenus armis vindicari possit?*

40 *Metus ex multitudine transeuntium conceptus, an & qnando sufficiat ad negandum trasitum?*

41 *An transitus censeri debeat innoxius, si transitum petens, non nisi lucrum ex mercatu intendat?*

42 *An & quâ de causâ, mercibus ratione transitûs, vectigal imponi possit.*

43 *Mercatores alienigenæ, jura* Emporii, Stapulæ, *aut* Geranei, *certis civitatibus competentia observare tenentur:*

44 *Quid sit jus* Emporii *&* Stapulæ? *& quis illud concedat in Imperio* Romano-Germanico?

45 Stapulæ *vocabulum, unde derivatum?*

46 *Quid possint, qui jure* Stapulæ *gaudent?*

47 *Quid sint merces vulgò* Staffelbargüter; *quid* Mess-güter?

48 *Quænam Civitates defacto jus* Stapulæ *habeant? & quid ea de re Constitutionibus Imperialibus dispositum*

49 *A Jure* Stapulæ *quid differat jus* Geranii?

50 Geranium *quid?*

51 *An, & quo pacto, extraneis prætereuntibus tantisper morandi licentia concedenda?*

52 *Num exteris receptum quærentibus indulgenda sit perpetua habitatio?*

53 *Solum sterile aut desertum exteris miseratione dignis facilè concedendum, non ab iis proprio ausu occupandum.*

54 *In necessitate extranei ejici possint ex urbe.*

55 *Num exteri, ad sua in ditione alterius Principis vendenda, liberam habeant facultatem?*

56 *An populus undique cinctus territorio alterius Principis, eô invitô transire possit ad res suas tum alibi vendendas, tum alias emendas?*

57 *An alienigenis competat libertas Matrimonii contrahendi apud vicinas Gentes?*

58 *An Genti uni liceat cum alio populo pacisci, ut is certi generis fructus, qui alibi non nascuntur, sibi soli vendat?*

59 *Extranei in alieno territorio existentes impediri non possunt ab actibus, sine quibus vita commodè conservari nequit.*

60 *An & quatenus, certus populus extraneus excludi possit ab exercitio actuum, quos Respublica, aut Princeps alii passim exercere concessit?*

---

1. DOminium generatim acceptum, præscindendo ab effectu, quem intuitu aliorum parit, nihil aliud est, quàm *naturalis facultas utendi rebus in proprium commodum, ex beneplacito proprio.* Vide *D. Thomam. 2. 2. q. 66. art. 1.* Dominium enim est *jus dominandi*, seu de re ad lubitum disponendi. Si relatè ad alios homines, capiatur dominii vocabulum; bene definitur, quòd sit: *jus de re liberè disponendi, eámque vindicandi.*

2. Dixi: *de re*, puta, tam *incorporali*, quàm *corporali*. Datur enim verum dominium rerum etiam incorporalium. Siquidem in *l. 3. ff. Si ususfructus petatur.* & *l. Semper. 15. §. 8. ff. Quod vi aut clam.* Supponitur dari dominium *ususfructûs* & *servitutum*, quæ sunt res incorporales, ob quas conceditur actio *in rem* & *vindicatio. l. In rem. ff. De rei vindic. tot. tit. Si Servitus vindicetur.* Adhæc: Dominium est jus de re perfectè disponendi; sed de rebus incorporalibus possumus perfectè disponere. Ergo. Si

3. Objicias: Illarum rerum non datur verum dominium, quarum non datur vera possessio: sed rerum incorporalium non datur vera possessio: ergo neque dominium *major probatur*; quia dominium rerum, ex naturali possessione cœpit. *l. 1. in princ. ff. De acquir. vel amitt. poss.* Ergo. *Resp. Neg. maj. probationem distinguo.* Dominium rerum, ex naturali possessione cœpit, ab *initio & inter primos homines C. ex postfacto*, ita, ut nullum sit dominium sine possessione *N.* Alioquin enim legatorum & rerum hæreditariarum, proprium dominium, solâ *agnitione* non acquireretur, quinimò nec traditione *fictâ*, quæ fit per clavium vel instrumenti exhibitionem, consignationem & custodis appositionem. Adde; quòd absque traditione, in Ecclesiam transeat dominium rerum legatarum vel oblatarum. *L. ut inter 23. §. fin. Cod. de SS. Ecclesiis.*

4. Juris civilis interpretes, qui dominium humanis legibus attemperant; illud rigorosè sic describunt: quòd scilicet sit *jus, de re aliqua, plenè & liberè, proprio nomine, disponendi, nisi id jure vel conventione prohibeatur.* Ubi notandæ sunt particulæ. 1. *Plenè & liberè* Ad differentiam solius possessionis, vel ususfructûs. Dominus enim non tantùm possidere, uti & frui, sed & rem destruere potest. 2. *Proprio nomine.* Nemo siquidem, nomine alieno disponens, dominus est rei. 3. *Nisi jure vel conventione prohibeatur.* Quia multi, etsi sint domini rerum suarum; nihilominus *lege vetante*, de iis disponere nequeunt. Ut prodigi *juridicè tales*, id est: pro talibus, à judice declarati. Maritus, intuitu fundi dotalis: item pupillus & minorennis. Similiter, cùm pacta dent legem contractibus, potest quis per conventionem, sibi restringere facultatem de rebus suis disponendi in certis nempe casibus.

5. Dividitur 1mò dominium in *plenum* & *minùs plenum* *Plenum* est jus disponendi tam quò ad proprietatem, quàm quò ad usum-fructum. *Minùs plenum* est: jus disponendi vel tantum de proprietate vel de

de solo usufructu: adeóque vel *directum* vel *utile* est. *Directum* vocatur, quod competit illi, qui tantùm habet nudam rei proprietatem. Germ. *Grund-eygenthumbs-gerechtigkeit*. *Utile* dicitur; quod illi competit, qui habet usum & omnem utilitatem ex rei proprietate provenientem. Germ. *das nutzbahre eygenthumb*. Confer *F. Sylvium in 2. 2. D. Thomæ. q. 66. art.* 1. §. *Quæritur* 1.

6. 2dò Dividitur dominium in *naturale* & *civile*. *Primum* est: quod quis habet beneficio juris naturalis: cujusmodi habet mulier in dote, stante Matrimonio. *Secundum* est: quod quis obtinet ex legum civilium dispositione. Sic maritus, stante thoro, habetur pro domino bonorum dotalium, saltem quò ad fructuum perceptionem.

7. 3tiò Dividitur in *summum* seu *altum*, & in *privatum* seu *bassum*. *Primum* est illud, vi cujus potest Princeps bona civium, in necessitate, convertere in usum publicum. *Secundum* est: quo quisque civis utitur rebus & actionibus suis.

8. Quòd Deus, humano generi generaliter contulerit jus in res hujus inferioris naturæ, statim à mundo condito; atque iterum, mundo post diluvium reparato; constat ex sacra Scriptura: *Genes.* 1. ℣. 29. & 30. ac *Cap.* 9. ℣. 2. Quod intellige de facultate appropriandi res ad necessitatem commoditatémve hominum conditas; non enim mox ab orbe condito, dominia, seu rerum proprietates invectæ fuerunt; sed omnia communia & indivisa omnibus, cunctis velut unum patrimonium erant, data singulis facultate, suis usibus attribuendi, quod vellet; dummodò id ab alio præoccupatum non esset. Nam quod quisque jam arripuerat, id eripere ei alter, nisi per injuriam, non poterat. *Grotius. lib.* 2. *De J. B. & P. cap.* 2. §. 2. hoc explicat, similitudine eâ, quæ est apud *Ciceronem lib.* 3. *De finib. cap.* 20. *Theatrum*, *cùm commune sit; rectè tamen dici potest*, *ejus esse eum locum*, *quem quisque occupavit*.

Igitur, quia dominium præsupponit factum humanum & plures homines; ideo intelligere oportet, quòd Deus homini solùm concesserit jus seu facultatem res *vacuas* occupandi, & post multiplicatum genus humanum, dividendi. Priusquàm enim plures extitêre homines, nil in rigore loquendo, *proprium* vel *commune* fuit; quia *communio* involvit socium possessionis & dominii; *proprietas* verò importat exclusionem alterius, à jure ad rem istam, quam quis privativè tenet. Cæterùm, multiplicato humano genere, *primùm* res quæ immediatè suî usum hominibus præbent, puta: quæ nutriendo, tegendóve corpori inserviunt, in proprietatem venerunt; & quod quisque præoccupaverat, & sic privato usui suo destinaverat, ei proprium efficiebatur. *Deinde* res *immobiles artefactæ* immediatum suî usum præbentes, uti: *domus*: ac *tandem* res, per naturam, citra industriam humanam productæ, uti: *agri*, ex usu & necessitate uniuscujusque, occupatæ fuerunt, ut imposterum occupari potuerint, quibus id visum erat.

9. Primævus status communionis bonorum, utique diutiùs perdurare potuisset, si aut in primitiva simplicitate perstitissent homines, aut vixissent inter se, in mutua quadam eximia charitate. Horum alterum, *communionem* scilicet, *ex magna simplicitate*, viguisse diu, in quibusdam *Americæ* populis, qui per multa sæcula, in eo more perstiterunt, ex historiis proditum est: alterum verò; *communionem* nimirum *ex charitate*, exhibuerunt olim teste *Grotio loc. cit. Esseni*, & ab his orti *Pythagoristæ*: deinde *Christiani*, qui *Hierosolymis* primi extiterunt, & nunc quoque innumeri utriusque sexûs, vitam religiosam profitentes. Simplicitatis, in qua primi homines

nes sunt conditi, argumentum præbuit *nuditas*. Verùm, in hac simplici & innocente vita, non perstiterunt homines, sed animum applicuerunt ad artes varias, quarum symbolum erat *arbor scientiæ boni & mali*, sive, ùt loquitur *Flavius Josephus. Antiquit. Judaïcarum. lib. 1. cap. 1. Solertiæ & intelligentiæ*. Ac proinde earum rerum, quibus tum bene tum malè, homo uti potest. Quò respiciens *Salomon*; *Deus* (inquit *Eccles. 7. ℣. 30. creavit hominem rectum*) id est, *simplicem* : *sed ipsi quæsierunt sibi cogitationes multas*. Antiquissimas artes, fuisse in primis fratribus, Agriculturam & pasturam; discimus ex libro *Genesis*, ubi & aliqua colligitur distributio fuisse facta; alter enim *agrum* frumento, alter *pascuum* sibi vindicârat: intérque primos fratres, ex studiorum diversitate, nedum æmulatio, sed & cædes nata est: ac tandem, cùm boni malorum contubernio contaminarentur, vitæ genus *Giganteum*, id est *Violentum* prodiit. Porrò mundo per Diluvium purgato, pro ferina illa vita, successit cupido voluptatis, cui vinum illecebram magnam præbuit. Præcipuè verò concordiam rupit ambitio, cujus signum turris Babylonica *Genes. 10. ℣. 11.* Non periit tamen ubivis mox à diluvio pecorum pascuorúmque communio; quia tanta erat, in exiguo hominum numero, latitudo terrarum; ut sine ullo incommodo, multorum usui sufficeret, & ùt *Virgilius. Georgic. 1. vers. 126.* canit:

Ne signare quidem aut partiri limine campum, fas erat....

Donec aucto, ùt hominum, ita pecudum numero, non in *gentes*, ùt antea, sed in *familias*, terræ dividi cœperunt. Hoc ex S. Scriptura *Genes. 21.* discimus, simúlque intelligimus, quæ fuerit causa, ob quam à primæva communione rerum, primò *mobilium* deinde *& immobilium* discessum fuerit: nimirum; quia non contenti homines vesci spontè natis, antra inhabitare, corpore aut nudo, aut corticibus arborum, ferarúmve pellibus vestito, incedere, sed exquisitius molliúsque vitæ genus elegerant, ob quod industriâ opus fuit, quam singuli rebus singulis, pro suo beneplacito adhiberent. Quò minùs autem fructus in commune conferrentur, primùm obstitit locorum, in quæ homines discesserant, distantia, deinde justitiæ atque charitatis defectus, per quem fiebat; ut nec in labore, nec in consumptione fructuum, æqualitas debita servaretur. Confer *F. Sylvium in 2. 2. D. Thomæ q. 66. art. 2.* ubi ex Doctore Angelico probat: in statu naturæ lapsæ, non solùm licitam, sed & necessariam fuisse rerum divisionem.

10. Equidem, non *solo animi actu*, res in proprietatem venerunt: neque enim scire alii poterant, quid alii suum esse vellent, ut eo abstinerent; & idem velle, plures poterant: sed *pacto* quodam aut *expresso*, ùt per divisionem; aut *tacito*, ùt per occupationem. Simulatque enim communio displicuit, nec instituta erat divisio, censeri debuit inter omnes convenisse; ut, quod quisque occupâsset, id sibi proprium haberet. Unde *Quintilianus* apud *Grotium*: *Si hæc conditio est, ut quidquid in usum hominis cessit, proprium sit habentis; profectò, quidquid jure possidetur, injuriâ aufertur.*

11. Hic Quæri potest: an usus creaturarum, non necessarius ad vitæ conservationem, sed duntaxat ad commodum atque voluptatem conducens, sit homini ab authore naturæ concessus? v. g. an esus animalium volatilium & terrestrium? *Ratio dubitandi* est: quòd ex S. Scriptura *Genes. 1. ℣. 29. & 30.* colligi videatur, Deum non dedisse facultatem vescendi carnibus., nisi post diluvium. Resp. tamen: quòd creaturarum, etiam animalium

lium usus ad vitæ sustentationem haud necessarius, intra metam sobriæ rationis, fuerit homini à Deo absolutè concessus. *Ratio* est; quòd gratiosissimus naturæ author, eam humano generi largitus sit felicitatem, quæ non sit coarctata mediis ad sustentandam vitam *simpliciter* duntaxat necessariis; sed, quæ etiam prorogetur ad usum rerum vitæ jucunditati ac honestæ voluptati subservientium. Hoc certè colligi videtur ex textu *Genes.* 1. *Dominamini volatilibus cœli & piscibus maris.* Sanè; si animalibus terrestribus & volatilibus vesci, non fuisset à Deo concessum, increscens eorundem multitudo, orbi potiùs noxia, quàm utilis foret; cùm volatilia & aquatica pleraque, & multa ex terrestribus, nihil prosint, nisi occidantur & manducentur. Unde, etsi primi fortè hominum, ob rationes privatas, esu carnium abstinuerint, & simpliciore cibo contenti fuerint; inde tamen evinci non potest, quòd jure naturæ, aut divino positivo, etiam ante diluvium, carnium esus fuerit vetitus. Ac per hoc diluitur dubitandi ratio supra posita.

12. Dixi: *Intra metam sobriæ rationis.* Nam abusus *quò ad modum*, intuitu inordinati affectûs, sicut sanæ rationi, ita juri repugnat naturali. Quanquam enim abusus non vergat in injuriam animalium, utpote juris & injuriæ incapacium, cedit tamen in injuriam creatoris, qui animalia non condidit ad pravum, sed rationabilem hominis usum. Ex hactenus dictis

13 Resultat 1mò. Res omnes sublunares, ab authore naturæ, mox ab initio, veluti in medio hominibus expositas fuisse, ita, ut non magìs huic, quàm isti, propriæ fuerint, datâ tamen singulis facultate, illas ad illam normam occupandi, prout conditio generis humani, ratio pacis atque felicitatis, pro tunc videbatur exigere. 2dò. Falsum esse, *quòd talis communio, nequidem minimum temporis, durare potuerit; quasi naturæ rationali contraria, ferina & insociabilis*, ùt blaterat *Baclerus*, in hoc passu, rectè refutatus à *Puffendorfio. lib.* 4. *de J. N. cap.* 4. §. 14. 3*tiò.* Improbabile quoque esse, quod *Zieglerus*, *Strauchbius* & alii effrœnes, moderati *Grotii*, Commentatores jactitant; negatâ primævâ bonorum communione, asserentes: hujus universi proprietatem sic à Creatore donatam fuisse *Adamo*; ut vi hujus donationis, fuerit verè dominus totius orbis, ac proinde nemo filiorum, citra ejus consensum, donationem vel cessionem, quidquam jure potuerit occupare. 4*tò.* Primævam rerum partitionem, perinde ac primitivam earundem communionem, juri naturali *merè permissivo* adscribendam fore, eò quòd nec rerum divisio, nec earundem communio, sit medium determinatè necessarium ad generis humani subsistentiam aut felicitatem. Etsi enim post naturæ lapsum, creverit hominum habendi cupiditas, & proximi amor defecerit; atque exinde rerum divisio, ad fovendam pacem inter homines, videatur moraliter fuisse necessaria; equidem, jure gentium determinari potuisset aliud remedium sopiendis litibus & jurgiis opportunum. Huc facit, quod scripsit *D. Thomas* 2. 2. *q.* 66. *art.* 2. *ad* 1. ibi: *Unde proprietas possessionum, non est contra jus naturale, sed juri naturali superadditur, per adinventionem rationis humanæ, nempe ex condicto humano, quod pertinet ad jus* positivum, id est: *Gentium.* Cui consonat *Divus Ambrosius lib.* 1. *De offic. cap.* 28. ibi: *Natura, omnia omnibus in commune profudit: sic Deus generari omnia jussit, ut pastus omnibus communis esset, & terra foret omnium quædam communis possessio: natura igitur jus commune generavit, usurpatio jus fecit privatum.* Unde Theologi cum *Divo Thoma* com-

communiter docent: divisionem rerum factam fuisse non *jure naturali*, neque jure divino *positivo*, sed jure *gentium*. Confer *Sylvium loc. cit.*

14. DICES: Si proprietas rerum non esset juris naturalis; furtum non esset lege naturali prohibitum. RESP. Non ideo furtum lege naturali prohibitum esse, quia natura fecerit rem uni propriam, sed, *quia* jubet, rem *nullius* seu communem, ab uno, per occupationem, animo retinendi apprehensam, non debere illi auferri. Igitur jus naturæ dictat quidem non esse rem domino auferendam; ast dominum non facit: planè, sicut idem jus præscribit, domino esse parendum; licet unum hominem non constituat dominum alterius, sed omnes pares fecerit. Si

15. PETAS: Cujus juris, stante rerum communione, fuerit facultas utendi rebus? RESP. Facultas utendi rebus ad vitæ sustentationem *simpliciter* necessariis; erat juris naturalis *præceptivi*, facultas verò utendi rebus ad commodiùs & delectabiliùs vivendum conducentibus, erat juris naturalis *merè permissivi*. *Ratio prioris* desumitur ex amore, quem sibi quisque naturaliter debet: præcipit enim amor iste, ut quis præprimis, utatur mediis ad suî conservationem *absolutè* necessariis. Unde & in casu extremæ necessitatis, licitè quis absumit res obvias, nil obstante alterius dominio, jure gentium, quæsito, cui juri præponderat jus naturale. *Ratio posterioris* est; quòd ejusmodi rerum usus, nec sit à natura præceptus, nec vetitus ab authore naturæ, utpote, qui in hominis gratiam, usúmque rationabilem, creaturas cæteras produxit & destinavit, id quod *Cicero* observans *lib.* 1. *de legib.* ait: *Ad hominum commoditates & usus, tantam rerum ubertatem natura largita est, ut ea quæ gignuntur, donata consultò nobis, non fortuitò nata videantur.*

16. Hîc lubet pertractare *quæstionem celebrem*, an mare cadere possit sub dominium unius Principis, vel nationis? Acerrimè hac super re disputatum fuit superiore sæculo, inter *Hugonem Grotium* & *Seldenum*, quorum primus in favorem *confœderati Belgii Statuum* [qui contra *Hispanos*, pro tunc, contendebant, mare, jure naturæ & gentium, fore dominii incapax, adeóque sibi intercludi non posse navigationem ad *Indos*] insignem scripsit tractatum *de mari libero*, licet sententiam suam primùm indefinitè positam, postea rursus, in gratiam *Batavorum*, alias nationes, à commerciis intra- & ultra-marinis, quò ad certas insulas seu colonias, excludere volentium, valde limitaverit. Alter, natione *Anglus*, & vir subtilis ingenii, in favorem suæ nationis, æmulandi studio, Operi Grotiano opposuit librum *de mari clauso*, & uterque suos habuit Apologetas & Epitomatores. *Bœclerus* in dissertatione, cui Epigraphe: *Minos, maris dominus*. & *Grotio & Seldeno* aliquid concessit, ac mediam atque veram elegit viam, quam & nos velut tutiorem ac usu probatam, sectabimur.

17. Ad discernendum, quænam res ex suî indole subire possint proprietatis angustiam, hîc prænotâsse juvabit; quòd ad istum finem requiratur 1*mò*. Ut hujusmodi res, mediato vel immediato usui humano, per se, aut per cohærentiam cum alia re, subservire queat. Prout lumen v. g. solis subservit ædificio. Ad quid enim res prorsus inutilis acquireretur, ùt propria? 2*dò*. Ut res suî naturâ, non sit inexhaustæ, vel inexhauribilis utilitatis, & de se, citra periculum dissidii rationabilis, cunctis sufficientem usum præbere valeat: cujusmodi est aër ad respirandum; calor solis; aqua fluminis &c. Nam sibi appropriare hujusmodi rem, & alios, ab ejus communione, velle arcere; repugnaret

naret innati amoris principio: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* 3tiò. Ut res ſaltem *mediatè* apprehendi, & cuſtodiri poſſit. Cùm enim proprietatis effectus ſit, poſſe alios ab illa repellere, utique res, ut dici poſſit uni propria; talis eſſe debet, ut apprehendi & cuſtodiri queat.

18. Propiùs ad propoſitæ quæſtionis reſolutionem deſcendendo; ſciendum eſt: quòd mare conſiderari poſſit pro *Vaſto Oceano* totum terrarum orbem ambiente, & magnis continentibus: Europæ, Africæ, Aſiæ & Americæ, terræ itidem Auſtrali & incognitæ interjecto, & quò ad latitudinem, à littoribus remotiſſimo. Vel pro *Sinu*, *freto*, *lacu*, Regnorum littoribus concluſo; cujuſmodi eſt mare *Adriaticum*, quod *Veneti* ſibi deſponſatum volunt.

19. Jam, ſi mare, pro tota ſua vaſtitate, pro Archipelago, ſeu Oceano totum terrarum orbem ambiente aut interſecante, capiamus; veriſſimum eſt, illud ſaltem hactenus à nullo Monarcha, vel populo, fuiſſe ita occupatum, ut in illius dominium vel proprietatem tranſierit, & hoc ſenſu probamus ſententiam *Grotii. lib.* 2. *De J. B. & P. cap.* 2. §. 3. *n.* 1. ubi ait: *Mare ſumptum, aut ſub ratione integri, aut ſub ratione præcipuarum partium, in proprium jus abire non poſſe, quia cauſa ob quam à communione receſſum eſt, hîc ceſſat; cùm non ſit verendum, ne quis tantum ex eo ſumat, ut alii fraudentur, atque ita non ſervetur æqualitas. Eſt enim tanta maris magnitudo, ut ad quemvis uſum omnibus ſufficiat populis ad aquam hauriendam, ad piſcatum, ad navigationem. Naturalis quoque ratio vetare videtur, ne in tota ſua latitudine conſideratum, proprium alicujus fiat. Siquidem occupatio non procedit, niſi in re terminata, quæ ſcilicet fines certos habeat: liquida verò, quia per ſe non terminantur, teſte* Stagyritâ: lib. 11. De generat. cap. 2. *occupari nequeunt, niſi ut contenta in re alia, quomodo lacus & ſtagna occupata ſunt, item flumina, quæ ripis tenentur: mare verò, utpote par terræ, aut terrâ majus; terrâ concludi nequit*, prout veteres, *Apollonius*, *Philoſtratus* & *Sulpitius Apollinaris* & alii à *Grotio* citati arbitrati ſunt. *Quid* inquit *Sulpitius Apollinaris* apud *Gellium*, *lib.* 12. *cap.* 13.) *poteſt dici citra Oceanum eſſe, cùm undique Oceanus circumſcribat omnes terras & ambiat? cùm verò omnes terras omnifariàm & undique versùm circumfluat, nihil citra eum eſt, ſed undique illius ambitu terris omnibus convallatis, in medio ejus ſunt omnia, quæ intra ejus oras incluſa ſunt. M. Acilius* Conſul in oratione ad milites, quam adducit *Livius lib.* 36. *cap.* 17. *Oceano*, [inquit] *qui orbem terrarum amplexu finit.* & *Seneca* in *Suaſoria* 1ma. Oceanum dixit, *totius orbis vinculum, terrarúmque cuſtodiam. Nec fingenda* (*proſequitur* Grotius) *diviſio: nam, cùm primùm terræ diviſæ ſunt, incognitum erat mare ſui maximâ parte, atque ex eo nullus fingi poteſt modus, quo gentes adeò diſſitæ, de diviſione convenirent. Unde, quæ communia omnium fuerunt, & in prima diviſione diſtributa non ſunt; ea non jam diviſione, ſed occupatione, tranſeunt in jus proprium, nec dividuntur, niſi poſtquàm propria eſſe cœperunt, quod de effuſiſſimi maris tractibus dici non poteſt?*

20. Loquendo de *lacubus*, *fretis*, aut magnis aquarum ſtagnis (quo nomine venit mare *internum* vulgò dictum) non diffitemur: hujuſmodi ſinus, aut maria minora, jure naturali *permiſſivo* & gentium *poſitivo* in dominium, ſeu proprietatem certi Regis vel populi, venire poſſe, id quod & ipſe *Grotius loc. cit. cap.* 3. §. 8. agnoſcit eſſe verum, dicit enim ad exemplum fluminis, hujuſmodi maria minora occupari poſſe ab eo, qui terras ad la-

rem prorſus interminabilem per terminos alienos & extrinſecos, quales ſunt: inſulæ, portus, promontoria, ſydera & gradus hodie hydrographici, ex quibus modò Oceanus ita demenſus eſt, ac continens ſeu terra ipſa.

25. Colligitur 2dò. Priſcis Scriptoribus Oceanum viſum fuiſſe *inoccupabilem*, non quod per partes, aut de ſe occupari nequeat; ſed quia ob nimiam magnitudinem & inacceſſibilitatem, ubivis ne inveſtigari, minus tranſvadari poteſt; id quod per accidens ſe habet, ſicut per accidens eſt, quòd tellus ſub Zonis tum extremè frigidis, tum calidis, non ſit habitata; ex quo non ſequitur; iſthæc terræ ſpatia, non fore de ſe occupabilia.

26. Colligitur 3tiò. Quòd etſi mare, hominum habitationi non ſit adeò idoneum, ac tellus; non tamen in alios uſus, minùs ſit proprietatis capax ac occupabile; ſcilicet *ratione perſonarum* & *ratione territorii*, ùt ſupra cum *Grotio* diximus. Sic intuitu territorii maritimi, Princeps aut populus liber, tantùm maris occupâſſe cenſetur, quantum ad neceſſitatem vel utilitatem ſuam, ſibi adſcripſerit. Hujuſmodi liquidum æquoris ſpatium, quædam nationes ad teli vel tormenti jactum, aliæ etiam ad plura milliaria, ſibi proprium effecerunt. Ex quo deinde effectum, quòd multæ nationes, tranſactionibus publicis, piſcatum & navigationem, in certis maris ſpatiis, ſibi privativè arrogaverint; aut non niſi ſub certis conditionibus, alteri genti conceſſerint. Quanquam certum eſſe, cum *Grotio loc. cit. cap.* 3. § 12. putemus; etiam, qui mare occupaverit; navigationem impedire non poſſe inermem & innoxiam, quando nec per terram talis tranſitus impediri poteſt, qui & minùs eſſe ſolet neceſſarius & magis noxius.

27. Colligitur 4tò. Nec contra jus naturæ aut gentium agere, qui recepto in ſe onere tuendæ juvandæque navigationis, per *Ignes nocturnos*, ſeu *Pharos*, & *brevium*, ſeu vadoſorum & minùs profundorum locorum ſigna, vectigal æquum impoſuerit navigantibus, quale fuit Romanum vectigal *Erythræum*, ob ſumptus exercitûs maritimi, adverſus piraticas excurſiones.

28. Colligitur 5tò. Poſſe gentem genti per pacta ſeſe obligare, quòd ultra certum Oceani terminum, navigationem non ſit provectura. Præſcindendo enim à dominio vel imperio, quod una natio poſſet prætendere; non poteſt uni genti eſſe prohibitum, reſtringere ſibi facultatem, ſibi alioquin, jure naturali permiſſivo, cum omnibus communem. Quò faciunt exempla fœderum, quibus unus populus alteri ſe obſtrinxit, ne ultra certum terminum navigaret, prout inter Reges accolas rubri maris, & Ægyptios convenerat olim, teſte *Philoſtrato* apud *Grotium loc. cit.* §. 15. *n.* 1. ne Ægyptii in id mare venirent ullâ navi longâ, nec onerariâ pluſquàm unâ: & teſte *Plutarcho* inter Athenienſes & Perſas, *Cimonis* ætate placuerat, neque navis *Medica* armata, intra *Cyaneas* & *Chelidonia* navigaret.

29. Hîc, ob materiæ cohærentiam, *Quæri* poteſt: utrum Gens una, alteri, *jure* prohibere poſſit, ne ad exteras nationes liberas, per vaſtum mare, commercij gratiâ, navigatum eat? Ante reſolutionem

30. Notandum 1mò. *Commercii* nomine, venire *mutuam inter homines*, *mediante permutatione*, *aut emptione & venditione*, *communicationem rerum*, *quibus mutuò egent*.

31. Not. 2dò. Cùm non omnis ferat omnia tellus, ceſſante primævâ rerum communione, & factâ rerum diviſione, introductiſque dominiis; Gentes, rationis

nis ductu, instituisse commercia, per quæ mutuis sive necessitatibus, sive commodis succurrerent. Sanè; quia indiga nobis natura ab Opifice Deo tributa est; ideo indigentiæ nostræ vix aliter, quàm per commercia, seu communionem cum aliis, subveniri potest, ut ideo *Baldus* non immeritò commercia, *quintum Reipublicæ elementum* vocitaverit.

32. Not. 3*tiò*. Jure Gentium quidem inductam fore commercii libertatem, ast non aliam, quàm illam, quæ sit mutuæ Gentium necessitati & utilitati, adeóque societati humanæ accommodata. Si enim negotiandi libertas evaderet uni genti noxia, periculosa, vel inutilis, meritò illa restringi posset, sicut defacto propter suspicionem insidiarum, periculosos exterorum transitus, intestini mercimonii præjudicia, aliáque Reipublicæ incommoda, nostro ævo, scimus, Lusitanos, Hispanos, Batavos, Gallos & Anglos, sibi invicem, & aliis prohibuisse aditum in novi orbis regiones, in quibus sibi *privativè*, negotiandi facultatem armis etiam vindicârunt.

33. Neque una gens alteri transitum vel aditum in peregrinas oras denegans, ideo statim in jus Gentium impegisse dicenda est; si enim cesset finis jure Gentium intentus, videlicet necessitas vel utilitas mutua, & propter promiscuum aliarum nationum mercimonium, uni Genti ingens inferretur incommodum, puta: quia ob mercium aliunde advectarum copiam, suas distrahere non posset; & ideo status publici diminutionem pati deberet; jure naturæ, & servatâ charitatis lege, posset conservationem & indemnitatem status proprii, ac bonum proprium anteferre bono & commodo alieno. Igitur, licet ob incommodum unius alteriúsve hominis privati, puta ob lucrum cessans, non sit limitanda vel impedienda commercii libertas, aliis nationibus jure naturali *concessivo* & jure Gentium *positivo*, competens; restringi tamen poterit, si alioquin una gens tota, commune, ídque intolerabile detrimentum pateretur. Viderentur enim tali casu, aliæ nationes machinari velle interitum unius Gentis vel Reipublicæ, quæ ad suî conservationem, extrema quæque, juri naturali aut divino non repugnantia, attentare potest. His præmissis

34. Concludendum; quòd Gens una alteri regulariter prohibere nequeat, ne in exteras plagas sibi nullo jure subjectas, transfretet, inibique commercia colat. *Ratio* est; quia commercii libertas est juris Gentium, & Vastus Oceanus, nullius Dominio est obnoxius, adeóque ejusmodi negotiatio, sive ratione termini *à quo*, sive ratione termini *ad quem*, sive demum ratione *medii* aut transitûs maritimi, ab una Gente, alteri, *jure* nequit interdici. Neque sufficiens fundamentum prohibendi foret præjudicium commercii proprii, nisi exinde tanta sequeretur jactura, ut, prout dictum, una gens perire deberet. Igitur sola cessatio sperati lucri, ad augendas in immensum opes, non posset esse legitimus prætextus inhibendi aliis exteris navigationem commercii gratiâ susceptam. Atque hoc sensu, verum scripsit *Grotius* in sua *Dissertatione. De mari libero*, ubi *cap.* 2. contra Hispanos & Lusitanos, vi armatâ, Hollandis navigationem in *Indias* prohibere nitentes ait: Lusitanos non esse earum partium dominos, puta: *Ravæ*, *Tabrobanæ*, *partis maximæ Moluccorum*; ac proinde lusitanis fas non esse prohibendi illic Batavis commercium omnibus gentibus permissum, eò quòd finis commercii, jure Gentium, intentus, non sit utilitas *privata* unius Gentis, sed communis & publica.

35. Quanquam res ita se habeat, & nul-

nulla Gens, solius lucri gratiâ, aliam à memorato commercio excludere *jure* possit; equidem Batavi, suis armis, proprias rationes olim allegatas oppugnantes, sibi privativè commercium cum liberis Gentibus arrogare pertentârunt, prout notum est ex historia famosæ causæ commercii *Ostendani*, ad quod abolendum, Directores Societatis *Hollandicæ* jactitârunt, ùt videre est apud *Pattynium in tract. De mari libero, ex jure naturæ & gentium asserto. cap. 3. pag. Mihi 21. & 26. Que la raison & le droit des Gens d'aujourd'huy, dictent: que la navigation & le commerce, qui du temps des anciens, étoient par tout communs, ouverts & libres, sont presentement regardés, comme limitez, appropriez & partagez en telle sorte, que l'un doit s'abstenir d'aller dans le district de l'autre . . . & que le droit de Gens aujourd'hui porte notoirement à present, qu'on doit s'abstenir de trafiquer dans les terres & places de commerce, qui dans le nouveau Monde appartient aux autres.* Verùm, cùm Batavi observarent, novissimas suas prætensiones, prioribus suis per *Grotium* deductis obluctari rationibus, & suis sese armis cernerent convictos; ad subvertendum maritimum commercium Belgii *Austriaci*, ad pacta pacis *Westphalicæ*, aliásve conventiones provocârunt dicentes: *que la quæstion se reduit à scavoir: s'il-y-a un traité, &c.* quasi verò juri Gentium universali, per pactiones particulares, in favorem Hispanorum & consequenter Belgii Hispanici, seu fœderatarum nunc Provinciarum, ab Austriacis ultrò renuntiatum fuerit, id quod nec ex pacificatione Monasteriensi, nec aliunde hactenus probatum fuit. Confer *Pattynium loc. cit.* Cui junge *Grafwinckelium, Grotii* Apologetam. *tract. De suprem. potest. Statuum Hollandiæ. part. 2. lib. 2. cap. 11.* Si

36. Scisciteris: Utrum transvectio mercium in liberas ditiones, à territorii dominis, per quod, sive curru, sive navi, transeundum est: prohiberi vel impediri *jure* possit? Ante resolutionem Suppono: quòd transitus vel transvectio non solùm armata, sed etiam inermis, à territorii domino inhiberi & impediri possit, si sit periculosa, meritò suspecta, vel ob nimiam frequentiam & mercium transportatarum, copiam, statui publico valde sit præjudiciosa. Quia, quivis jurisdictionem territorialem habens, nedum à periculis violentæ oppressionis; sed & ab aliis incommodis, sibi & subditis suis præcavere potest. Hoc præsupposito

37. Dico innoxiam mercium transvectionem in plagas liberas, non posse prohiberi ab eo Principe vel populo, qui terræ, fluminis aut districtûs maritimi dominium imperiúmve acquisivit. *Ratio* est; quia æquitas naturalis ad hujusmodi officium innoxiæ utilitatis, omnem hominem obligat. Atque hac in parte valde rationabilis est sententia *Grotii lib. 2. De J. B. & P. cap. 2. n. 1.* ubi sic ratiocinatur: *Terræ & flumina, & si qua pars maris in proprietatem populi alicujus venit, patêre debet his, qui transitu opus habent ad causas justas; puta: quia suis finibus expulsi, quærunt terras vacuas; aut, quia commercium expetunt cum gente seposita; aut etiam; quia quod suum est, justo bello petunt.* Rationem dat: *quia dominium introduci potuit* (ego dico: *debuit*) cum receptione (id est: exceptione) talis usûs, qui prodest his, illis non nocet: ideóque dominii authores, id potiùs censendi sunt voluisse; ita ut retineretur in commune, hujusmodi transeundi facultas nemini damnosa, nec illam domino adimere liceret usurpare volentibus.

38. Exemplum habemus insigne (prosequitur *Grotius loc. cit. n. 2.*) in Moysis historia. *Numerorum 20. & 21.* qui cum trans-

transſeundum haberet per alienos fines, primùm *Idumæo*, deinde *Emoræo* has tulit leges [id eſt conditiones propoſuit] iturum ſe viâ regiâ, nec deflexurum ad poſſeſſiones privatas: ſiqua re ipſorum haberet opus, juſtum eis pretium perſoluturum. Quæ conditiones cùm repudiarentur; juſtum eo nomine bellum intulit *Emoræo. Innoxius enim tranſitus denegabatur, qui jure humanæ ſocietatis æquiſſimo, patere debebat. Et ideo juſta bella gerebantur à filiis Iſrael contra Amorræos* inquit *D. P. Auguſtinus lib. quæſt.* 44. ſupra *Num. ad cap* 20. Ex quo

39. Infertur: innoxium tranſitum, quem neceſſitas poſtulaverit, etiam vi poſſe vindicari, ſi ex innani diffidentia aut animi malignitate denegetur. Monet tamen *Grotius*, citiùs tranſitum vindicari non poſſe, nec armis viam eſſe quærendam; quàm ſi à territorii domino, irrationabiliter denegatus fuerit. De *Ageſilao* refert *Plutarchus* apud *Grotium*, quòd ille ex *Aſia* rediens, cùm à Rege *Macedonum* tranſitum poſtulâſſet, atque is deſuper conſultaturum ſe dixiſſet, repoſuerit: *conſultet; nos interea tranſibimus*. Cæterum, quidquid ſit, & quidquid potentiorum exemplis factitatum legatur; ſicut omnes credunt, licere ſibi tranſitum ferro & vi aperire; ita nemo dubitat, quin liceat ſibi armatorum tranſitum oppoſita vi impedire; adeò, ut hac in parte, videatur dari poſſe bellum utrimque *formaliter* [ut dici amat] juſtum; & hæc hodie, non tam juris controverſia, quàm tranſactionis materia eſſe videatur. Quò facit, quòd multitudo tranſeuntium, ſit juſta metûs cauſa, in primis armatorum: tutum enim non eſt: tot hoſpites in ædes ſuas admittere, ut ab ipſis quis ejici poſſit. In quam rem, funeſta poſſent adduci exempla illorum, qui multitudini tranſitum concedendo, peſſimam ſuæ humanitatis mercedem conſecuti ſunt. Itaque jus tibi quæſitum nullum eſt, ubi tranſitus mihi poteſt eſſe noxius; vel quia ipſe ſubjugari poſſum; vel quia hoſtem tuum, mihi hoſtem facio, & territorium meum, *theatrum belli* conſtituere hac ratione facillimè poſſem.

40. Putat quidem *Grotius loc. cit. n.* 4. metum ex multitudine tranſeuntium conceptum, non præbere juſtam exceptionis ſeu prohibitionis cauſam, eò quòd ſint multæ rationes cavendi; ut: ſi diviſis manibus, puta; ſi non uno continenti agmine, ſed inter ſingulas legiones aut cohortes ſervato intervallo, tranſmittantur copiæ: ſi inermes, ſeu ſepoſitis armis; ſi impensâ tranſitum petentis; ſi denique datis obſidibus, aliáve cautione *damni infecti* præſtitâ, tranſitus fiat. Certè, ſi conſideratis conſiderandis, nullum ſuboriri poſſet periculum Principi aut Reipublicæ, per cujus fines tranſitus ex juſta alioquin cauſa petitur; contra *Puffendorfium lib.* 3. *cap.* 3. §. 5. amplectimur opinionem *Grotii*, qui nec eam admittendam vult exceptionem: *quod aliâ poſſit tranſiri*. Tantundem enim [inquit] quivis diceret, atque eo modo, jus tranſeundi planè interimeretur: ſed ſatis eſt, ſi ſine dolo malo, tranſitus poſtuletur, quà proximum & commodiſſimum iter eſt. Aliud eſt, ſi injuſtum moveat bellum, qui tranſire vult; aut: ſi hoſtes meos ſecum ducat; vel: ùt dictum, allectis ſuis hoſtibus, in ditione mea, *theatrum belli* erigat, regionémque meam devaſtari faciat. Tali enim caſu, juſtè tranſitum negavero, & oppoſitis armis impedivero.

41. Redeundo ad mercatum & mercium tranſvectionem; certum putamus, quòd Gens una alteri Genti liberæ, ad tertiam gentem pariter liberam mercatûs causâ, terrâ marive proficiſcenti, regulariter tranſitum negare nequeat; dummodò,

modò, ùt supponitur, transitus ille sit & petatur verè innoxius. An autem transitus ideo uni genti, per cujus imperium terrâ marîve transitur, debeat censeri noxius, quòd aliæ nationes, in exteras plagas liberas, mercatum gerentes, lucrum reportent; sic distinguendum putamus: Num aliæ nationes sibi exuberans lucrum ad augendam & vicinis metuendam potentiam suam, privativè vindicent; num verò genti, per cujus fines transeundum est, æquale lucrum faveant, aut ipsi nil, ex mercatu exterarum nationum, metuendum sit? *Priore* casu admittenda est *Puffendorfii* sententia *lib.* 3. *De J. N. & G. cap.* 3. §. 6. *Secundo* verò casu, probamus ratiocinationem *Grotii. loc. cit. n.* 5. ubi sic discurrit: *Quò minùs Gens quæque, cum quavis gente seposita, commercium colat, impediendi nemini jus est: id enim permitti, interest societatis humanæ: nec cuiquam damno id est: nam, si alicui lucrum* speratum, *sed* non debitum, *decedat, id damni vice reputari non debet.*

42. Hîc subintrat Quæstio; num transeuntibus mercibus terrâ aut amne, aut parte aliqua maris, vectigal imponi possit ab eo, qui illic locorum, dominium vel imperium habet? Resp. Cum *Grotio, loc. cit.* §. 14. *n.* 1. & infra *cap.* 3. §. 14. Quæcunque onera ad illas merces nullum habent respectum, illa mercibus imponi, æquitas haud patitur. Sic capitatio (quæ est: census in capita hominum descriptus) civibus imposita ad sustinenda Reipublicæ onera, ab exteris transeuntibus mercatûs causâ, exigi non potest: Si autem pertineant ad præstandam securitatem mercibus, v. g. ut signa *brevium* ponantur, portus conserventur, naves stationariæ in excubitu sint, ripæ arcibus muniantur, præsidia contra Piratas extruantur *&c.* ad ea compensanda, vectigal aliquod mercibus imponi potest, dummodò modus causæ non excedatur. Sic: ùt *Strabo*, apud *Grotium* narrat: ex fossa, quam ex Rhodano in mare, *Marius* duxerat, ditati *Massilienses*, vectigal exigentes ab iis, qui navibus ascenderent vel descenderent. Sic referente *Tacito lib.* 4. *Hist. cap.* 65. *n.* 6. pro Rheni transitu, pretium accipiebant *Romani*. Et hodie nil frequentiùs videmus, quàm quòd pro transitu rerum venalium, vectigal seu telonium, in singulis ferè pagis ad diversum Dominum spectantibus, solvendum sit.

43. Utrum Mercatores alienigenæ, jura seu Privilegia *Emporii*, *Stapulæ*, vel *Geranii* certis Civitatibus concessa, observare teneantur? Hîc *Quæri* potest? Resp. *Affirmativè*. Qui enim mercatûs causâ, alienum subintrat territorium, ille se legibus, seu juribus realibus loci illius, subjecisse censetur.

44. Est autem *jus Emporii* illud; vi cujus illatæ merces, incolis loci duntaxat, non verò peregrinis, vendi possunt. Vide *Marquardum. De jure Mercaturæ. lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 8. *Jus stapulæ* est illud, vigore cujus merces illatæ, primum in loco aliquo, publicè venum exponendæ sunt, antequam aliò iterum evehi possint. Confer hac de re *Lehmannum. Chron. Spirens. lib.* 4. *cap.* 22. Hoc jus hodie, nulli civitati ab Imperatore conceditur, nisi unanimi omnium Electorum consensu; ita, ut ne unus quidem contradicat. Vide *Rhetium. Instit. Juris publici. lib.* 1. *Tit.* 4. §. 63. & *lib.* 1. *Tit.* 6. §. 25.

45. Dicitur autem *Stapula* à Germanico vocabulo *Staffel*, quo indigitantur gradus in tali loco positi ad exportandas & importandas merces. Alii hoc nomen derivatum volunt à vocabulo Gallico: *Estappe*, quod significat forum seu locum, ubi merces exponuntur; & sic forum primarium *Aureliæ*, *Estappe* dicitur, quòd ibi vina stabulentur aliò exportanda. Lim-

Limnæus ad *Capitulat. Cæs. fol.* 706. Stapulæ nomen, à *Stappelen* (quod olim Emporiis *Hanseaticis* idem erat, ac merces exponere, iterumque compingere) deductum arbitratur. Quidquid sit de nominis Ethymo; per *Stapulam* intelligitur forum seu locus publicus in urbe designatus, ubi merces exonerandæ, & venum exponendæ sunt, antequam aliò devehi possint.

46. Qui jure seu privilegio *Stapulæ* gaudent, facultatem habent: *Kauf-haus, Krane, Schiffer und Kärcher, Kauf-haus-Oberherren, Kranenmeister, und Kauf-haus-Knecht zu halten.* Item: *Das die Kauf-haus-Verordnete über ausgeladene und niedergelegte Staffel-Wahren, ob sie von würden oder nicht? erkennen und richten, und die so unfertig, verwerffen, und den fahrten zu Schiff, und der Ax-ordnung geben.*

47. Hujus privilegii intuitu, merces aliæ vocantur: *Staffelbar-güter*, quæ exonerandæ & exponendæ, ut dictum, veniunt, antequam longiùs avehantur. Aliæ *Meß-güter*, quæ summatim solùm indicantur, nec exponi debent. Vide *Webner. Voc. Staffel-recht* junge *Lehmannum. De privilegio Spirensium. lib.* 4. *cap.* 22.

48. *Stapulæ* ad Rhenum, sunt tres, scil. *Colonia Agrippina. Moguntia, Spira.* Ad Mosellam, *Treveris.* Ad Danubium, tres: *Ratisbona, Ingolstadium, Passavium:* ad Visurgim, *Brema:* ad Albim, *Magdeburgum* & *Hamburgum.* Sunt etiam civitates, quibus jus *Stapulæ* competit in res, quæ terrestri itinere, curru, vehiculo, vel quadrigis vehuntur. Quinimò alius locus, jus *Stapulæ* habet ratione vini duntaxat; alius, alius porrò, ratione aliarum rerum, ut: *salis*, & similium. Vide *Sprenger. Inst. jur. publ lib.* 3. *cap.* 33. *n.* 22. *& seqq.* Cæterùm; quia prætextu hujus juris, plures de mercibus tributum, teloniúmve exigebant in Romano Imperio, qui jus exigendi non habebant; ideo in *Capitulatione Ferdinandi III. art.* 20. hac super re dispositio facta, quæ in *Capitulatione Leopoldi, art.* 21. latiùs exposita legitur.

49. A jure *Stapulæ* differt jus *Geranii*; quod videlicet respicit principaliter utilitatem vectigalium, aliásque provisiones, adversus fraudes mercatorum vel nautarum: nec hoc *Geranii* & *mensurationis* vel *ponderationis* jure, impeditur navigatio aut mercium transitus.

50. *Geranium* autem vocatur ingens tympanum versatile, quo circumacto, merces maximi ponderis, è navibus tolluntur, atque in terram dimittuntur. In Geranii compendium, libræ prægrandes & machinariæ juxta portum, vel in loco vicino, exstrui solent, quarum adminiculo, onera è navibus extracta ponderari & admensurari facilè possunt. Vid. *Knipschild, lib.* 5. *cap.* 22. *De jure & privileg. civit. imp.*

51. Indagant hoc loco *Grotii* Commentatores, utrum, Gentium jure, concedendum sit prætervehentibus aut prætereuntibus, ut valetudinis, aliáve rationabili causâ, aliquantisper in territorio, portu, littoréve alieno, morentur? Resp. Priùs constare debere, quam faciem turba prætereuntium, aut classis navalis præseferat; hostes, an amicos, vel minùs suspectos vehat? An & à contagiosis morbis immunis sit? Perpensis omnibus, quæ politicæ prudentiæ regula, considerenda suadet, quæque innoxiæ utilitatis norma præscribit; humanitatis est, ut non solùm alienigenis concedatur exscendendi, sed & tuguriolorum momentaneorum in littore exstruendorum licentia; dummodò exinde littus non reddatur deterius. Equidem, sicut afflicto non est addenda afflictio, puta: si quis ex naufragio appellat, aut alia causâ miseratione digna, fortè; quia veræ religionis causâ pulsus, receptum quærit; ita, si lucri sui gratiâ, in por-

portum vel littus alienum exscendit; non est inhumanum vel iniquum, si pro compensatione expensarum, vel præstatione securitatis, moderatum quid solvat, prout in quibusdam locis, pro jactis anchoris, quid præstandum, ùt observat *Seldenus de Mari clauso. pag.* 319.

52. Gravior est quæstio; num exteris receptum quærentibus, quia sedibus suis pulsi sunt, aut in nativa regione amplius subsistere nequiverunt; concedenda sit perpetua habitatio? *Grotius loc. cit.* §. 16. liberaliùs affirmat, perpetuam habitationem hujusmodi advenis concedendam fore, dummodò imperium, quod constitutum est, subeant, & alia observent, quæ ad vitandas seditiones, sunt necessaria. Sic [inquit] *Æoles* Colophonios, *Rhodii* Phorbantem ejúsque socios, *Cares*, Milios; *Lacedæmonii*, Minyas; *Cumæi* alios ad se adventantes exceperunt. Neque *Divo Ambrosio. lib.* 3. *De Officiis cap.* 7. probati fuerunt mores eorum, qui peregrinos urbe prohibuêre: quod & ante visum fuit *Ciceroni lib.* 3. *De Officiis. cap.* 11. ubi reprehendit illos, qui peregrinos urbibus uti prohibent, eósque exterminant. Nam etsi inquit *esse pro cive*, *qui civis non sit*, *rectum est*, *non licere*; *quam legem tulerunt sapientissimi Coss Crassus* & *Scævola:* usu *verò urbis prohibere peregrinos*, *sanè inhumanum est.* Profectò, hac in parte, magnâ opus est circumspectione; siquidem quoslibet recipere peregrinos in civitatem, non modò periculosum est; sed nec civitatis cujusque status, id admittit Hinc misericordia ita est temperanda, ut non ipsi cum aliis fiamus miserabiles; & probè considerari debet, an ea sit agri nostri fertilitas, ut commodè eos alere possit? perpendi itidem convenit, an proba vel moribus improba; solers, an ignava sit turba, quæ recipi postulat? ac demum; an advenæ ita distribui possint & locari, ut nullum civitati periculum immineat?

53. Quòd, si quid intra territorium populi, est deserti & sterilis soli; id quidem, si nihil aliud obstet, advenis postulantibus facilè concedendum est. Non probamus tamen *Grotii* mentem *loc. cit.* §. 17. ubi dicit: desertum aut sterile solum, rectè ab advenis occupari, eò quòd occupatum censeri non debeat, quod non excolitur. Non inquam hac in parte probamus *Grotii* benevolentiam erga advenas, sed cum *Bæclero* judicamus, illos contentos esse debere locis & domiciliis, quæ ipsis, à populo imperium habente, assignantur.

54. Quinimò, si urbem aliquam tanta multitudo peregrinorum impleverit, ut incidente frumenti penuriâ, aut alias aucto populo, cives cum exteris subsistere nequeant; peregrini semel admissi, rectè ejiciuntur, ne indigenæ pereant, quorum utique causa potior esse debet. Ita rursum arbitramur contra *Grotium loc. cit.* §. 19. ubi inquit: *ne in tali quidem necessitate expelli posse admissos semel peregrinos*, *sed commune malum communiter tolerandum.* Pro supplemento hujus capitis

55. Petes 1. Num exteri, ad sua in ditione alterius Principis vel Reipublicæ vendenda, liberam & inimpedibilem habeant facultatem? Resp. *Negat.* Cuilibet enim liberum est statuere, quid velit acquirere vel non. Ita vinum & alias merces exoticas olim non recipiebant Belgæ, prout testatur *Grotius.* Et recentissimè Augustissima Imperatrix, Hungariæ & Bohemiæ Regina *Maria Theresia*, in terras suas hæreditarias, aliunde invehi prohibuit pretiosiorem pannum, præcipuè auro vel argento intertextum. Itaque, si quis domesticis copiis contentus esse velit, alienæ merces obtrudi non poterunt, in primis, si damnum aliquod ci-

civitati exinde oriri possit, puta: si subditorum propriorum industria impediretur, aut opes ipsorum, luxûs gratiâ ad exteros transportarentur.

56. Petes 2dò. Quid, si populus aliquis undique alterius territorio circumdatus, merce aliqua abundaret, rebus autem aliis ad vitæ sustentationem necessariis, indigeret; an invito Principe, illas in ejus territorio distrahere posset? Resp. cum *Boeclero* ad *Grotium loc. cit.* §. 20. Ad minimum tali populo facultatem esse concedendam vendendi res suas *per*, & *ultra* territorium; alias, justam adversus prohibentem, bellandi causam habere.

57. Petes 3tiò. An alienigenis competat libertas Matrimonii ambiendi & contrahendi apud vicinas Gentes? *Grotius loc. cit.* §. 21. indistinctè *affirmat*, " veluti; si „ virorum populus (id est, ex meris ma- „ ribus constans) aliunde expulsus, aliò „ venerit. " Nam sine fœmina ætatem agere, etsi humanæ naturæ nequaquam repugnet, repugnat tamen plerorúmque hominum genio. Cœlibatus enim, non nisi excellentibus animis convenit, qui donum habent continentiæ, & asceticam vitam ducere possunt, secundùm evangelica consilia. Quare facultas comparandi uxores adimi viris non debet. Quinimò *jure belli*, *injustè negatas nuptias*, *justè victor auferret Augustino judice lib. 2. De Civit. Dei. cap.* 17. Ita fere *Grotius loc. cit.* Ubi Nota: quòd *loc. cit. Divus Pater Augustinus* agat de raptu *Sabinarum*, aliísque iniquitatibus, quæ in Civitate *Romana*, etiam laudatis viguêre temporibus. Dicit ergo ibi: *justiùs autem bellum cum ea gente geri potuit, quæ filias suas conregionalibus & confinalibus suis negásset petitas, quàm cum ea, quæ repetebat ablatas.* Et infra: *Aliquo fortasse jure belli injustè negatas, justè victor auferret: nullo autem jure pacis, non datas rapuit, & injustum bellum, cum earum parentibus justè suc-censentibus, gessit.* Cæterum, non tam *Grotii*, quàm *Divi Patris Augustini* sententia, cum hisce limitationibus capienda est. 1mò Si aliunde copia mulierum, quàm ab iis à quibus petitæ sunt, haberi non possit. 2dò. Si petentes, eandem religionem profiteantur, & scelestum vitæ genus non sequantur. 3tiò. Si à multitudine peregrinorum non tot petantur uxores, ut Genti, à qua petuntur, induceretur uxorum raritas.

58. Petes 4tò. An Genti uni liceat cum alio populo pacisci, ut is certi generis fructus, qui alibi non nascuntur, sibi soli vendat? Resp. Id non videri illicitum, si Gens illa, quæ tali pacto alium populum sibi obstrinxit, aliis easdem merces æquo pretio vendere parata sit. Nam aliorum non interest, à quo emant: lucrum autem alter alteri prævertere licitè potest, ut industriæ vigilantiæque locus sit. Atque hoc maximè obtinet respectu totius populi aut Reipublicæ alicujus, quæ alium populum tali pacto sibi devinctum, in suam tutelam receperit, sumptúsque, eo nomine, faciendos habeat. Talis itaque coëmptio, eo quo dictum animo, facta, juri naturæ non repugnat, quanquam ob utilitatem publicam, legibus civilibus [*tot. tit. Cod. De Monopol*] privatis, prohibita sint *Monopolia*; eò quòd exinde difficilis reddatur rerum communicatio, & aliis civibus præcipiatur lucrandi occasio ab homine privato. Est enim *Monopolium*, quando penes unum est vendendi potestas, puta: cùm unus solus, vel paucis secum (ut fieri solet) admissis, exercet aliquod mercaturæ genus, atque statuto, juxta arbitrium suum, pretio, merces distrahit. Unde cùm talis augens pretia rerum, suæ deserviat avaritiæ, ac aliis noceat omnibus; ideo *Constitutionibus Imperii* Monopolia rigidè sunt prohibita. Vide *Reichs-policey-ordnung. Zu Franckfurt. De anno* 1577. *tit.* 18. sub *Rudolpho II.* Imperatore.

59. Petes 5tò. An omnes Gentes jure na-

naturæ, habeant facultatem, in aliena Republica, exercendi quosdam actus? Resp. Omnes *simpliciter* & *semper* habent facultatem ad tales actus, quibus ea comparantur, sine quibus vita commodè duci nequit. Non enim par hic necessitas requiritur, ùt in re aliena arripienda, quia hic non agitur de eo, quod fiat invito domino; sed de modo acquirendi, dominis volentibus. Igitur, summa potestas, aut populus, non potest contra societatis humanæ regulam, hujusmodi actibus interdicere extraneas Gentes; quia ùt Divus *Ambrosius lib.* 3. *De Officiis cap.* 7. ait: hoc esset homines *separare à commerciis communis parentis*; *fusos omnibus partus* (id est: natos in omnium utilitatem terræ fructus) *negare*; *consortia vivendi averruncare.* Id est: funditus tollere. Nam de supervacuis & voluptati mere subservientibus, aliud dici potest. Unde resolutio nostra procedit de his, quæ vita desiderat; qualia sunt *alimenta*, *vestimenta*, *medicamenta*; atque ab hujusmodi rebus acquirendis, extranei, citra societatis humanæ læsionem, arceri nequeunt.

60. Quòd, si Gens aliqua vel Respublica, extraneis promiscuè concesserit facultatem exercendi actus aliquos, alioquin, vi libertatis naturalis permissos; veluti: *venari*, *piscari*, *aucupari*, *ex testamento capere*, *res vendere* aut *emere*; *conjugia contrahere* *&c.* tunc citra injuriam, unus populus determinatè, ab hujusmodi actuum excludi nequit exercitio; nisi abusu aut peccato, excludi meruerit; qua ratione, Hebræi cæteri, ùt narratur *Judic.* 20. *Benjaminitis* ademerunt connubiorum facultatem. Exceptio etiam facienda est; si hujusmodi actuum exercendorum facultas, extraneis indulta sit, per modum beneficii, relaxando legem prohibitivam: tunc enim certus populus de novo se insinuans, excludi poterit, eò quòd in beneficii denegatione, nemini fiat injuria. Distinguendum quoque est: utrum extraneis *per modum pacti*, *expressè*, aut sub *titulo oneroso* ac *obligatione reciproca*; an verò *precariò* & *per dissimulationem*, talis facultas fuerit concessa. Priore casu, si pacti fides non violetur, & quibusvis extraneis *indiscriminatim* facultas ista fuerit indulta; nullus populus excludi poterit: secundo autem casu, mutatis rationibus, aut propter immodestiam utentium, aut necessitatem nostræ Reipublicæ, hujusmodi facultas restringi, imò revocari penitus poterit, quia nostræ Reipublicæ salus, primas partes obtinet.



CA-

CAPUT V.

DE
Modis Originariis & Naturalibus acquirendi Dominii, Jure Gentium probatis.

SUMMARIUM.

1 ALiter Grotius *& ejus* Epitomatores, *aliter verò Romani juris* interpretes *dividunt acquirendi dominii modos.*
2 Occupatio *quid & quotuplex?*
3 Venatio *describitur.*
4 *Quomodo hodie venatio dividatur.*
5 *Præscindendo à Principum reservationibus & prohibitionibus, quænam animalia, jure naturali, cedant primò occupanti?*
6 *An & quâ ratione, Princeps supremus, jus venandi subditis adimere, & sibi appropriare potuerit?*
7 *An subditi saltem feras nocivas in fundo proprio occidere vel capere possint? & ad quid teneatur Princeps prohibens subditis abigere feras, segetes depascentes?*
8 *Num subditus feram faciat* suam, *quam contra Principis prohibitionem cepit?*
9 *Vetus & verior sententia non obligat capientem feram, ut eam Principi restituat.*
10 *Neque verum est, furtum propriè dictum, committi à* feripeta.
11 *Non tamen venationis probibitio caret omni effectu.*
12 Feripeta *non videtur supplicio mortis afficiendus, nisi aliunde graves circumstantiæ concurrant.*
13 *Respondetur ad Objectionem.*
14 *Verosimiliùs est, nec furtum committi*

mitti ab eo, qui feram invito domino ceperit in fundo, cujus fructus in venatione consistunt.

15 *Exceptio, & intellectus.* l. 3. §. 14. ff. De acquir. vel amit. possess.

16 *Quid, si fera vel volucris, certo signo domini, cujus custodiam evasit, notata, ab alio capta fuerit vel occisa?*

17 *Ad consequendam feræ proprietatem, requiritur* corporalis *apprehensio.*

18 *Amplectimur distinctionem Imperatoris in* §. 13. Instit. De re divis. &c. *circa feram ab uno vulneratam, & ab alio captam.*

19 *Pariter sequimur judicium Imperatoris, de apibus ab alio captis.*

20 *Itidem: de pavonibus & columbis.*

21 *Nec non, de animalibus naturâ mansuetis.*

22 *Quænam animalia, naturâ suâ, sint* fera, *& quæ* domestica?

23 *Altera occupationis species, est* inventio, *quæ describitur.*

24 *Præscindendo à Principis interdicto; Gemmæ, Corallia, & cætera, in littore maris, reperta, primò occupantis fiunt.*

25 *In locis sive privatis, sive publicis inventa, pristino domino [si detegi possit] restituenda; eo verò non reperibili; probabilior, & magìs pia sententia vult: rem hujusmodi, ejúsve pretium, in causas* pias *erogari debere; licet probabile etiam sit; quòd inventor, talem rem,* titulo fortunæ, *sibi retinere queat.*

26 *Occurritur Objectioni.*

27 *Res, quæ* nullius *est, solâ visione non acquiritur.*

28 *Cur thesaurus, jure naturali* permissivo, *cedat inventori?*

29 *Quid jure* Justinianæo *dispositum sit, circa thesauri inventionem?*

30 *Quid eodem jure obtineat circa thesaurum, in loco* sacro *vel* religioso, *repertum?*

31 *Hodie thesaurus in Cœmeterio vel Ecclesia repertus, non cedit* Fisco, *sed Prælato loci.*

32 *Quid jus* commune *disponat de thesauro invento in loco* publico?

33 *Quid jure* Austriaco *peculiariter constitutum circa thesaurum, alicubi, quomodolibet repertum?*

34 *Cujus sit thesaurus in fundo* Feudali *vel* Emphytentico *repertus?*

35 *Quid de Creditore, in fundo sibi hypothecato, thesaurum inveniente?*

36 *Quod pro* derelicto *habitnm, primò occupantis sit.*

37 *Quatenus constet, quid pro derelicto habitum?*

38 *Res, metu naufragii, in aquas projectæ, nequaquam pro derelictis habendæ; proinde nec occupantibus cedunt.*

39 *Quid circa hujusmodi res obtineat, jure* Belgico?

40 *Quid, itidem jure* Gallicano?

41 *Res è rheda currente decidentes, pristinis dominis probè inquirendis, absque* menytri *exactione, reddendæ.*

42 *Quandónam* tacens, *aut* nil agens, *con-*

trem ſequatur; ut dominus pecudis parientis, efficiatur quoque dominus animalis geniti?

71 *Fructuum nomine, quid veniat? Item: quotuplices ſint fructus?*

72 *Quis* bonæ, malæve fidei poſſeſſor *dicatur?*

73 *Fructus* adſcititios, *id eſt:* meriſſimè induſtriales, *quivis poſſeſſor,* ſuos *facit.*

74 *Non obſtante, quòd lucrum procedat occaſione rei de ſe ſterilis.*

75 *Aliud dicendum de fructibus civilibus* ſpontaneis.

76 Malæ fidei *poſſeſſor (exceptis adſcititiis) quoſcunque fructus, ſive perceptos, ſive, abſque peccato, perceptibiles; in utroque foro, cum re principali, dominio reſtituere tenetur.*

77 *An* malæ fidei *poſſeſſor rei alienæ, quæ apud ipſum ſine nova culpa periit, æſtimationem, domino, de jure naturali, præſtare teneatur?*

78 *Quatenus* malæ fidei *poſſeſſor, fructus, illicitè ex re aliena perceptos, domino refundere obligetur.*

79 Bonæ fidei *poſſeſſor, nedum fructus* induſtriales, *ſed &* naturales *perceptos,* ſuos *facit.*

80 *Perimitur argumentum oppoſitum*

81 *Diluitur* Replica.

82 *Poſſeſſor* bonæ fidei, *fructus perceptos & necdum præſcriptos, facit quidem tantiſper* ſuos; *aſt non* irrevocabiliter.

83 *De Jure Civili, ſolus* bonæ fidei *poſſeſſor, labores & expenſas in fructuum productione & perceptione factas* deducit: *verùm de jure naturali, id etiam porrigitur ad malæ fidei poſſeſſorem.*

84 *Præſcriptio* triennalis, *de jure Civili, adſcribit dominium* irrevocabile *fructuum bonæ fidei poſſeſſori.*

85 *Verius eſt, bonæ fidei poſſeſſorem teneri domino, quatenus ex fructibus perceptis factus eſt locupletior.*

86 *Enervatur objectio.*

87 *Bonæ fidei poſſeſſor, non facit* ſuos *fructus, poſt* litis conteſtationem, *perceptos, vel conſumptos.*

88 *Fructus necdum percepti, ſed adhuc pendentes, à quocunque poſſeſſore, Domino rem ſuam evincenti debent reſtitui.*

89 *Domino non repetenti, res ſua reſtituenda eſt.*

90 *Errat cum* Grotio, Vitriarius *cenſens; illum, qui ab initio, etiam malâ fide, poſſidere cœpit, non teneri, ſuis impenſis, rem domino reſtituere; ſed tantùm teneri, illam ipſi indicare.*

91 *Bonæ fidei poſſeſſor, ad nihil tenetur domino, qui v.g. à fure, conſecutus eſt rei ſuæ æſtimationem.*

92 Præponens, *quatenus teneatur ex facto ſervi* Inſtitoris?

93 *Uxor* condictitiam *habet actionem in rem ex pecunia ſua marito donata,* comparatam.

94 *In pupillos, è re ipsis commodata, locupletiores factos, datur* utilis commodati actio.

95 *Adferuntur plura Theoremata, ex quibus liquet*: b. f. *possessorem, ob æquitatis naturalis rationem, restitutioni obnoxium esse, si sit factus locupletior ex re aliena.*

96 *An, & quatenus quis rem alienam* b. f. *emptam possit venditori reddere, ut pretium recuperet?*

97 *Accessione* industriali, *quibus modis, rei alterius dominium acquiri possit?*

98 Specificatio *quid sit?*

99 *Ex aliena materia, malâ fide speciem faciens, non solùm operam perdit; sed & pluribus actionibus, materiæ domino obstringitur.*

100 *Respondetur ad oppositum argumentum.*

101 *Ad specificationem non sufficit figuræ tantùm externæ mutatio.*

102 *Vinum ex alienis botris factum, fit specificantis.*

103 *Nova species, ad pristinum rudis materiæ statum reducibilis, cedit materiæ domino.*

104 *Cujus sit navis, ex alienis tabulis facta?*

105 *Partim ex sua, partim ex aliena materia novam speciem faciens, dominus ejus evadit.*

106 Adjunctione, *puta:* intexturâ, suturâ &c. *qualiter acquiratur rei alienæ dominium?*

107 *Quandónam aurum gemmis adjunctum, illis cedat, aut écontra?*

108 *Quænam actiones competant contra illum, qui bonâ vel malâ fide, rem alienam, rei suæ jungit?*

109 *Occurritur objectiunculæ.*

110 Ædificatione, *qualiter acquiratur dominium?*

111 *Ex aliena materia, in suo solo ædificans, an & quatenus fiat materiæ dominus?*

112 *Quid juris, si quis ex sua materia in solo alieno, ædificaverit?*

113 *Et quid, si quis id sciens prudénsque fecerit?*

114 M. F. *ædificans, quid stricto jure, quídve ex æquitate possit, si ædificium ab alio vindicetur?*

115 *Moribus hodiernis*, actio de tigno juncto, *quatenus est* in duplum, *ab usu recessit.*

116 *Impensæ quotuplices?*

117 *Aliud est:* deducere, *aliud:* tollere *impensas.*

118 *Impensas* necessarias, *quivis etiam* m. f. *possessor*, deducit.

119 *Impensas* utiles, b. f. *possessor* deducere, *possessor autem* m. f. *solùm* tollere *potest.*

120 *Possessor* b. f. *quatenus impensas* voluptuarias deducere *queat?*

121 *Notabile discrimen inter* bonæ & malæ fidei *possessorem.*

122 *Quid sit* confusio?

123 *Quid juris circa* confusionem?

124 Commixtio *quid, & qualiter per eam, acquiratur dominium?*

125 *Resolvitur objectio.*

126 *Quid de* scriptura & pictura *in aliena charta vel tabella?*

127

1 
Rotii sequaces & enucleatores, dominii acquirendi modos, alios ajunt esse *Originarios* [quibus acquirantur res in nullius dominio existentes] alios *derivativos*, quêis dominium acquisitum, de uno in alterum transferatur. Non aspernamur hanc loquendi rationem & docendi methodum; clariùs tamen loqui videbimur; si dixerimus: modos dominil acquirendi, alios esse *naturales*, qui videlicet *jure naturæ permissivo*, seclusâ omni lege civili, sunt habiles ad consequendum dominium, cujusmodi sunt: *occupatio* & *accessio*. Alios *jure Gentium* receptos; quo jure, ùt insinuatur *Can.* 9. *Dist.* 1. *& l.* 5. *ff. De J. & J.* Divisio rerum introducta, distincta dominia, agris termini positi *&c.* eò quòd ob hominum cupiditatem, invidiam & avaritiam, diu societas humana alioquin pacatè subsistere nequivisset. Alios porrò *civiles*, qui ex legum civilium dispositione, idonei sunt reputati ad transferendum dominium, ut: *donatio inter vivos*, *Præscriptio*, *legatum &c.*

2. Incipiamus ab *Occupatione*, quæ est apprehensio rerum, quæ vel planè *nullius* sunt, vel illarum, quæ *alicujus esse* desierunt. Apprehensio hujusmodi rerum *animatarum*, dicitur *Venatio*: *inanimatarum* verò *inventio*.

3. *Venatio* describitur: quòd sit occupatio feræ bestiæ in naturali libertate existentis. §. 12. *Instit. de Rer. division. & acquir. &c.* Si sit occupatio ferarum *terrestrium*, vocatur *Venatio in specie*. *Volatilium* autem occupatio, dicitur *aucupium*, & *aquatilium*, *piscatio*.

4. Venatio secundùm hodiernum modum loquendi, dividitur in *superiorem* & *inferiorem*, seu *altam* & *bassam*. *Hohe und niedere Jacht*. Superior, seu alta est: quæ pro objecto habet feras *majores*: inferior seu bassa, quæ feras *minores*. Quæ autem sint feræ majores vel minores, usu magis locorum, quàm certâ regulâ aut lege addisci potest. Cæterùm, *D. Finsterwald. lib.* 3. *Observ.* 146. *n.* 7. ait: vigore *der N. Oest. Reis-gejayts*-Ordnung, illum, cui *bannus ferinus superior*, vulgo *Wild-baan*. Competit, non posse alias feras venando capere, *als Hirschen, Wild-bären, und Schweinen*: cæteras verò feras bestias, puta: *Capreas, Capricornos* & *Rupicapras*, item *Phasianos Tardas*, *Tetraones*, *Attagines*, *perdices. Rehe*, *Steinböck*, *Gembs*, *Fasanen*, *Trappen*, *Auerhanen*, *Hassel-hüner*, *Reb-hüner &c.* pertinere ad venationem *bassam*. Confer *Vitriarium* illustratum. *Instit. jur. publ. lib.* 3. *tit.* 18. §. 14. *& seqq.*

5. Generatim, & abstrahendo à Principum reservationibus ac prohibitionibus, regula circa venationem est; quòd quævis animalia *fera*, in libertate sua naturali constituta, cedant occupanti. Juxta § 12. *cit.* & *l.* 3. §. 2. & *l.* 4. ac 5 *ff. eod tit.* Animalia (inquam) *fera*. Nam *imò* excipiuntur animalia *cicurata* seu *mansuefacta*. Hæc enim animalia, quamdiu retinent consuetudinem abeundi; aut facili negotio reduci possunt,

 non

non cedunt occupanti. §. 15. *Instit. eod. tit. add.* Multò magis excipiuntur animalia, ex sua indole, *mansueta* seu *domestica*; quæ, si quis lucrandi animo detineat; *furti* tenetur. §. 16. *Instit. eod. tit.* Id quod verum est, licet alioquin periissent, nisi occupans, illa ab interitu liberâsset. Veluti; si venator extorqueat *lupo* ovem surreptam, *accipitri* columbam; *vulpi* gallinam. Hæc enim nihilominus priori domino sunt restituenda, prout ex æquitate naturali, decisum, in *l.* 44. *ff. de Acquir. rer. dominio.* Dictum quoque: *in libertate sua naturali constituta.* Siquidem animalia etiam *fera*, ab aliquo jam occupata; tamdiu manent occupantis, quàm diu custodiâ ejus coërcentur. *dict.* §. 12. *Instit. ibi*: *Quidquid autem eorum ceperis, eo usque tuum esse intelligitur, donec custodiâ tuâ coërcetur. Cùm verò tuam evaserit custodiam, & in libertatem naturalem se receperit, tuum esse definit, & rursum occupantis fit. Naturalem autem libertatem recipere intelligitur; cùm vel oculos nostros effugerit, vel ita fit in conspectu tuo, ut difficilis fit ejus persecutio.* Consonat *l.* 3. §. 2. & *l.* 4. *princ. ff. tit. cit.* Circa venationem plura quæri solent, quæ succinctè hic rimabimur.

6. *Prima* quidem *Quæstio* esse solet; num Princeps, jus venandi subditis suis, *jure* possit adimere & sibi appropriare? Resp. Ex communi tam Theologorum, quàm jurisperitorum, *affirmativè*. *Ratio* jam sæpe insinuata est; quia jus naturale non vult *positivè* & *absolutè*, ut feræ sint & maneant communes; sed solùm *negativè* & *permissivè* se habet; adeóque, non prohibitum Principi, *positivè* aliter desuper disponere & sibi jus venandi reservare: neque per hoc, quempiam privat jure quæsito; sed duntaxat facit; ne jus venandi, sit in incerto. Taceo; quòd Princeps ex justa causa, jus alteri quæsitum auferre possit. Cæterùm, politici, pro ratione; cur summi Principes jus venandi, tanquam *Regale* vindicent, allegant; quòd vaga & promiscua venandi licentia, Reipublicæ foret perniciosa, tum, quia datâ hac licentiâ, homines valde avocarentur à cultura agrorum & aliis necessariis laboribus, queîs civitates conservantur. Tum, quia prætextu venationis, subditi instruerentur armis, quæ & in necem Principis, aut latrocinia & rebelliones convertere facilè possent. Adde: quòd conditioni Principis valde consentaneum sit, ut venatione, animum curis & sollicitudinibus Reipublicæ causâ susceptis lassatum, relaxet; quod vix fieri posset, indultâ omnibus venandi libertate, quia vix superesset fera aut volucris, quæ trajici aut capi posset. De jure venationum & *Forestali jurisdictione.* Vid. *Vitriar. loc. cit.* §. 8. *& seqq.*

7. Non itaque hodie cuipiam ex subditis licet feras bestias, nisi nocivæ sint, ut *Lupi &c.* venari, nequidem in agris aut sylvis propriis. Quòd si tamen Princeps per ferarum multitudinem, subditis notabile damnum inferri permitteret; puta: si feræ sata & fructus depascerent, illásque abigere prohiberet ex agris; utique teneretur ad hujusmodi damni resarcitionem. *Zoës. ad ff. tit. De A. R. D. n.* 14.

8. Subtilior moveri potest quæstio; num quis teneatur restituere feram, quam contra Principis prohibitionem, cepit? *Zieglerus. De jure Majest. lib.* 2. *cap.* 14. § 24. *& seqq.* Item *ad Grot. lib.* 2. *cap.* 2. § 5. *Puffendorf. lib.* 4. *cap.* 6 §. 11. *Hoppius. ad tit. Instit. de Rerum division. &c.* & alii, volunt: quòd contra Principis prohibitionem, feram capiens, non sibi, sed Principi, illam acquirat. *Rationem* dant: quòd per occupationem, quæ facta est per universitatem in elementis, quæ feræ, pisces & aves inhabitant; etiam dominium earum bestiarum, acquisitum sit populo, vel ei, qui jus habet in populum; adeò, ut, si quis contra legem ipsorum, eas capiat, furtum

tum committat. Itaque (ajunt) ipse Princeps feram occisam censetur apprehendere, & lex civilis (ùt videtur *Grotio loc. cit. cap.* 2. §. 5. *in fin.*) non tantùm dominium ipsarum naturaliter acquirendum antevertit; sed per universalem occupationem, jam acquisitum defendit & tuetur. *Grotii* verba exscripsit ejus Epitomator *Vitriarius* in *suis institutionibus juris nat. & gentium. lib.* 2. *cap.* 2 §. 20. *& cap.* 3 §. 6.

9. Verùm antiquæ & saniori adhæremus tum Theologorum tum Jurisperitorum sententiæ, quæ habet; quòd venator capiens feram, etiam in loco prohibito, si modò non penitus clauso; faciat *suam*, jure naturæ & Gentium; ita, ut capiens saltem ante sententiam judicis non teneatur ad restitutionem feræ, etsi aliunde teneri possit ad compensationem injuriæ, ratione ingressûs prohibiti, vel damni specialiter illati. *Ratio* est: quia feræ, quæ super terram gradiuntur, non terræ, cujus non sunt pars (illi enim non cohærent) sed aëris, in quo spirant, conditionem sequuntur; aër autem omnibus communis est, nec talis esse definit Principis prohibitione. Confer *l.* 3 *ff. De A. R. D.* Itaque, quia feræ in naturali sua libertate positæ, *nullius* sunt; non apparet; cur non cedant occupanti? Consonat *F. Sylvius* in *2dam 2dæ D. Thomæ q. 66. art.* 2. §. *quæritur 3tiò per tot.*

10. Unde absque fundamento, authores quidam etiam moderniores contendunt, furtum committi ab eo, qui contra Principis prohibitionem quantumvis *pœnalem*, ceperit feram. Furtum enim est contrectatio rei alienæ §. *ult. ff. de furt.* Jam autem feræ bestiæ in Sylvis circumvagantes & nondum captæ, non sunt aliena res, quia nec sunt Principis, neque illius, in cujus fundo vagantur. Ergo. Confer *Harprecht. ad tit. Instit. de rei. divis. &c. n.* 375. contra *Waizenegger Dissert.* 5. *de venatione. n.* 38. Ubi tradit lege vel consuetudine effici posse, ut fera contra prohibitionem Principis capta, non fiat capientis. Contra *Principis* inquam *prohibitionem. Hoppius* enim, & adversæ opinionis fautores, discrimen hocce faciunt inter summi Principis & alterius privati prohibitionem; quòd nempe privati domini prohibitio, feram nullatenus afficere possit, bene verò Principis, eò quòd is sit supra jus naturale *permissivum*. Verùm, etsi multa possit summus Princeps, quæ in privati non sunt potestate, rerum tamen naturam intervertere non potest, neque suum dicere potest, quod natura fecit omnibus commune & occupanti concessit.

11. Non tamen frustranea erit venationis prohibitio; tum quia domino fundi, salva est *actio injuriarum* adversus eum, qui ipsius fundum ingressus fuerit. Tum quia feripetæ Principis legem pœnalem transgredientes, pro re nata, præcipuè ob contemptum acriter puniri possunt. Sic præscindendo à particularibus locorum statutis, feripetæ gradatim puniri solent: 1*mò* Mulctâ pecuniariâ aut incarceratione. 2*dò* Relegatione. 3*tiò* Condemnatione ad triremes, vel in opus publicum. *Si*

12. Roges: Num princeps etiam sub pœna mortis possit prohibere venationem? Resp. Per se loquendo, id negandum videri, cûm nulla proportio sit inter feram & vitam hominis. *Nec juvat in contrarium*, quòd non bestia, sed transgressio prohibitionis, attendenda sit. *Nam*, si ita tibi placet arguere; dicere quoque poteris; Principem quoscunque legis suæ transgessores, in materia quacunque levi, & de se etiam *adiaphora*, posse supplicio mortis afficere, quod æquitati naturali minimè conveniret. Mandatum enim Principis, materiæ substractæ attemperandum est. Justo igitur rigidior videtur pœna illa, ut feripeta vivus supra cervum vinculetur. *Das ein Wildprädts-*

prädts-dieb, lebendig auff ein Hirsch geschmiedet werde.

13. Dices: Ob furtum decem imperialium potest quis affici supplicio suspendii. Ergo etiam ob feras bestias furtim sublatas. Resp. *Consequentiam* ad summum concedi posse; si quis frequenter feras, saltui vel vivario præsertim inclusas cepisset; non verò, si in sylva, ubi in nativa libertate vagabantur, & consequenter in nullius dominio erant. Quò facit, quòd *Carolus V. Imperator* pœnam mortis, pro qualitatè delicti, in omnes fures statuens in *Constitutione sua criminali*, feripetarum non meminerit; haud obscurè per hoc insinuans, furtum talem propriè dictum, ab illis non committi. Confer hac de re *Carpzovium Prax. Crim. quæst.* 84. *n.* 27. Junge *Nicol. Everhard. jun. vol.* 1. *consil.* 10. *n.* 35. *Harprecht ad tit. Instit. de re divis. &c. n.* 35. & *Christophorum de Chlingensperg. ibid. quæst.* 26. Ratio est: quòd furtum *naturaliter* sit illicitum, & *Decalogi* lege prohibitum; venatio verò naturaliter sit licita. Si quis tamen expressè in contemptum Principis, à venatione desistere nollet, aut aliæ graves circumstantiæ concurrerent; pœna mortis locum habere posset, præsertim, si admonitio iterata præcessisset. *Authores citati*, quibus junge *Vitriar. Illustratum. loc. cit. §.* 8. *in not. lit. b.*

14. Quid, si fructus fundi in venatione consistant, & quis fundum illum domino prohibente ingressus, feram ibi ceperit; ànne tali casu, feram capiens, furtum committet, & ad restitutionem tenebitur? *Affirmat Mynsingerus, Cent.* 1. *Observ.* 30. cum aliis; sed Resp. cum *Lessio de Just & Jure lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 5. & Theologis communiter *Negativè. Ratio*: quia & tali casu, feræ non minùs in naturali sua libertate sunt, neque dominus prohibens fundi sui ingressum, ipsam feram afficit, aut sibi devinctam facit: animalia enim non sunt fructus sylvarum, agrorum, vel fluviorum, sicut arbores, quæ solo cohærent; sed alia ex aliis procreantur. Proinde, etsi sylva, ager, vel possessio, talis sit; ut ejus fructus in venatione consistant, ipsaque venatio etiam sit alteri elocata; nihilomagìs tamen animalia fiunt domini, conductoris, vel usumfructum habentis; sed duntaxat *jus venandi*, & animalia capiendi, habent: Confer *Lessium loc. cit.*

15. *Dicta* limitationem recipiunt; si feræ etiam bestiæ, à fundi domino antecedenter occlusæ & occupatæ fuissent. Nam pisces in vivario, feræ in roborario, aut sylva circumsepta; Aves in Orinthonibus; cùm amplius in naturali libertate non sint; occupanti non cedunt, non obstante *l.* 3. *§.* 14. *ff. de acquir. possess.* Quia lex ista de stagnis majoribus loquitur, & de sylva circumsepta quidem, sed adeò vasta, ut feræ insequentem facilè eludere, & è conspectu ejus aufugere possint, adeòque in naturali sua libertate vagari censeantur.

16. Quid juris, si feræ bestiæ à nobis occupatæ, custodiam nostram evaserint, postquàm certis signis aut crepundiis notatæ erant, ex quibus colligi possit, quòd fuerint in nostro dominio? Volunt quidem *Grotius, Kulpisius, Puffendorfius*, & alii Doctores etiam *Theologi Orthodoxi*, hujusmodi feram, si ex signo internosci possit; ab alio posteà captam, reddendam esse pristino domino; eò quòd tunc cesset præsumpta derelictio, quæ ceteroquin facit dominium acquiri à capiente. Verùm; etsi sciamus, cervos quosdam & accipitres, ex signis agnitos, pristinis dominis redditos fuisse; non video tamen, cur reddi debeant; cùm signum appensum, tanquam *accessorium* & *accidentale quid*, naturam sequatur feræ, aut volucris nativam libertatem suam consecutæ? Unde sententiam communem, tunc duntaxat procedere existimo; si ulla probabilis sit spes recuperandi feram, hujusmodi

jusmodi signo notatam; puta: si falcones, vel accipitres circurati, aviditate prædæ; *ardeæ*, aut alterius volucris, longiùs avolaverint; & intra paucos dies, à venatoribus, aut aliis hominibus, capti fuerint. Si enim fera etiam cicurata, diutiùs divagata fuerit, & ferinos mores suos rursum induerit; peræquè signum appensum, ac fera ipsa, *pro derelicto*, aut irrecuperabiliter amisso, habendum est. Quis enim dixerit, piscem v. g. *lucium*, è vivario certi domini, in *Rhenum*, ne dicam, *Mare*, prolapsum, & in branchia, annulo distinctivo notatum, ideo reddendum esse priori domino, eò quòd ab ipso, signo quopiam notatus fuerit? Idem est de *cervo*, *accipitre*.

17. Cæterum; ut fera alicujus fiat; requiritur *corporalis* quædam apprehensio, quæ fiat manibus nostris, vel instrumentis aliis, puta: *decipulis*, *retibus*, *laqueis*: Intellige: dummodo, ipsa instrumenta, sint in nostra potestate; deinde, fera ita sit inclusa, ut exire inde nequeat. Quinimò, vulnerâsse feram non sufficiet, ad consequendum ejus dominium, prout in *l. Naturalem. 5. §. 1. ff. de A. R. D.* contra *Trebatium* placuit. Unde proverbium: *Aliis leporem excitâsti.* Quod cadit in eos, qui lucrum persequendo, id notum faciunt aliis, à quibus præoccupantur & præveniuntur. Igitur, aliud est, *scire*, *ubi res sit*; aliud est: *reperire* & *apprehendere*.

18. Quòd, si igitur fera ab uno *vulnerata*, & ab alio *apprehensa* fuerit? Ita naturali ratione distinxit *Imperator* §. 13 *Instit. de Rer. divis. &c.* ut, si fera ita lethaliter sit vulnerata, ut non possit evadere potestatem vulnerantis & persequentis; tunc *ipsi* cedat, licet ab alio fuerit apprehensa; si verò leviùs vulnerata, aufugere possit; *illi* cedat, qui porrò apprehenderit. Eodem modo responsum est *l. 55. ff. de acq. rer. domin.* de apro, qui in laqueum inciderat: & eadem distinctione, dirimenda est quæstio de aliis feris, sive terrestribus, sive volucribus illaqueatis; ut, si extricare se nequeant; cedant laqueum ponenti, alioquin apprehendenti. *Longobardorum* jure, ùt observat *Grotius. lib. 2. de J. B. & P. cap. 8. §. 3. in not. lit. F.* qui feram ab alio vulneratam, occidit, aut reperit; aufert dextrum *armum*. GALL. *l'epaule droite*. GERM. *der förder rechten schenckel.* Unà cum septem costis: in reliqua parte is, qui vulneravit, jus habet, sed non nisi intra 24. horas. Hodie, ex consuetudine plurium locorum; qui feram vulneravit usque ad sanguinem, *das er schweißt* (ùt venatorum more loquar) id juris consequitur; ut possit eandem persequi, etiamsi in aliud territorium se contulerit, modò sine ulteriore sclopeti explosione, sine inflatu corniculi venatorii, & sine incitatione canum, id fiat, prout *præjudiciis* comprobat *Richter. part. 1. Decis. 16.* junge *Vitriar. lib. 3. cit §. 19. in not. lit. A.*

19. De *apibus* consequenter hîc *quæri* potest, an fiant capientis? RESP. Cùm *Imperator* ex veterum etiam Gentilium Philosophorum judicio, apes referat in classem volucrum, quæ *feræ naturæ* sunt; non dubitavit eas attribuere occupanti: occupatæ autem tunc demum censentur, cùm alveo inclusæ sunt. §. *Apium. 14. Instit. de rer. divis. &c.* & *l. 5. §. 4. ff. de A. R. D.* Unde; si examen apum ex alveo avolaverit, in eadem causa erit, in qua fera bestia, quæ custodiam evasit capientis; ita ut fiat alterius capientis, licet quis in alieno fundo & ex aliena arbore, apes exemerit. Poterit equidem, ùt supra insinuatum, volens ingredi fundum tuum, à te prohiberi, ne ingrediatur; &, si nihilominus ingressus, incluserit apes (quarum dominus sit) *actione injuriarum* à te conveniri poterit. Interim examen apum, quod ex alveari tuo avolavit, tamdiu manet tuum; donec in conspectu tuo est, nec difficilis redditur ejus perse-

persecutio. Atque hæc procedunt de apibus *Sylvestribus*; nam in iis, quæ *cicures* factæ sunt, de quibus loquitur *textus* in *l.* 8. *ff. Famil. hercisc.* atque ex consuetudine & diuturna assuefactione, avolare & revolare solent; idem juris passim est; quod in aliis animalibus *cicuratis*. Confer *Wesenbec. ad tit. Instit. De rer. divis. &c. n.* 3. Quid jure *Austriaco*, circa apes, dispositum; reperies, *In die Satz und Ordnung. De juribus incorporalibus. tit.* 9. §. 7. *& seq.*

20. Parilis Quæstio agitari potest de *Pavonibus* & *Columbis*, cui cedant, si capiantur? Resp. Tametsi hæc animalia *feræ naturæ* dicantur in §. 15. *Inst. tit. cit.* (feræ námque naturæ, omne dicitur animal, quod Pastoribus custodiri nequit) nihilominus, quia avolare & revolare ex assuefactione solent, & cicuratis animalibus, eam ob causam, accensentur; eò usque *nostra* intelliguntur, donec animum revertendi habent; adeò, ut intercepta ab aliquo, aut à revertendi consuetudine, per inescationes, artes, aut fraudes, aversa, vindicari à nobis possint, quin &, in intercipientem *dolosum*, detur *actio furti*, perinde, ac si animal *Mansuetum* abstulisset; testibus & authoribus *Bachovio* & *Hoppio*, *ad cit.* §. 15. Quandónam verò hujusmodi volucres consuetudinem redeundi deposuisse censeantur; certâ regulâ definiri non potest; adeóque prudentis judicis arbitratui id relinquendum. Putant tamen *Schneidewinus*, *ad cit.* §. 15. *n.* 4. *Frantz*, *ad eundem tit. p.* 2. §. 3. *n.* 17. hujusmodi volucrem, si duabus vel tribus vicibus consequenter, horis consuetis non revertatur; animum revertendi exuisse, eò quòd binus vel trinus actus, consuetudinem eatenus inducat. Porrò; an columbaria sint licita? aliquando disputatum fuit. Quidam cum *Paludano* in 4. *Dist.* 15. *q.* 2. ea censuerunt esse illicita, & dominos columbarum obnoxios fecerunt restitutioni damnorum, quæ columbæ tempore messis præsertim, aliis inferunt. Hæc sententia, saltem in foro conscientiæ, vera est de columbariis & dominis, qui lucri gratiâ in maxima copia columbas tenent, nec eas domî alunt, sed ex alienis granis foris sustentant. Equidem, nisi alicubi exstet specialis lex prohibens; in foro fori columbaria non censentur prohibita, eò quòd damnum illud quod prætenditur, vel sit nullum, vel adeò exiguum, ut pro nihilo reputetur. Dein; si columbaria usu sint recepta, videtur populus in damnum illud (Si quod sit) consensisse. Alicubi tamen circa usum columbariorum, variæ conditiones statutæ sunt, & pro Belgio videri potest codex Belgicus. Verb. *Jacht.* §. 40. *&* 41.

21. Subnecti potest Quæstio de animalibus *naturâ mansuetis*, seu *domesticis*, cui capta cedant? *Resp.* De iis, jure naturali & gentium, hæc obtinet regula: quòd ea nostra manere intelligantur, quocunque loco sint, licet conspectum nostrum effugerint. Unde Prudenter dixit *Imperator*, *in* §. 16. *Instit. tit. cit. ut si anseres tui*, *aut gallinæ tuæ*, *aliquo modo turbati turbatæve evolaverint*, *licet conspectum tuum effugerint*, *quocunque tandem loco sint*; *tui*, *tuæve esse*, *intelligantur*. Proinde, si quis lucrandi animo, hujusmodi animal surripiat, detineátve, *furtum* perpetrat, eò quòd furtum, ùt cum Theologis, saniores *JCti* tradunt; etiam *in re minima*, ob malam accipientis intentionem, committatur, haud obstante; quòd *actio doli* non detur ob rem minimam. *l.* 10. *&* 11. *ff. De dolo.* Siquidem de jure civili, *actio furti* reputatur ORDINARIA, adeóque faciliùs indulgetur, *actio* verò *de dolo*, EXTRAORDINARIA. Quodcunque ergo juris est in vindicatione rei nostræ

stræ corporalis; id etiam juris est in recuperandis animalibus mansuetis. Si

22. Petas: Cur apes, columbæ & pavones, *feræ* dicantur *naturæ*, gallinæ autem & anseres, animalia dicantur *domestica*? Resp. Quia ex regula Physicorum, animalia illa sunt *domestica*, quibus alia ejusdem speciei opposita, sunt *fera*. Jam verò, ùt rectè *Justinianus in* §. 16. *Instit. tit. cit.* ait: *Aliæ quoque gallinæ sunt, quas feras, alii anseres, quos feros vocamus.* Cæterùm, *JCti* pro feris passim illa habent animalia, quæ facillimè avolant aut aufugiunt, ùt testatur *Perez* ad eundem *titulum instit.*

23. Altera occupationis species, quæ est modus acquirendi *Originarius*, est *inventio*, quæ versatur circa res *inanimatas*, quæ *nullius* sunt, & habet pro objecto suo, vel res quæ *nullius* unquam fuerunt, vel res, quæ fuerunt quidem alicujus, sed jam esse desierunt. *Illius* generis est inventio lapillorum, Gemmarum, & aliarum rerum, quæ in littore maris reperiuntur. §. 18. *Instit. De rerum divis. &c.* Hujus generis est inventio thesauri & rerum derelictarum. Vide *D. Thomam* 2. 2. *q. 66. art.* 5. & ibi *Sylvium. concl.* 1. & 2. Nam quo modo feræ, eodem & alia *adespota*, id est res hero carentes, *jure naturali*, invenienti & occupanti cedunt. Ex quo tamen perperàm colligeretur, quòd legibus aut moribus, aliud constitui non posset. Sic, ùt refert *Grotius loc. cit.* §. 7. *Plato* super re inventa, Magistratibus indicium fieri, voluit, & oraculum consuli: & *Apollonius* thesaurum, *quasi Dei beneficium*, ei adjudicabat, *qui ipsi optimus videbatur*; item apud Hebræos receptum, ut *domino agri*, thesaurus cederet, quod colligi posse videtur ex parabola *Christi Matth.* 13. Cæterùm, Romanorum Imperatorum leges, valde hac in parte variàrunt, ùt ex *Tacito lib.* 16. *Annalium cap.* 1. & *Philostrato* de vita *Attici*, demonstrat *Grotius loc. cit.* Germaniæ populi thesauros, uti & alia *adespota* addixerunt Principi, atque id (prosequitur *Grotius*) nunc *jus commune est, & quasi gentium.* Nam & in *Germania*, & *Gallia*, & *Anglia*, & *Hispania* & in *Dania*, id observatur. Cur autem id injuriæ accusari non possit, aut non videatur injustum; *ratio* est; quia potest *lex* horum dominium, ante occupationem, transtulisse in Principem, aut: ùt clariùs loquar, potuit lex, sive jussus populi vel summi Principis, ita universaliter affecisse res ditionis suæ, ut eæ occultæ & fortuitò detegendæ, non cedant privatis, sed populo, vel respectivè summo Principi. Vide *Sylvium loc. cit.* Falluntur ergò, qui Thesauros aut mineralia; puta: auri, argenti, cupri, ferri alteriúsve metalli fodinas, in fundo privati detectas, privati juris esse arbitrantur, si lege aliter statutum fuerit. Sunt enim hæc juris naturalis, non *simpliciter*, sed *pro certo rerum statu*, id est, si aliter cautum non sit. Quid circa salinas, & omnis generis metalli pretiosioris fodinas, in Imperio Romano-Germanico per *Auream bullam Caroli IV.* & alios Imperii *Recessus*, statutum sit; tradunt *Limnæus ad A. B. c. 9.* §. 1. *Frideric. Horn. lib.* 2. *De Civit. cap.* 3. *n.* 1. *Dn. Seckendorff*, *Im Teutschen Fürstenstaat. p.* 3. *cap.* 3. *n.* 1. Quinimò olim Germaniæ populi, cùm Principibus & Regibus bona quædam essent assignanda, unde dignitatem suam sustinerent, sapienter existimàrunt, ab iis rebus incipiendum, quæ sine damno cujusquam tribui possent, cujusmodi sunt res omnes quæ in dominium nullius privati pervenerunt. Unde *Theuderichus* Gothorum Rex, apud *Assiodorum*, *lib.* 4. *cap.* 34. dixisse fertur: quòd non sit *cupiditas eripere, quæ nullus dominus ingemiscat se amisisse*,

fisse, & idem Rex, Fisco suo, sic mandâsse dicitur: *Depositiones quoque pecuniæ, quæ longâ vetustate competentes dominos amiserunt, inquisitione tuâ, nostris applicentur ærariis, ut quia sua cunctos possidere patimur, aliena nobis debeant libenter offerre: sine damno siquidem inventa perdit, qui propria non amittit.* Ratio eadem est, quæ mox adducta; quia, ùt fatetur *Covarruvias.* in *cap. Peccatum. part.* 2. §. 2. potuit lex etiam ante occupationem harum rerum dominium transferre, cùm ad dominium producendum, lex sola sufficiat. Quid jure communi Justinianæo, circa Thesauri inventionem, dispositum sit; infra dicemus.

24. Redeundo ad lapillos, gemmas, corallia, & cætera, quæ in littore maris reperiuntur; indubium est; quòd præscindendo à legis vel Principis prohibitione, talia jure naturali permissivo, statim inventoris fiant; cùm sint *nullius*, & ejusdem conditionis cum ipso mari: modò reipsâ occupentur & apprehendantur. Inventio enim fit, *non oculis*; quidquid dicant: *Bachovius ad Treutl. vol.* 11. *Disp.* 20. *Thes.* 2. *lit. A. Schambog. ad* §. *Item lapilli.* 18. *Instit. de acq. rer. dom.* & alii; *sed manu*; sive: *non visione, sed apprehensione.* Confer latè *D. Kees. ad* §. 18. *cit.* Consonat *Grotius. loc. cit.* §. 6. Ubi dicit: quòd possessionis initium, sit *corporis ad corpus adjunctio*, qualis circa *res mobiles*, maximè fit *manibus* prehendendo; circa *res soli*, *pedibus*; videlicet intrando, aut circumeundo. Scire enim ubi res sit? non est reperire.

25. Dictum: *In littore maris* Siquidem quæ in privatis locis, vel etiam in plateis aut viis publicis reperiuntur, inventori non cedunt, sed pristino domino per Præconem inquirendo, reddenda sunt, alioquin furtum committitur. *l. Falsus.* §. *Qui alienam. ff. De furt.* Quia: *quod tuum non est, scire debes, ad alium spectare. l. fin. Cod. Unde vi.* Cui autem bona deperdita sint restituenda, si inquisitione diligenti factâ, verus dominus detegi non possit; etiam inter Theologos & Canonistas controvertitur. Plerique volunt, ea in pauperes eroganda, eò quòd pium rationis dictamen jubere videatur; ut, si res vero domino restitui nequeat; tunc in illos erogetur, in quos præsumitur dominus velle erogari: atqui præsumendum est, quòd dominus tali casu, velit rem erogari pro salute animæ suæ in pauperes, vel alias pias causas. Ergo. Ita *Molina, Abbas, Covarruvias* & Theologi communiter, quibus adstipulatur *Hoppius* licet *àcatholicus ad* §. *fin. Instit. De rer. divis. &c.* Contraria tamen sententia, quam post *Lessium, Layman* & alios, tuetur *Paulus Metzger in Theol. Scholast. Tom. III. Tract.* 11. *disp.* 27. *art.* 3. §. 2. *n.* 4. *& seq.* non nihil probabilitatis habet, eò quòd inventio regulariter sit titulus idoneus ad consequendum dominium, nec ullo jure, saltem expresè jubeantur hujusmodi bona pauperibus consignari; adeòque non est planè improbabile, quòd inventa tali casu, inventor sibi retinere possit prout aliquoties diximus.

26. Nec in contrarium urget, quòd *Auth. Omnes peregrini. Cód. comm. de Success.* statuatur; ut bona peregrini *intestati* decedentis, per manus Episcopi, aut hæredibus tradantur; aut: si hi reperibiles non sint; in pauperes erogentur. Id inquam non urget; nam mors peregrini, & defectus hæredum, non est justus titulus occupandi bona, bene verò inventio ad hoc à jure approbata. *Contra* id, quod *supra n.* 24. *in fine* dictum; inventionem scil. non visu, sed corporali apprehensione, perfici.

27. Oppones. Potest alteri tradi fundus per solam visionem. *l.* 1 §. *pen ff. De ac-*

acquir. vel amitt. possess. Ergo à fortiori sic acquiri poterit res, quæ *nullius* est. Resp. Verum quidem esse, quòd traditio, ad suî formam, non requirat de manu ad manum, rei translationem; cùm etiam *per manum fictam*, res tradi possit; equidem indispensabiliter exigitur; ut alter, jus quod habet, transferat voluntate suâ in alterum: jam verò, ut rei communis, quæ *nullius* fuit, acquiratur dominium; debet aliquid intercedere, quo dominium quadantenus transferatur, seu acquiratur; nihil autem aliud hujusmodi esse potest; quàm *corporalis occupatio*. Ergò. Atque hoc, à fortiori, obtinet in re, se *ab intrinseco* movente, v. g. ave aut fera visa; quia multa accidere possunt, quò minùs quis ea capere possit.

28. De Thesauro, ùt supra insinuavimus *n.* 23. omnes conveniunt, quòd jure naturali *permissivo*, ubicunque repertus fuerit, cedat primo occupanti, quia verè res *nullius* est, ex Ratione; quia *Thesaurus*, ùt dicitur in *l. unic. Cod. De Thesaur.* & *l.* 31. §. 1. *ff. De acquir. rer. domin. est vetus depositio pecuniæ* (vel alterius rei pretiosæ) *cujus non exstat memoria, ut jam dominum non habeat.* Quando enim, tam diu, aliquid delitescit, ut spes omnis evanuerit veniendi in notitiam domini; revertitur res ad statum & communionem quasi naturalem, adeóque *nullius* esse reputatur.

29. Si ad jus *positivum Justineanæum* reflectamus; refert: num Thesaurus in fundo proprio vel alieno reperiatur? Si in fundo proprio, & mediis licitis; constitutum est in §. 36. *Inst. De rer. divis. &c.* & *l. unic. Cod. De Thesaur.* quòd totus cedat inventori, *Fisco* verò vindicetur, si *mediis illicitis* detectus fuerit. *dict. l. unic.* Quòd, si in alieno fundo repertus fuerit; dimidium sibi acquirit inventor, pars altera cedit loci domino; intellige; si casu fortuito, fuerit inventus: nam, si datâ operâ; totus domino fundi cedit & inventor jus suum amittit, ut coërceatur cupiditas alieno inhiantium, inhibeatúrq; occasio subruendi loca occulta. Quòd, si magicis artibus, in fundo itidem alieno, inventus fuerit; dominus fundi dimidium habebit, cùm ei non sit auferendum beneficium fortunæ propter delictum inventoris. *dict. l. un. Cod. De Thesaur.* Dixi: *In fundo alieno.* Quia, mediis illicitis, in proprio fundo inventus, totus cedit Fisco. Ubi nota cum *Lessio. De justit. & jure. lib.* 2. *cap.* 5. *dubitatione* 3. *n.* 59. quòd lex, quò ad restitutionem ab inventore respectivè faciendam Fisco aut Domino loci; sit *pœnalis*, adeóque non obliget ante sententiam judicis.

30. Ast, quid, si in loco sacro, aut religioso, inventus fuerit Thesaurus? Resp. *Divus Adrianus* naturalem æquitatem secutus, ei concessit, qui invenerit casu fortuito, cujus sententiam §. *Thesauros.* 39. *Instit. De rer. divis. &c. Justinianus* probat. Sed Divi Fratres, *Severus* & *Antoninus*, thesauri sic inventi partem, Fisco vindicari constituerunt; fortè ea ratione; quòd cura & defensio locorum Sacrorum, quæ Reipublicæ (hodie Episcopi) authoritate sunt constituta, principaliter ad Principem spectent. Confer *Berlichium part.* 2. *concl.* 66. *n.* 15. Intelligenda ergò est *D. Adriani* Constitutio, de locis religiosis privatis, quæ quisque sibi constituit *illatione mortui*: erant enim privata quædam & familiaria sepulchra, in quibus, quod quisque inveniebat, sibi vindicare poterat, tanquam in suo fundo repertum. *Perez ad dict. tit. instit.* Idem est de Thesauro invento in loco *Sacro*, si ejusmodi locus sacer, intra septa privata, contineatur, & quasi ad nos pertineat. Quantumvìs enim hujusmodi locus sit sacer, vel re-

religiosus; videtur tamen quodammodò ejus esse, in cujus fundo constitutus: ut mirum non sit, quòd thesaurus, in hujusmodi hæreditariis sepulchris, vel locis sacris, repertus, inventori fuerit relictus; haud aliter, ac si quis hodie, in propria sua domestica Capella, thesaurum inveniret: quod secus est, si reperiatur in loco religioso *fiscali*, qualia erant, non modò sepulchra Cæsarum, sed etiam privatorum, in loco publico constituta. Hac distinctione tollitur apparens *antinomia*, inter dictum § 30. & *l.* 3. *ff. de jure fisci.*

31. Quid igitur, si hodie thesaurus inveniretur in cœmeterio, vel Ecclesia? Resp. Dimidiam partem, Ecclesiæ ejúsve Prælato, qui pro loci sacri domino habetur, fore adjudicandam. De nostris enim Cœmeteriis & Ecclesiis authoritate Episcopi erectis & consecratis, & Ecclesiasticæ jurisdictioni subjectis, non loquitur Imperator *Justinianus*; sed, prout olim erant loca civili potestati supposita. Confer *Peregrinum. de jure fisci. l.* 3. *tit.* 2. *n.* 7.

32. Thesaurus in loco *publico*, casu fortuito, inventus; pro dimidia parte, pertinet ad *Fiscum*, pro dimidia verò ad inventorem; datâ verò operâ repertus; totus cedit Principi, saltem post sententiam judicis, ùt supra ex *Lessio* bene notatum.

33. Quò ad thesaurum in fundo proprio repertum, concordat jus *Austriacum* cum jure communi relato; ast, si in fundo alieno inventus fuerit, sic statuit *Die Neue Nieder Oesterreichische Satz und Ordnung.* De juribus incorporalibus § 2. *Wan jemand an eines grund-bodem oder eigenthumb ungefehr, aus sonderen gluck-fall, einen Schatz gefunden, oder aber denselben mit vorwis und willen des Grund-innhabers nachgegraben, soll solcher Schatz in drey theil getheilet werden; und der erste dem finder; andere der Grund-Obrigkeit; und der dritte dem Grund-Innhaber zugehören, Wan er aber auf fremden grund und boden, ohne einwilligung nach solchen Schatz gesucht und gegraben hat; ist ihme finderen darvon nichts sonderen die helfte der Grund Obrigkeit, und die helfte dem Grund-Innhaber allein zuständig.* Quòd, si datâ operâ illicitâ, quis ejusmodi thesaurum repererit: *Wan jemand mit zauberey einen Schatz zu eroben sich unterstünde, es geschehe gleich auf seinen eigenen, oder frembden grunde; so ist das jenige was er findet, unser Lands-furstlicher Cammer verfallen, und noch darzu die bestraffung wegen solcher verübter zauberey, dem Land-Gerichts-Herren absonderlich uberlassen.* Ita Jus inferioris *Austriæ loc. cit.* § 3. Quæ tamen constitutio, quatenus pœnalis est, seu quatenus inventori in pœnam delicti, aufert thesaurum; non stringit in conscientia, ante sententiam judicis, prout identidem notavimus. Porrò, consuetudine *Austriacâ*, thesaurus in loco sacro vel religioso repertus, totus cedit Prælato illius loci, prout præjudicio firmat *Finsterwald, tib.* 3. *Observat.* 26. *n.* 2. & decisum refert, in causa *Pauli Dunckel, und N. Prior und Convent Prediger-Ordens zu Wien.*

34. Præcedenti affinis occurrit *Quæstio*, cujus fiat thesaurus in fundo *Feudali* vel *Emphyteutico* repertus? Resp. Pertinere ad inventorem *Vasallum*, vel *Emphyteutam*; & quidem *in solidum*. *Ratio* peremptoria est; quòd omne damnum, si fortè hiatu terræ, aut alio casu, aliqua pars terræ lædatur aut pereat; pertineat ad Vasallum vel Emphyteutam; adeóque & commodum ad eum pertinere debeat, ex regula: *Qui sentit onus, sentiat & commodum.* Quò facit; quòd Vasallus & Emphyteuta, *utiles* domini sint; ita, ut omne commodum ad eos pertineat, proinde & thesaurus. Aliud est de usufructuario; hic enim tantùm percipere potest, quod est *in fructu*; in fructu autem thesaurus non est; quia, in fructu est: *quod nascitur & renascitur*: jam verò Vasallus vel Emphyteuta non capit thesaurum ùt fructum,

ctum, sed ùt loci beneficium, tanquam dominus *utilis.* Confer *Zoësium* ad *tit. ff. de acq. rer. domin. n. 27.*

35. Quid tandem, si creditor in fundo sibi hypothecato, thesaurum invenerit? Resp. Is tanquam inventor, jure scilicet inventionis (juxta juris Civilis dispositionem, de qua *supra n. 29.*) mediam partem sibi retinet, alteram partem *debitori* traditurus. Etiamsi autem postea debitum solutum fuerit; non ideo tamen tenebitur totum thesaurum debitori restituere; quia mediam partem, eo jure retinet, quo quivis alius inventor, qui fortuitò & absque malis artibus thesaurum reperit. Sic pariter maritus, pro dimidia parte, thesaurum retinet, quem in fundo *dotali* reperit, altera parte uxori, velut dominæ *naturali* tribuendâ. *Zoës. loc. cit. n. 22. & 29.* Hic incidenter *Quæri* posset, si emptor invenerit thesaurum in re vendita, an venditor habitâ ratione thesauri, querulari possit se ultra dimidium fore læsum? Resp. *Negativè.* Ratio: quia thesaurus à venditore non censebatur possideri, nec in ejus fuisse potestate; adeoque ratione thesauri ab emptore inventi, non potest dici læsus in pretio. Franc. Aretinus in *l. si quis cum aliter ff. de V. O. n. 8.* Cagnol. in *l. 2. Cod. de rescind. vendit.* Andreas Fachineus *lib. 2. controvers. juris. cap. 20. pag mihi 244.*

36. Res derelictas, jure naturali cedere primo occupanti, in confesso est apud omnes. Dicuntur autem *res derelictæ* in *§. 46. Instit. de rer. divis. &c. quas dominus eo animo abjecit, ut intra numerum rerum suarum, deinceps non essent.*

37. At verò, cùm ex animo domini pendeat; quid pro derelicto habere velit; quâ ratione, mihi de illo constare poterit? Resp. cum *Grotio, lib. 2. de J. B. & P. cap. 4. §. 3.* Non quidem congruit naturæ humanæ, nudis animi actibus vim aut efficientiam juris tribuere, quia animus cognosci non potest, nisi ex signis externis: attamen natura humanæ societatis, quæ vult, ut officiorum inter nos & rerum fiat commutatio, etiam non patitur, ut actibus animi sufficienter indicatis, nulla sit efficacia, ne alioquin nullum sit medium hujusmodi negotia expediendi inter homines. Signa autem externa, ex quibus de alterius animo constare possit, sunt: *verba* vel *facta.* De *verbis* domini rem suam abdicantis, res est expedita; dummodò non sint vaga, ambigua, obscura. *Factis* aliquid habetur pro derelicto, quod abjicitur aut deseritur, nisi ea sit circumstantia; ut temporis causâ, requirendi aut repetendi animo, quid sit abjectum aut desertum. Unde, si

38. Rog. s: An apprehendens res, quæ suborta tempestate, levandæ & exonerandæ navis causâ, in mare projectæ fuerunt, earum velut derelictarum, acquirat dominium? Resp. *Negativè*, per *text. §. fin. Inst. de rer. divis. &c.* Siquidem palàm est, hujusmodi res non eo animo abjectas fuisse, quasi dominus eas habere noluerit, sed ideò duntaxat, ut evitaretur naufragium. Quamobrèm irrationabilis habetur consuetudo quorundam locorum, per quam res metu naufragii in mare projectæ, ipsis naufragis auferuntur, & domino aut fisco, vel etiam ipsis expiscatoribus attribuuntur. Nam afflicto non est addenda afflictio. *l. 1. Cod. de naufrag. Authent. Navigia. Cod de furt.* Junge *Constitutionem Caroli V. art. 218.* Proindeque meritò in Camera Imperiali contra ejusmodi spoliantes & raptores, à præcepto inchoari solet, ac decernuntur mandata *fine clausula.* Vide *Gail. lib. 1. Obs. 18.* Junge *Struvium. Syntag. Exercit. 20. §. 30. Seldenum in mari clauso. Stracha. Tract: de navigat: n. 35. Mornac: in Observ. ad l. 9. ff. de lege Rhod: de jactu.* Qui omnes cum *Friderico Horn: de Civit, lib. 2. c. 3. §. ult: in fine.* Tale jus improbant, quod ubi viget, vocatur: *das strand recht.* Vide *Rhetium Instit. J. P. lib: 2. tit: 19. § 4. pag 442.*

40. In *Gallia*, ex *Ludovici XII.* & *Henrici III.* Constitutionibus, non nisi intra duos menses, dominis licet hujusmodi res metu naufragii abjectas aut deperditas persequi: ex post autem, rerum extractarum tertia pars urinatoribus, tertia Admiralio, tertia Fisco aut dominis, quorum in finibus extractæ sunt, attribuitur. Quidquid sit de his singularibus statutis.

41. Certum est, quod res ex rheda currente decidentes, non fiant inventoris, sed earum dominium maneat penes priorem dominum. Quin & ejusmodi res inventæ solent & debent publicè aut voce Præconis aut Concionatoris ex suggestu proclamari & domino comparenti restitui; ita, ut inventor *menytrum*, id est inventionis præmium, aut mercedem, absolutè & honestè petere nequeat, licet ultrò oblatum acceptare queat. *l.* 43. §. 7. *ff de furt.* Confer *Georg: Engelbrecht ad ff. tit: de A. R. D. n* 10.

42. Dictum supra *n.* 37. Ex *verbis* & *factis* colligi animum domini rem suam derelinquentis. Ubi sciscitari posses: an sub factis, etiam comprehendantur *non facta?* Resp. Moraliter, sub factis, venire & non facta, si nempe certæ circumstantiæ, non factum, pro facto haberi suadeant. Sic: qui sciens tacet, quando agitur de commodo ejus, videtur consentire: quando etiam agitur de ipsius præjudicio vel obligatione, tunc demum consentire videtur, si actum impedire potuit, & non fecit. Ita *Grotius lib.* 2. *de J. B. & P. cap.* 4. §. 5. *n.* 1. & ejus interpretes ibidem nempe *Zieglerus*, *Vitriarius* & alii. Quia tamen multis scrupulis exposita manet communis ista resolutio; ideo lubet illa hîc repetere, quæ olim ad *Regulam* 43. *Juris in* 6. *Qui tacet consentire videtur.* Scripsi in *Moravia*.

Sciendum igitur est, in dubio, sive agatur de amittendo rei suæ dominio, sive de quærendo compendio, sive de utilibus, sive præjudicialibus, & tandem; sive agatur de actu, cujus valor per contradictionem impediri possit, vel non; illum, qui tacet, consentire videri, *dummodò legitima in contrarium non detur conjectura. Ratio* est; quia in dubio, non est facilè supponenda conjectura impediens facultatem contradicendi, quia facillimum est unicuique, contradicendo ostendere displicentiam & contrariam suam voluntatem, præcipuè, cùm nobis naturâ insitum sit contradicere illis, quæ fieri nolumus, nisi alias impediamur, quod addo; quia sæpe circumstantiæ graves, v. g. metus, concurrere possunt, quò minùs quis dissensum manifestare possit. Unde præsumptio consensûs, ex taciturnitate cessat, si in contrarium detur legitima fortiórque conjectura. *Argumentô. cap. litteras.* 14. & *cap. licet causam. De probationib.*

43. Nec Obstat *l. Si filius fam.* 18. *ff. Ad Macedon.* Ubi *textus* probat: patrem præsentem ac tacentem, non præsumi consentire in debitum à filio contractum, nisi insuper litteras, in quibus agitur de eo obligando, recipiat absque ulla protestatione contrariæ voluntatis. *Nam*, licet, dum factum recipientis litteras, cum taciturnitate insimul concurrit, à fortiori præsumatur consensus; nihilominus hujusmodi præsumptio potissimùm resultat ex taciturnitate illius, qui, cùm posset; non contradixit, ùt patet in audiente nuntium & tacente, qui absque ullo facto interveniente, præsumitur consentire.

44. Dices: 1*mò*. Præsens & tacens, stipulanti non obligatur, neque consentire videtur. *l.* 1. *in princip. ff. de Verb Obligat.* 2*dò*. Qui baptizatur, atque loqui potest, non censetur consentire, si taceat ad interrogata. *Can. cùm pro parvulis. De consecrat. dist.* 4. 3*tiò*. Si præsenti & tacenti res sua furto auferatur, tantum abest, ut consensisse videatur, ut etiam *furti actionem* consequatur, perinde atque si eo invito, res foret sublata. *l. penult. ff. de furtis.* Ergo fallit, quod taciturnitate-

citurnitas inducat præsumptionem consensûs. Ad primum. RESP. Quòd verba sint de forma *stipulationis*, adeóque mirum non sit, quòd ibi taciturnitas nihil operetur, ubi lex verba requirit. *Ad secundum* RESP. eodem modo, rem se habere in Baptismo *adultorum*: lex enim & inibi requirit expressa verba, ut constare possit de indubitata mente ejus, qui baptizatur, ne sub prætextu *Christianismi*, Judaïcus vel Gentilitius animus in homine latitaret. Quò facit, quòd in Baptismo, ubi fit prima fidei confessio; Deum, non solùm *corde* & *opere*, sed & *ore* confiteri oporteat. *Ad tertium* RESP Hoc ideo esse; quia in tali casu, legitima in contrarium datur conjectura, nemo enim censetur violento raptori velle donare res suas. Adde: quòd & hoc, odio furum receptum sit, qui, quòd tacuerit dominus, regerere, & sic propriam turpitudinem allegare non possunt.

45. Igitur, quanquàm faciliùs consensisse præsumatur *tacens*, quando non agitur de amittendo rei suæ dominio, vel ejus præjudicio, & écontra, tacens videatur dissensisse, aut saltem non *positivè* consensisse, si de amittendo rei propriæ dominio, ejúsve damno vel gravamine subeundo, tractatur; eò quòd in dubio, nemo præsumendus sit ita supinus, ut res suas, quas multis fortè laboribus comparavit, levi brachio velit profundere; nihilominus ista distinctio non stabilit regulam perpetuam, quam exinde deducit *Glossa ult. in cap. Nonne De præsumpt.* Siquidem, in *l. Si servus communis.* 39. *sub finem. ff. de donat. inter virum &c.* ex præsentia & taciturnitate, inducitur donatio, pro parte dominii, quod dominus habebat in servo. Similiter: in *can. Si servus, dist.* 54. Agitur de dominio servi amittendo, & tamen *tacens* habetur pro consentiente.

46. quamobrèm, alii, qui rem limatiùs perpendisse putârunt; exploso intellectu istius *Glossæ*, distinxerunt inter actus, quos tacens poterat contradicendo impedire, & inter illos, qui eo invito & contradicente, validè celebrantur, ut in prioribus, tacens consentire præsumatur, & ita procedat regula: *Qui tacet consentire videtur.* Secus verò in posterioribus. Sed *contra* est: quia hæc, ùt ùt communis sententia, non omni ex parte satisfacit, & plures patitur *instantias*: siquidem, pignoris constitutio, est de illis actibus, quos dominus præsens, poterat contradicendo impedire; quia in re aliena, absque domini consensu, non valet pignoris constitutio. *l. Aliena res. ff. De pignoratit. Act. l. Quæ prædium. Cod. Si aliena res pignori &c.* Et tamen, si dominus præsens sit & taceat; non præsumitur consentire, nisi aliud indicium concurrat. Econtra verò, rei pignori obligatæ venditio, sicut & venditio rei alienæ, est actus, qui creditore vel domino invito, de rigore juris civilis, valet. *l. Rem alienam* 28. *ff. De contrab. empt.* & tamen si venditio fiat præsente creditore tacente, consentire præsumitur in liberationem pignoris, cùm jus pignoris remisisse censeatur. *l. 2. Cod. de remiss. pignor. l. Si debitor.* 4. §. 1. *ff. Quibus mod. pign. &c.* Tametsi igitur allata distinctio, an videlicet *tacens* possit contradicendo actum impedire vel non, alicujus sit considerationis; non tamen *per se* sufficit ad fundandam regulam perpetuam, ut tacens semper consentire, vel dissentire præsumatur. Sed semper, & præprimis considerandum est, utrum ex præsentiæ & taciturnitatis, totiúsque rei gestæ circumstantiis, legitima & rationabilis non detur in contrarium conjectura. Prout præclarè observavit *Petrus Peckius ad cit. Regul.* 43. *jur. in 6.*

47. Si nunc ad argumentum nostri propositi revertendo, PETAS: quænam requirantur in silentio, ut valeat ad præsumendam derelictionem? RESP. Hæc duo. 1. Ut sit silentium *scientis*; nam, silentium *nescientis*

entis jure naturæ, caret effectu. 2. Ut sit *liberè volentis*: si enim alia causa appareat, cessat conjectura consensûs.

48. Ex antecedentibus, concomitantibus & subsequentibus circumstantiis rei gestæ, colligi potest, num quis *silendo* consensisse præsumendus sit. Quinimò, verosimilis conjectura scientiæ & voluntatis, ex solo temporis lapsu, colligi potest. In primis enim rarissimè continget, ut multo tempore res ad aliquem pertinens, non aliquâ viâ ad ejus notitiam perveniat, cùm multas ejus occasiones subministret tempus, ut ait *Grotius loc. cit. cap.* 4. §. 6. Deinde, licet metus semel incussus (ob quem quis tacuerit) aliquantisper durare credatur; non tamen continuò, nec perpetuò; cùm tempus longum, multas occasiones adversus metum, sibi consulendi, *per se* vel *per alios* suppeditet, etiam exeundo fines ejus, qui metuitur, saltem, *ut protestatio de jure* fiat, aut quod potiùs est & securiùs; *ad judices & arbitros provocetur*, sicut multoties à metum passis, & vi majore oppressis, factitatum scimus.

49. An autem ad fundandam derelictionis conjecturam, tantum temporis requiratur *inter præsentes*, quantum *inter absentes*; ideo Quæri potest: quia interpretes ad §. 12. *Instit. De jur. nat. Gent. & Civili.* saltem istum in finem, requirunt *decennium*, in rebus immobilibus, inter præsentes, & duos actus in contrarium gestos, nempe contra illum, qui istius rei olim fuit dominus. Ubi etiam minoris temporis lapsum sufficere ajunt: si complures actus *in judicio contradictorio* obtenti, intervenerint. Inter absentes verò *viginti annorum decursum*, ad præscribendum res immobiles, statuunt. Resp. Etiam sepositâ lege civili, de qua memoratum, *inter præsentes*, minus temporis spatium ad derelictionis conjecturam sufficit, quàm *inter absentes*, utpote, qui *minùs* rebus & juribus suis invigilare possunt, quàm *præsentes*. In omnibus autem *tempus memoriam hominum excedens*, cujus nempe nemo viventium recordatur, & quod quasi *moraliter infinitum est*, ad rei derelictæ conjecturam, semper sufficere videtur. *Grot. loc. cit.* §. 7. Junge *Reinking. lib.* 1. *class.* 5. *cap.* 11. *n.* 5. Nisi validissimæ sint in contrarium rationes; ùt: si quis propter impotentiam, jus suum sibi vendicare non valens, protestatione factâ palàm, illud conservaverit. Si

50. Petas: Quot anni, faciant tempus memoriam hominum excedens? Resp. Quanquàm centum anni non longè abeant à tempore memoriam excedente; quia paucissimi, vitæ suæ metam longiùs producunt: equidem; ùt post *Baldum*, *Covarruviam* & *Grotium* bene observat *Reinking dict. lib.* 1. *class.* 5. *cap.* 11. *n.* 40. Tempus memoriam excedens, non est planè idem cum centenario, propter interventum famæ & auditionis à parentibus & avis. Vide *Eruditissimum fabrum* in *consilio* pro ducatu *Montis-ferratensi.* Saltem monumenta *scripta*, hac in parte, non videntur attendi debere, nisi fortè sint *publica* & cum solemnitate, *ad perpetuam rei memoriam* consignata; quia alioquin nullum esset tempus memoriam excedens, ùt notat *Bœclerus* ad *Grotium loc. cit. pag. Mihi* 119.

51. Dices. Homines se suáque amantes, non præsumuntur *quod suum est*, jactare, ultrò projicere, ac per lasciviam alienare. *Ergo* actus *negativi*, seu *sola patientia*, per quam sinunt alium rebus suis frui, non sufficit etiam cum longo temporis spatio, ad rationabilem conjecturam præsumptæ derelictionis. Resp. Quia homines se suáque tantoperè amare solent; ideo minùs credibile esse, quòd quis longiore tempore, nullam planè de te

re sua recuperanda vel retinenda, ediderit significationem. Quinimo, ut pro more suo, *temperatè* loquitur *Grotius*, *Cogitare debemus*, *bene sperandum de hominibus*, *ac propterea non putandum*, *eos hoc esse animo*, *ut rei caducæ causâ*, *hominem alterum velint in perpetuo peccato versari*, quod fieret, si retinerent animo dominium rei, quam tamen penes alium esse, & ab alio tractari, teneri & proprietatis opinione usurpari, sciunt, ac sine reclamatione, patiuntur. Intercurrentibus itaque actibus *negativis*, seu, si quis longo tempore *nihil faciat* circa rem suam ab alio possessam, præsumpta derelictio facit, ut possidens, eam usucapiat, seu præscribat. De præscriptione videantur Civilistæ suis locis, Neque hîc agere volumus de acquisitione *originaria* juris *in personas*; puta: *liberorum*, *subditorum*, & *servorum*; quia hanc materiam satis discussimus supra *cap.* 2. Sed nec de occupatione *bellica*, hoc loco differere placet, quia infra *cap.* 8. sigillatim hac de re agemus.

52. Alterum, supra *n.* 1. *originarium acquirendi modum*, diximus esse *accessionem*, quæ non semper est *merè naturalis*, quæ videlicet solâ naturæ operatione perficitur, sed & aliquando est *artificialis*, vel *mixta*. *Artificialis*, est modus, quo, mediante solo artificio hominis, dominium alicujus rei acquiritur. *Mixta*, est modus acquirendi, partim adminiculante naturâ, partim concurrente hominis industriâ.

53. Accessio naturalis, alia est *continua*, alia *discreta*. Species accessionis naturalis *continuæ*, à Jurisperitis quatuor assignantur, videlicet: *Alluvio*, *accretio*, *insulæ productio*, & *alvei derelictio*.

54. *Alluvio*, *das Zuflus-recht*. vel: *Zuwachs-gerechtigkeit*. est modus acquirendi dominium terræ, *latenter*, beneficio fluminis, adjectæ. §. 20. *Inst. De rerum divisione & acquir. &c.* Ubi alluvio dicitur *incrementum latens*, eò quòd ita paulatim prædio nostro impetu fluminis adjiciatur; ut intelligi non possit, quantum, quoquo temporis momento, adjiciatur. Cur hoc modo, dominium terræ adjectæ acquiratur? *Ratio* est: tum quia *accessorium* sequitur suum *principale*, & pars sequitur naturam totius; ita, ut cujus est *totum*, illius sit & *pars*, quæ toti, seu principali latenter accedit: tum, quia nescitur; quibus sint detracta, quæ alluvione accreverunt, ut dominis restitui nequeant: tum denique; quia ista res, quam aqua vehit; censetur esse *communis*, ut meritò is fiat dominus, cujus prædio adjicitur. *Manzius* apud *Perill. D. Kees*, *ad dict.* §. 20. Optima ratio mihi videtur ista: quòd illi, qui circa flumen prædia possident, gravissima sæpè patiantur damna, dum unda, rapaci dente, sensim terræ partem abradit, & fundo alieno adjicit; adeóque æquum sit, ut periculum damni, spe lucri compensetur, & decrementum hoc, incremento alluvionis rependatur. Aliter quidem, contra torrentem doctorum, sentit *Grotius lib.* 2. *De J. B. & P. cap.* 8. §. 16. sed rationem ejus non invenio fundatam. Unde, cùm aliunde hujusmodi incrementa *fluviatilia* reditibus publicis parum momenti adferant, constitutum est, ut concedantur iis, quorum fundis accedunt; ita tamen, ut ex propria cujusque civitatis utilitate & necessitate, privatis iterum denegari, & publico tribui possint, planè, prout de venatione, & Thesauri inventione, dici solet. Confer *Puffendorff. lib.* 4. *c.* 7. §. 8. *& seqq.*

55. Cæterùm; *alluvio* in agris *illimitatis*, non in *limitatis*, & authoritate publicâ signatis, locum habet. Nam in limitatis, quod adjicitur à flumine, publici juris esse censetur. *l.* 16. *ff. De acq. rer. dom* puta: si flumen sit *publicum*, aut

ad populum spectet. *Ratio* est; quia agri *limitati* certa mensurâ constant, adeóque intelligi potest, quantum iis fuerit adjectum.

56. Porrò agri dicuntur *illimitati*, qui nullum alium habent finem, quàm flumen; qui verò alium finem habent, quàm flumen, seu; qui se non extendunt usque ad flumen, vel etiam mensurâ comprehensi sunt; *limitati* audiunt. Tales in dubio præsumuntur agri privatorum, quia hoc privatarum possessionum naturæ est congruentius, sicut écontra in dubio, Imperia ad flumen usq; credenda sunt *illimitata*; quia id territorii naturæ maximè convenit, ad arcendos hostes: nam flumina & alii termini naturales, ut: montes, non ita facilè transiri possunt. Confer *Grotium, lib: 2. de J. & P. cap. 13. § 17. n. & cap. 8. §. 12. n. 1.* Ubi dicit Imperia, in dubio, credenda esse *arcifinia.* Id est; desinere penes fluvium, montem *&c.* Nam ager *arcifinius* est, qui non habet alios terminos, quàm montem vel fluvium, vel sylvam, aut solitudinem, ùt notant *vocabulistæ* ex *Varrone.*

57. Quòd, si tamen Princeps aut populus, ex jure, quo ipse occupaverat; alteri privato agrum assignaverit usque ad flumen; privato quoque competet jus *alluvionis* quod, teste *Grotio, dict. §. 12. n. 2.* in *Hollandia*, ante aliquot sæcula, ita judicatum est de agris, ad *Mosam* & *Isalam* sitis, quia nempe in litteris *mancipationum*: *in den Phacht-brieffen*, & in libris *censualibus. in den Landt-Zins-Bücheren*, semper dicti erant ad flumen pertingere. Et tales agri, si vendantur, quamvis in contractu emptionis, mensura aliqua nominata fuerit; dummodò tamen vendantur, *non ad mensuram*, sed suo corporis nomine, naturam, suam & jus alluvionis retinent, quod Romanis quoque legibus proditum est: *l. 13. §. 4 ff. de action. empt. & vend.* & passim usurpatur.

58. Quid, si impetus fluminis notabilem terræ partem alterius agro adjecerit? Resp. Palàm est, illam pristini domini manere; *ex ratione*; quòd hujusmodi pars notabilis, ùt ùt ad alterius agrum delata, separata maneat, aut saltem visibiliter discerni possit. Unde pristinus dominus illam vindicare potest, dummodò caveat vicino, *de damno infecto. l. 9. §. 2. ff. de damno infect.* Excipe, nisi longiori tempore fundo vicini adhæserit, arboresque, quas secum traxit, in eum fundum radices egerint: ex eo enim tempore, videntur coalitæ & acquisitæ fundo, à quo etiam aluntur: eilque, quod sibi, suæque negligentiæ imputet dominus, quòd tam diu tacuerit, nec partem agri sui vindicaverit. *text. in §. Quod si. Instit. de rer. divis. &c.* & *l. 5. §. 3. ff. de R. V.* Itaque arbor tua, quæ impetu fluminis appulsa, & in fundum meum translata, cum terra coaluit, mea fit, ita ut postea etiam eruta, non revertatur ad te, tanquam meô terræ alimentô, alia facta. *§. 31. Inst: tit: cit: l. 26. § arbor: ff. de A. R. D.*

59. Dicis: Habeo pro arbore ita translata & eruta, *rei vindicationem l. 5. ff. de R. V.* ergo dicta non subsistunt. Resp. Pro arbore sic translata & eruta, competere rei vindicationem, si malâ fide, factóque vicini, translata fuerit: secus, si absque facto hominis, impetu fluminis, abrepta fuerit. Hæc de *accretione.*

60 *Insulæ productio* est modus acquirendi dominium insulæ in flumine natæ, ratione prædii nostri vicini. *§. 22. Instit: de rer: div: &c.* & *l. 7. §. 3. ff. de A. R. D.*

61. Insula autem, est terra, seu locus undique aquâ circumdatus: cujusmodi sunt: *Sicilia, Sardinia, Hibernia &c.* Ad differentiam pen-Insulæ. *Gallicè, Presqu' Isle. Germ. halbe Insul.* Quæ est locus ex magna parte undis circumvallatus, sed non ex toto. Hujusmodi locum, veteres vocabant *Chersonesum.* In Europa, teste familiari amico meo *piæ mem: Carolo Ludovico de Launay*, Excellentissimi D. *Comitis de Caunitz-Rittberg*, in Tractatu seu Congressu *Pacificationis Aquensis, Austriacæ Legationis Secretarii*

part: 2. Operis; cui titulus: *Getreu und gründtlich unterweisende Hoffmeister. pag: m.* 3. Præcipuè dantur quatuor; videlicet *Jutlandia*, seu *Chersonesus Cimbrica* in Germania, *Morea*, seu *Peloponesus* in Græcia; *Chersonesus Thracica*, intra Archipelagum & Hellespontum: & *Chersonesus Taurica*, vulgò: *die precopensische Tartarey*.

62 Insula, alia est *naturalis*, quæ videlicet semper extitit, ùt Insula *Corsica*, *Sicilia &c.* alia *causalis* sive *accidentalis*, quæ sæpe & frequenter in flumine; in Mari verò, ob nimiam profunditatem & vehementiorem aquarum motum, perrarò nascitur. *Hæc* occupanti per se loquendo cedit, siquidem hujusmodi Insula, pars Maris censetur: adeóque, sicut Mare & littora ejus, jure naturali permissivo, *nullius* sunt, & occupanti cedunt; ita quoque Insula maritima. De Insula in flumine publico nata, jure Civili statutum est; ut in medio fluminis nata, eorum fiat, qui ab utroque latere fluminis, prope ripam, vicina prædia possident, pro modo scilicet latitudinis, id est frontis, seu longitudinis aquam versus. Quòd, si Insula alteri prædio sit proximior, & non in medio fluminis nata; visum fuit, eorum fieri tantùm, qui ex ea parte propè ripam, prædia viciniora possident, idque ex hac ratione; quod de ipsorum agris seu ripis, Insula illa decerpta censeatur. *Argum.* §. 22. *Instit: de rer: divis: &c.* & *l.* 2. §. 3. *ff. de A. R. D.* Confer *Struv: Jurisprud: Romano-German: lib:* 2. *tit:* 1. *Aphorismo* 35 *pag: m.* 67. ubi ait, etiamnum ferè jus Civile observari in *Germania*. Refert tamen *Vitriarius*, in *suis Instit: Jur: publici Romano-Germanici. lib:* 3 *tit:* 18 §. 38. quód, cùm de Insula in flumine nata, in Camera Imperiali, disputatum fuisset; an ad Dominum Territorii, an veró ad eos, qui propè ripam prædia possiderent, pertinere deberet? à Cameralibus, pro Domino pronuntiatum sit, testibus *Gylman* 1 *Symph:* 2. *vol:* 2. & *Noë Meurer. Vom Wasser-recht p.* 2 *n.* 8. De Insulis in Rheno & Rhodano natis, Vid. *Klock: de Ærario. lib:* 2 *cap:* 63 *n* 13 & 14.

63 Si flumen se dividat & agrum cingat quod (*circumluvio* vocatur) fiet quidem Insula; manebit tamen ejus, cujus ante erat. Idem esto, si ager alicujus inundatus fuerit. *Ratio:* quia nec circumluvio nec inundatio, speciem agri mutat. *text: in* § 22. *V. Quod si: Instit: tit: cit:* maximè; quia innundatio, exiguo tempore durare solet. Aliud foret, si inundatio perpetuò duraret; quia tunc forma agri immutata existeret. *Perez: ad cit: tit: Instit:*

64. Dices. Juxta *l. pen: & fin: ff. de A. R. D.* hujusmodi Insula, fit *publica*, ex ratione hac adjecta: *Quoniam, quod publico innatum aut inædificatum, publicum esse debet.* Resp. Textum illum constringendum esse ad illam speciem Insulæ, quæ virgultis sustinetur, & mobilis atque fluitans est; hæc enim exemplo ædificii in publico positi, conditionem subjecti sui sequitur: adeóque cùm flumen publicum sit; ipsa quoque Insula fluctuans, publica censenda est. Ita respondent Doctores communiter, ùt videre est apud *Gryphiand: tract: de Insulis. cap:* 10 *n.* 69 Putat tamen *Ludwel.* Insulam, etiam solo infixam & terræ innixam, *loc: cit:* dici *publicam* ratione usûs omnibus patentis. Et ita quidem de jure communi *Justinianeo*. Scimus enim aliud practicari, & usu receptum esse. Siquidem Insulæ non ampliùs privatis, sed Principi seu Superiori in Republica acquiruntur. Hujus enim, cùm hodie flumen sit; per consequens etiam ea, quæ in flumine nascuntur, ejus erunt; prout de Insulis *Rheni*, testatur *Meurer: loc: cit: & im Jacht-und Forst-recht p.* 5. *pag.* 102. De Insulis *Albis*, quatenus transit Electoratum *Saxoniæ*, *Ziegler.* in *tract: de Jure Majest: lib:* 2 *cap:* 15. § 27 de Insulis in *Danubio* ortis; *Chlingensperg. Collegio Instit. lib.* 2 *tit.* 1 *quæst:* 46.

65 quid; si inter Principem, qui jure

populi utitur, & ejus vasallum, qui imperium *summo minus*, ùt *Grotius* loquitur *cit. cap.* 8. §. 15. *n.* 1. acceperit, circa fluvialia incrementa lis oriatur? Resp. Si quis vasallorum utique nobilium aut saltem spectabilium, *summo minus* à summo Principe, vel populi primoribus, obtinuerit imperium, quod videlicet importet facultatem creandi Magistratus oppidanos, animadvertendi in facinorosos, habendi carceris, &c. Talis inquam eò ipsô, non censetur habere jus circa fluvialia incrementa, nisi insimul acceperit agrorum universitatem, sive jus quodammodò regium in universos fundos. Quo casu, dubium non est, quin vasallus idem jus consecutus sit, quod populi vel Principis fuit. Ac sic (inquit *Grotius*) videmus in *Zelandia*, vasallos etiam, qui de civilibus tantùm, judices dant (criminalibus scilicet Principi vel Reipublicæ reservatis) pro tota agrorum universitate, tributum pendere, cujus partem à singulis, pro privatarum possessionum modo, ferunt, sive exigunt. Et his, de alluvionibus, non movetur controversia. Sunt (prosequitur ibidem *Grotius*) quibus flumen ipsum datum est, qui proinde Insulas, sive ex limo aggestas, sive factas ex alveo, quem amnis circumfluit, suas rectè dicunt. Sunt alii, in quorum investitura, nec hoc, nec illud, comprehensum est, & horum adversus *Fiscum* mala causa est [siquidem non poterunt probabili titulo hujusmodi incrementa sibi vindicare, neque impedire, quò minùs ea Fiscus auferat; nisi aut mos regionis, illis faveat; aut longi satìs serie temporis possessio, accedentibus, quæ oportet, jus pepererit. Quòd, si non *Imperium*, sed *ager* in Feudum datus sit; videndum, quæ sit agri natura? Nam is, si est *arcifinius*; alluvio feudo comprehensa censebitur, non ex jure peculiari Principis, sed ex agri qualitate: nam & usufructuario, tali casu alluvio prodesset, per *l.* 9. §. 4. *ff. De usufructu.*

66. Titulo *accessionis naturalis*, alveus à flumine derelictus, id est: locus, lectus vel fossa, per quam aqua fluxit; illis acquiritur, qui prope ripam, proxima prædia possident; & quidem pro modo latitudinis cujusque agri vel fundi. §. *Quod si.* 23. *Instit. De rer. divis. &c.* & *l.* 7. §. 5. *ff. De A. R. D.* Dixi: *à flumine derelictus*: puta: *in universum. Wan der Fluss einen anderen rinfall genohmen*, prout contigit in Rheno, prope *Rheinbergam*. *Ratio* est: quia alveus iste, ex eorum agris olim factus esse videtur. Cæterùm, novus alveus, ejus fit juris, cujus est flumen, adeóque, cùm flumen sit publicum, & alveus erit publicus. *Ratio*: quia alveus, utpote lectus, & quasi pars fluminis, conditionem ejus sequitur. Quòd si post aliquod tempus, ad priorem alveum reversum fuerit flumen; dubitatum quidem olim fuit, ùt liquet ex textu *in l.* 7. §. 5. *cit.* an alveus postremò relictus ad pristinum dominum reverti deberet; resolutum tamen ab Imperatore fuit: quòd tali casu, non redeat ad priorem dominum, sed eorum esse incipiat, qui propè ripam, proxima prædia possident. Æquitas quidem postulare videtur, ut alveus hujusmodi, pristino fundi domino restituatur; ast stricti juris ratio, nil priori domino, in novo alveo concedit. Nam, cùm ager totus fuerit immutatus, & alius factus; ob mutatam formam, quæ dat esse rei, ager censetur interiisse. Nec contrarium evincit argumentum ab inundatione petitum. Inundatione enim (dummodò non sit perpetua) forma agri non mutatur, sicut effecto novo alveo, per fluminis cursum. *text.* & *Doctores ad* §. 24. *Instit. tit. cit.* Equidem, cùm hodie flumina ferè ubique inter *Regalia* reputentur; alveus quoque

que derelictus eò referri, & Fiscalibus bonis annumerari solet, teste *Hoppio* ad *dict.* §. 24.

67. Publicistarum est quæstio; num mutato fluminis cursu, quo alias discriminabantur ditiones; territorium quoque immutetur? Rejecta *Gronovii* inconditâ crisi, ex sententia *Grotii lib. 2. de J. B. & P. cap. 3. §. 16. & seq.* RESOLVO & RESP. sub distinctione: Vel enim flumen paulatim cursum suum mutavit, uni lateri aliquid terræ decerpendo, & alteri adjiciendo; vel uno impetu alium acquisivit alveum. Primo casu, si territorium ad flumen se extendat; mutato paulatim cursu fluminis, mutantur & fines *integrales*, seu *materiales* territorii, & quidquid alteri parti adjectum est, sub ejus est imperio, cui adjectum est: quia eo animo uterque populus imperium occupâsse primitus creditur, ut flumen suî medietate discriminaret eos, tanquam naturalis terminus: siquidem imperiis distinguendis, nullus limes est aptior, quàm qui non facilè transitur; veluti flumina & montes. Secundo casu, res aliter se habet. Nam amnis etiam quatenus imperia determinat, non consideratur nudè, *quà aqua* est; sed qua aqua, alveo tali fluens, ripísque talibus inclusa: proinde, si veteri alveo deserto, aliò irruperit; non idem erit *formaliter* fluvius, quantùm scilicet ad determinandi rationem, qui fuit ante, secus, quàm si latenter & paulatim cursum mutâsset. Unde; sicut, si exaruisset flumen, imperii terminus, maneret medietas alvei, qui proximè fuisset; ita mutato alveo, idem observandum. Hæc enim mens populorum fuisse censenda est, ut fluminis interjectu, disterminari voluerint quidem imperia; ita tamen, ut, si flumen quacunque ratione subsistere desineret; tum quisque teneret, quod ante possedisset.

68. Quanquam verò imperia, in dubio, ad medietatem fluminis, vel alvei derelicti utrimque pertingant; fieri tamen potuit, & defacto contigit pluribi, ut flumen totum, uni parti acquisitum censeatur; quia scilicet occupato jam flumine, alter populus seriùs oppositam ripam suo imperio acquisiverit; aut: quia ita pactionibus, res definita sit.

69. Hactenus de accessione naturali *continua*; jam de *discreta*; quæ est modus acquirendi dominium earum rerum, quæ ex re nostra descendunt. Talis modus est *fœtura*, & *perceptio fructuum*. *Quidquid enim ex animalibus dominio nostro subjectis nascitur, nostrum est.* §. 19. *Instit. De rer. divis. &c.*

70. Quòd, si pater, seu animal masculum, ad alium pertineat dominium, ad alium verò mater, seu animal fœmineum; quæ situm & dubitatum olim fuit, ad quem fœtus pertineat? Decisum verò scimus jure Romanorum (vide *l. 5. §. 2. ff. De rei vindicat.*) quòd partus ventrem sequi debeat, ac proin dominus pecudis parientis, efficiatur & dominus animantis geniti. An autem id sit juris naturalis, extra casum, quo pater ignoratur, non immeritò ambigit *Grotius lib. 2. De J. B. & P. cap. 8. §. 18.* cùm, si de patre constet, nulla ratio afferri possit, cur partus, saltem ex parte, non debeat pertinere ad dominium patris; nam & patris partem esse, quod nascitur, certum est; quinimò, an partus plus de patre, quàm matre habeat; inter Physicos disputatur. *Plutarchus* apud *Grotium* hac de re ita disserit: *Natura, sexuum corpora miscet, ut ita, de utroque, parte sumptâ, confundat, & commune utrisque reddat, quod nascitur, ita, ut neuter possit, quid suum sit, quid alienum, discernere.* Moribus tamen receptum est, ut partus ei adjudicetur, qui dominus est animalis parientis, licet pa-

pater certus sit. *Ratio* sic decidendi est: quòd pater leviter operâ suâ defungatur, ac proinde ipsius domino parum aut nihil decedat; mater autem, dum uterum gerit, ad alia ferè inutilis & solicitè alenda sit. Ob hanc rationem, partus quidem domino animalis parientis tribuitur; equidem, quia naturaliter & originaliter partus ex semine animalis masculi prodiit; ideo æquum est, ut domino illius aliquid præstetur.

71. Differendo de *perceptione fructuum*; Notandum est, 1*mò*. Quòd fructus generatim, vocetur omne emolumentum, quod ex re, vel occasione rei percipitur. 2*dò*. Quòd fructus alii sint *civiles*, alii *naturales*. *Civiles* sunt; qui non ex ipso rei corpore, sed occasione ejus percipiuntur. *l.* 121. *De Verb. signif.* cujusmodi sunt: *usuræ*, *annui reditus*, *canones*, *pensiones ædium &c. Naturales* sunt: qui ex ipso rei corpore proveniunt & percipiuntur. *d. l.* 121. Et hi iterum vel *naturales* sunt *in specie*, vel *mixti*, in quibus producendis & percipiendis, hominis industria cooperari debet. *Naturales in specie* dicuntur: qui absque notabili cura, aut cultura hominis, producuntur, sive: qui solius naturæ beneficio percipiuntur, operâ humanâ vel omnino nihil, aut saltem non nisi parum conferente: cujus generis sunt: *poma*, *pyra*, *nuces*, *glandes* &c. Item: *fœtus animalium*, excepto partu ancillæ. Absurdum enim videbatur (inquit *Imperator in* §. 37. *Instit. De rer. divis. &c.*) *hominem in fructu esse*, *cùm omnes fructus*, *rerum natura*, *gratiâ hominis*, *comparaverit*. *Mixti* sunt: qui, ùt dictum, non suâ sponte proveniunt; sed in quibus curâ & notabili hominis industriâ opus: cujusmodi sunt: *vinum*, *oleum*, *frumentum*, *legumena &c.* Hæc enim non proveniunt à natura, absque singulari hominis cultura & industria, ita, ut quadantenus plus operari videatur industria, quàm natura, ut ideo sæpe vocitentur fructus *Industriales*. Utrique subdividuntur in *pendentes* & *perceptos*. *Illi* sunt; qui quidem jam nati, sed à rei corpore necdum sunt separati. *Hi*, qui à re vel corpore, unde proveniunt, sunt separati. *l.* 78. *ff. De R. V.* licet nondum in horreum delati. *l.* 13. *ff. Quib. mod. usus fruct. amit.*

72. Hîc utiliter disquiri potest, an & quales fructus, possessor, tam *bonæ*, quàm *malæ fidei*, restituere cogatur? Ante resolutionem *Noveris*; possessorem bonæ fidei, illum dici, qui rem ab eo, quem dominum esse, aut saltem rei alienandæ potestatem habere credidit, legitimè & sine dolo, est consecutus *l.* 109. *ff. De V. S.* Dixi: *vel saltem &c.* Ad bonâ fide enim possidendum, sufficit, quòd quis acceperit rem ab illo, quem putabat esse v. g. *Mandatarium*, *Tutorem*, *Curatorem* alterius. Malæ fidei possessor est: qui scivit, rem non esse ejus, à quo accepit: sive; qui rei alienæ, aut injustæ possessionis, conscientiam habet. Dixi: *qui scivit*: In dubio enim quis bona fide præsumitur possidere. *cap.* 47. *De R. J. in* 6. cùm quilibet præsumatur bonus donec probetur malus. Hoc prænotato

73. Dico 1*mò*. Fructus *adscititios* [quales sunt, quos res suapte indole non adfert, & ad quorum productionem, natura, ne partialiter, *tanquam mater* concurrit, sed ex speciali hominis solertia & industria percipiuntur: v. g. *usuræ*, item lucra omnia, quæ ex negotiatione aliqua, v. g. *vini*, *olei &c.* percipiuntur] fructus inquam *adscititios*, possessor, sive bonæ, sive malæ fidei, *irrevocabiliter* suos facit. Ita *Gletle Select. quæst. p.* 2. *quæst.* 19. *n.* 9. & post turbam aliorum, *Perillustris D. Kees.* ad §. 35. *Instit. De rer. divis. Ratio peremptoria* est; quòd fructus adscititii, sint emolumentum non rei

rei alienæ, sed industriæ propriæ. Quocirca, si cum pecunia deposita, vel per furtum surrepta, negotiatus esses; lucrum inde perceptum, *tuum* faceres, perinde, sicut imago *tua* est, quam alieno penicillo pinxisses. Qua quoque ratione dubitandum non est [inquit Prælaudatus *D. Kees. loc. cit.*] quin ancilla, quæ non ita pridem acceptis pecuniis culinariis, ex *olla fortunæ* scyphum argenteum extraxit, domina scyphi evaserit. Nec

74. *Contra* facit; quòd nemo ex re aliena ditescere, aut ex delicto proprio, commodum sentire debeat: Nam meminisse oportet, quòd pecunia deposita vel surrepta non concurrat ad lucrum *proximè* ac *formaliter*, sed *remotè* tantùm & *materialiter*. Proximè enim lucrum provenit ex industria hominis rem alienam ceu instrumentum assumentis ad faciendum lucrum.

75. *Dictum* in conclusione: *fructus adscititios*. Nam ex ratione opposita, aliud dicendum de fructibus civilibus *spontaneis*, quos res nempe suapte indole, extrinsecus adferre nata est, præbendo occasionem emolumenti capiendi: cujusmodi sunt: *pensio pro usu ædium*, *navis*, *equi &c.* Domus enim suapte naturâ apta est ad habitandum, navis ad vehendum; consequenter pensio, quæ solvitur pro usu hujusmodi rerum, perinde à bonæ, ac malæ fidei possessore, restituenda venit domino.

76. Dico *2dò*. Malæ fidei possessor, reliquos quoscunque fructus, sive extantes, sive consumptos, sive perceptos, sive absque peccato, viâ ordinariâ perceptibiles, quos reverà non percepit, sive etiam ex fructibus factus fuerit ditior sive non; in utroque foro, unà cum ipsa re principali, restituere tenetur. Ita ad unum omnes tam Theologi, quàm Jurisperiti, ex patula ratione: quia, cum aliena jactura, nemo ex delicto suo, debet reportare lucrum. Nec Obest: quòd fructus perceptibiles, reapse non perceperit; sibi enim imputare debet, quòd rei alienæ se immiscens, eam ex fide, non gesserit, id quod verum est, *1mò*: Licet dominus ipse fructum ex re sua, puta: per negligentiam vel incuriam, non percepisset. Nam is, utpote rei suæ moderator & arbiter, rem suam destruere, eáque abuti potest, quod malæ fidei possessori haud permissum. *2dò*. Licet res ipsa, sine nova culpa auferentis, perierit; cùm semper fur, aut malæ fidei possessor, in mora restituendi intelligatur. *l. fin. ff. De condict. furtiva.* Mora autem sua, cuilibet nociva est. *Reg. jur. 25. in 6.* Ita quidem stricto jure, odio iniqui detentoris statutum; si tamen res periisset eo tempore & modo, quo certò erat peritura apud dominum, æquitas naturalis non postulat, ut eo casu, fur aut alius iniquus detentor, rei peremptæ præstet æstimationem, prout bene tradit *Vasquez, in opusc. De restitutione. cap. 5. dub. 11. n. 66. Eximius P. Nicolaus Gircken* hoc in puncto corrigendus est in *tract. De restit. q. 9. dub. 6. pag. 471. & seq.*

77. Oppositum quidem insinuare videtur *l. cùm res.* & *l. Si Filiofamil. §. Si post. ff. Soluto Matrim.* Ubi dicitur: morosum debitorem omne detrimentum præstare debere, licet res ipsa *casmate* [id est: hiatu & voragine terræ] perierit: quinimò juxta *Gaillum De Pignorib. Observat. 18. n. 4. & seq.* licet *casma* perinde apud creditorem contigisset. Verùm; ne iniquum rei detentorem injustè gravemus; spectandum est; an Actor vel Creditor sive dominus, rem illam, ante interitum, distracturus fuisset? & hoc casu, debitor, id est, injustus possessor, tenebitur ad rei æstimationem; vel; an distracturus non fuisset? & non tenebitur, ne alioquin Creditor aut dominus

ex

quilibet; talis nimirum, qui rem ex qua fructus percepit, tenet *titulo à legibus improbato*, uti mulier vel maritus percipiendo fructus ex re donata, qualis titulus inter conjuges ideò est prohibitus, ne conjuges carnali amore furentes, bonis, soluto per mortem Matrimonio, aut subsecuto divortio, ad vitæ sustentationem necessariis, sese exhauriant, ut proinde alius *b. f.* possessor, fructus omnes faciat *suos*, quos percepit ex re, quam justo titulo tenet.

81 REPLICABIS, Bonæ fidei possessor, fructus facit *suos*, pro cultura & cura. §. 35 *Instit. de rer. divis. &c.* ergo solùm *industriales*. RESP. *Dist. antecedens* Bonæ fidei possessor fructus facit *suos* pro cultura & cura, ita, ut hæc sit *causa finalis* aut *principalis*. *Neg.* Ita, ut hæc sit *causa* solùm *impulsiva* & *minùs principalis*. *Conc.* Nam finalis & præcipua causa, est bona fides, quæ tantum præstat, quantum veritas. *l.* 136 *ff. De R. J.* Atqui verus dominus, fructus etiam naturales facit *suos*: ergo etiam bonæ fidei possessor Confer *Andream Fachin. lib.* 1. *controvers. juris. cap* 57.

82. DICO 4*tò*. Possessor *b. f.* fructus ex re aliena perceptos non facit *suos*, IRREVOCABILITER, sed tenetur extantes, sive naturales illi sint, sive industriales; domino rem suam evincenti restituere, nisi eos trienniô præscripserit. Ita Civilistæ omnes, per *l.* 22. *Cod. de rei vindicat.* Ubi sic decisum: *Certum est malæ fidei possessores solere omnes fructus cum re ipsa præstare, bonæ fidei verò, extantes; post autem litis contestationem, universos.* Ex ratione: quia cessante causâ, cessat effectus: Atqui causa, cur *b. f.* professor fructus *suos* faciat, est bona fides; ergo, dum post litis contestationem, vel etiam citiùs, cessat bona fides; cessat & titulus & causa percipiendi.

83. Ubi notandum: quòd bonæ fidei possessor impensas & labores in fructuum productione & collectione factos deducere possit, quia fructus non intelliguntur, nisi deductis impensis, quod licet de jure civili, non nisi bonæ fidei possessori concessum sit, rectè tamen jure naturali porrigitur & ad malæ fidei possessorem.

84. DICTUM *in conclusione: nisi possessor b. f. eos triennio præscripserit.* Nam completâ triennali possessione, ex dispositione juris civilis, per *l.* 4. §. 10. *ff. De usucapion.* Plenum & irrevocabile consecutus est dominium fructuum perceptorum. Confer *Carpzov. part.* 3. *constit.* 32. *Definit.* 29. Si

85. PETAS: Num bonæ fidei possessor, si ex fructibus consumptis locupletior factus sit, in tantum teneatur domino fundi, vel alterius rei, in quantum locupletior factus est? Negant *Hoppius, Kees, Chlingensperg* & alii ad *tit. Instit. De rer. divis.* Affirmat *Zoësius* ad *ff. de A. R. D. n.* 37. *& seq. Schambogen* ad *cit. tit. Instit. pag.* 243. *Struvius in S. J. C. Exercit.* 11. *thes.* 23. *in fine*. Et novissime *D. Leonardus Carlier in suo Zoësio redivivo. lib.* 2. *Instit. tit. cit. pag.* 64 *Someting ibid.* Quinimò moribus hodiernis, indistinctè receptum tam in judicio *singulari*, quàm *universali*, quod bonæ fidei possessor teneatur vero domino detecto ante completum scilicet præscriptionis tempus, restituere, in quantum ex re ipsius, factus est locupletior, prout prout latiùs videre est apud *Carpzovium loc. cit. Definit.* 28. *Ratio:* quia bonæ fidei possessor rem alienam consumpsit *revocabiliter talem:* ergo jure naturæ, *ratione rei acceptæ*, tenetur domino ad restitutionem. Quò facit, quòd jure *positivo*, per *l.* 48. *ff. De A. R. D.* bonæ fidei possessor jubeatur restituere fructus extantes: atqui fructus consumpti, ex quibus quis factus est locupletior, sunt fructus extantes, scilicet *in æquivalenti. l.* 72. *ff. De legat.* 2. Accedit: quòd in petitione hæreditatis, possessor teneatur restituere fructus in quantum factus est lo-

locupletior. *l.* 20. §. 6. *ff. De petit. hæredit. l.* 1. §. 1. *Cod. eod.* Ergo etiam, & à fortiori, in petitione rerum particularium, sor, heri adhuc habuerit fructus extantes in natura, hodie verò illos vendiderit centum florenis. Nónne æquitas, quæ *b. f.* possessorem adstrinxisset ad restitutionem fructuum, si verus dominus supervenisset heri, eundem hodie adstringit ad restitutionem pretii? Quocirca, leges contrarium insinuantes, capiendæ sunt de omnimoda consumptione fructuum, nullo in eorum locum surrogato pretio, aut iis alioquin in æquivalenti non extantibus, quæ omnimoda consumptio per *l.* 4. §. *Lana. ff. De Usucapionib.* in hoc æquiparatur usucapioni, quòd, sicut usucapiens, ita etiam, qui bona fide fructus consumpsit omnimodè scilicet; postea nullâ sit actione impetibilis. *Dnus Carlier. in additionibus ad Zoësium tit. Instit. De rer. divis.* §. 7. *pag. Mibi* 65.

86. Dices cum *Chlingensperg. ad tit. inst. De rer. divis. &c. quæst.* 66. Bonæ fidei possessor dicitur fructus consumptos lucrari in *l.* 4. §. 2. *ff. fin. regund.* quod utique falsum foret, si teneretur eos restituere quatenus locupletior factus, cùm nemo lucrum faciens, non fiat locupletior. Confer *Fachin. lib.* 1. *cap.* 58. *Resp.* Hac in controversia vocabulum *lucri* non ita strictè accipiendum, ut denotet compendium, patrimonium nostrum augens, sed latiùs, ut sensus sit, quòd bonæ fidei possessor non teneatur restituere fructus ita consumptos, si inde non sit factus locupletior. Igitur, quando in *l.* 22. *Cod. De R. V.* & alibi deciditur, quod *b. f.* possessor, fructuum extantium duntaxat nomine, teneatur; sensus est de fructibus extantibus *in se vel in æquivalenti*; ita, ut tunc solùm non sit habenda amplius ratio fructuum consumptorum, quando ex iis nihil amplius, ne æquivalenter quidem, superest. *Somet. loc. cit.* & consonat *Grotius lib.* 2. *De J. B. & P. cap.* 10. §. 2. & 5. Quò facit quòd in ratione naturali fundetur, qualiter *b. f.* possessor fructus suos faciat. §. 35. *Inst. tit. sæpe cit.* ibi: *Naturali ratione placuit.* Jam verò de jure naturali, nulla, inter universale & particulare judicium (quantum ad rei aut fructuum restitutionem) est differentia; prout igitur in universali judicio, puta: *hæreditatis petitione*, sine dubio, sic pariter in particulari judicio, puta: *rei vindicatione*, b. f possessor tenebitur de fructibus consumptis, quatenus est locupletior factus, quia æquitas naturalis non patitur, etiam bonæ fidei possessorem locupletari cum alterius veri domini jactura. Hoc, ut evidentiùs pateat; ponamus: quòd bonæ fidei posses-

87. Non facit autem bonæ fidei possessor fructus *suos* quos post litis contestationem percepit, vel consumpsit. *Ratio:* Quia per litis contestationem, in eventum succumbentiæ, constituitur in mala fide, quò ad fructuum perceptionem & præscriptionis interruptionem. Unde *Ulpianus* in *l.* 25. §. 7. *ff. De hæredit. petit.* ait: *post litis contestationem, possessores omnes incipere esse malæ fidei*, Id est: *desinere* esse *positivè* scilicet, bonæ fidei; quatenus prudens dubium oritur, num res sit propria vel aliena? Ut propterea in casu succumbentiæ, per sententiam judicis, tempus retrotrahatur ad initium cœptæ litis. Ex hactenus traditis de bonæ & malæ fidei possessore.

88. Resultat 1mò. Fructus necdum perceptos, sed adhuc pendentes, domino rem suam evincenti, à quocunque possessore, fore restituendos, eò quòd fructus pendentes, sint pars fundi aut rei principalis, adeóque fundum aut rem principalem sequantur.

89. Resultat 2dò. Possessorem rei alie-

alienæ, eam domino restituere debere, licet ipsam non repetat: quia jus naturæ, quod vult, ut unicuique suum tribuatur; rem pro domino repetit, & stimulat conscientiam ejus, qui rescivit se alienum tenere. Unde ridiculum est, quod quidam regessit: in Decalogo nullum extare præceptum de re restituenda, sed tantùm de furto non committendo: siquidem nemo sanæ mentis ambigere potest, quin ex Decalogi divina lege, furtum sit, invito domino rem ejus, lucri faciendi gratiâ, retinere, haud attentô, an is eam repetierit nec ne.

90. Errat autem cum *Grotio*, *Zieglerus* & *Vitriarius*, dum opinantur: nec malæ fidei possessorem, qui etiam ab initio occupationis sciverit rem fuisse alienam, non teneri suis impensis rem domino restituere, sed solùm obligatum esse ad illam domino indicandam, ut illam recipere queat. Quanquam enim verum sit, quòd, quis, post rem bona fide possessam & nondum præscriptam, suæ satisfaciat conscientiæ, si dominum certiorem reddat de rei suæ existentia; aliud tamen ob vitium occupationis, dicendum de eo, qui mox ab initio culpam commisit & voluntariè se in damnum, quod ex restitutione facienda, sequi potuit, conjecit.

91. Resultat 3*tiò*. Illum, qui ex re aliena factus est locupletior, pro lucri seu emolumenti ratione, teneri ad restitutionem, modò res aliunde non sit pensata domino. Nam, si tibi v. g. res furto sit subtracta, quam ego bonâ fide acquisivi & consumpsi, tu verò à fure ejus æstimationem sis consecutus; à me nil amplius petere potes, licet factus sim locupletior, quia non amplius tibi deberi videtur, ex quo nihil tibi abest, & bona fides non patitur, ut idem bis consequaris. Vide *Cajetanum ad Divum Thomam.* 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. Junge *l.* 20. §. 6. *ff. de petit. hæred.* *Ratio*, cur locupletior ex aliena re factus, eatenus sit restitutioni obnoxius, est: quia, ùt sapienter ait *Tullius lib.* 3. *De offic. cap.* 5. *contra naturam est*, *ex hominis incommodo, suum augere commodum.* Vide *l.* 206. *ff. De reg. jur.* Ex cujus dicti æquitate, jurisconsulti multa definierunt, quæ non oscitanter prætereunda.

92. Sic decisum 1*mò* in *l. siquis.* 17. §. *ff. de Institoria act.* quòd ex facto servi *Institoris*, qui videlicet tabernæ, negotiis ac mercimoniis domini præpositus est, teneatur dominus *præponens*, nisi denuntiaverit sufficienter, ne ei crederetur. Quinimò, etiamsi sit facta denuntiatio; si nihilominus servus ex eo contractu peculium habeat, aut id in rem domini versum sit, replicabitur *de dolo*, id est: contrahens actionem contra servi dominum habebit, quasi dolosè denuntiâsset. *Videtur enim* (inquit *Proculus* in *l. cit.*) *dolum malum facere, qui ex aliena jactura, lucrum quærit.* Ubi *doli mali* vox [ùt ingeniosè observat *Grotius lib.* 2. *De J. B. & P. cap.* 10. §. 2. *n.* 2.] id omne significat, quod naturali juri & æquitati repugnat.

93. Decisum 2*dò*. In *l. Uxor marito.* 55. *ff. De donat. inter vir. & uxor.* Quòd uxori, quæ marito pecuniam donavit, quam ex lege posset repetere, ob vetitam donationem inter virum & uxorem, detur *condictitia*, aut *utilis vindicatio* in rem ex pecunia comparatam, quia dicente *Ulpiano ibid. locupletiorem esse maritum, negari non potest, cùm ex re mulieris quid aliud possideat, quod alioquin non haberet.*

94. Rursum in *l.* 2. *ff. Commodati.* decisum: quòd etsi pupilli non teneantur *commodati*, seu: nequeant conveniri super eo, quod ipsis commodatum est; equidem in illos, *utilis actio* concedatur, si ex commodato locupletiores evaserint.

95. Theologi quoque & Canonistæ, ex allata æquitatis ratione, plura statuunt theoremata, ex quibus plures casus singulares definiendi veniunt. Sic AJUNT *1mò.* Bonæ fidei possessorem non teneri ad ullam restitutionem, si res perierit, quia nec res ipsa apud ipsum est nec lucrum ex ea, ut supponitur; bona autem fides non patitur, ut possessor, hujusmodi rei nomine, vel pœnæ causâ, ad aliquid teneatur, quod ob contrariam rationem, secus est in mala: fidei possessore, qui nedum rei, quæ periit æstimationem, ante omnem judicis sententiam tenetur domino præstare; sed & post sententiam, ulteriùs ex facto suo, videlicet ob rem malè possessam, pœnæ nomine obstringitur. AJUNT *2dò.* Bonæ fidei possessorem, detecto vero domino teneri rei consumptæ aut non amplius extantis, fructus restituere extantes. Id quod de fructibus *naturalibus* dubio caret, qui enim dominus est rei, eo ipsô quoque fructuum naturaliter productorum dominus esse debet. De fructibus *industrialibus* dubitari posset, *Grotius* enim *loc. cit.* §. 4. putat industriæ fructus, etiamsi sine re non procederent, nec rei, ac proin nec ejus domino deberi. Veriùs tamen & juri scripto conformiùs est, restituendos & esse fructus industriales; quia quidquid ex re mea prodiit, meum est, licet industria tua intervenerit, quæ etsi compensanda veniat alio modo; non tamen fructuum ipsorum lucro. Vide *l.* 22. *Cod. De R. V.* & *l.* 48. *ff. De A. R. D.* AJUNT *3tiò.* Bonæ fidei possessorem teneri ad restitutionem & rei, & fructuum consumptorum, si modò aliàs quoque tantundem consumpturus fuerat, nam in tantum locupletior censetur: quod secus est si re alienâ non habitâ, arctiùs parciúsque vixisset, ac minùs sumptuum fecisset, puta: si res aliena fuerit causa, cur liberaliùs vixerit. AJUNT *4tò.* Possessorem *b. f.* (aliud de possessore *m. f.* supra dictum) non teneri ad restituendos fructus, quos percipere neglexit, quia nec rem habet, nec quidquam quod rei loco succedat. AJUNT *5tò.* Non fore ipsum restitutioni obnoxium, si rem sibi à *non domino* donatam, rursum alteri donaverit; nisi omnino etiam re illâ non habitâ, tantundem de suo donaturus fuisset: tunc enim lucrum erit, rei suæ pepercisse. AJUNT *6tò* Non teneri quoque *b. f.* possessorem, si rem emptam vendiderit; per *l.* 48. §. *ult. ff. De furtis.* nisi quatenus fortè pluris vendiderit. *l.* 22. *ff. De petit. hæredit.* Quòd, si donatam vendiderit; tenebitur ad restituendum pretium *l.* 23. *ff. De reb. credit.* Quia pretium, cum alterius veri scilicet domini jactura, lucratus est. EXCEPTIONEM ponunt: 1. Nisi fortè prodegerit pretium, alias non prodacturus. 2. Nisi dominus potuerit convenire possessorem, & rem ipsam vindicare. AJUNT *7mò.* Rem alienam *b. f.* emptam domino restituendam, etiam sine repetitione pretii erogati. *l.* 3. & 23. *Cod. De rei vindicat.* *l.* 17. *Cod. De evictionib.* Ubi rursus exceptionem statuunt; nisi videlicet dominus rei suæ possessionem recuperare, sine impendio aliquo non potuerit: puta: si res apud piratas fuerit: tunc enim deduci poterit, quantum dominus impensurus libenter fuisset; ipsa enim violenti & improbi facti possessio præsertim recuperatu difficilis, est aliquid æstimabile, & in hoc dominus, post rem amissam, censetur factus locupletior, aut saltem non pati novum detrimentum. Hinc, si dominus possessionem authoritate judicis recuperare facile possit, emptor non poterit pretium repetere, etiamsi eo animo emisset, ut domino restitueret: debuit enim tunc domino solummodò rem indicare, qui eam porrò sine omni pretio à possessore vindicare potuisset.

Si

SI DICAS: Nemini officium suum debere esse damnosum. RESP. Nullum (ùt supponitur) hîc fuisse domino periculum rei non recuperandæ; ut sibi imputare debeat, quòd imprudenter rem alienam emerit: poterit tamen venditorem convenire causâ *evictionis*. Igitur tunc (& non alias) rei alienæ emptor, ***negotiorum gestorum actione*** pretium repetere poterit; si videlicet rem aut plane non, aut non nisi difficulter, nec absque impendio recuperabilem, eo animo emerit; ut illam domino restitueret. ***argum. l. Si laboravi. 2. §. Si navis. 3. Ad legem Rhodiam. De jactu.*** Si

96. ROGES: Num rei alienæ *b. f.* emptor, intellectô, quòd res aliena sit, eam possit venditori restituere, ut pretium recuperet? RESP. Si venditor sit ignotus, vel fur, latro, aut pirata, qui re restitutâ fugiturus præsumatur, ita ut possessio recuperatu moraliter impossibilis reddatur; nequaquam poterit venditori tali, emptor rem reddere; siquidem ex eo, quo res apud emptorem, bono loco fuerat, tenebatur is eam quantum in ipso erat, domino restituere, quod minimè faceret, si eam malevolo venditori redderet. Aliud foret; si nullum foret periculum rei amittendæ respectu domini; tunc enim emptor ad recuperandum pretium, rem venditori reddere posset, & boni viri officio defungetur; si domino indicaverit possessorem rei suæ. Quò facit; quòd emptor tali casu videatur fecisse quantum in se est, ut res perveniret ad dominum, id quod suis impensis facere non tenetur. Adde: quòd domini non interfit; an à possessore, vel ab emptore, rem suam vindicet, multùm verò intersit emptoris, ut pretium recipiat.

97. Hactenus sat, ùt arbitror, actum de modo acquirendi dominii per ***accessionem naturalem***; cohærenter hîc disquirendum, an & quâ ratione, per ***accessionem industrialem*** vel ***artificialem***, rei alterius dominium acquiri possit? Proinde hîc inspiciendum, quo pacto, ***specificatione***, ***adjunctione***, ***confusione*** & ***commixtione*** dominium acquiri valeat? Ut autem distincte procedamus; primo ponderabimus, quid jure Romano ea in re statutum sit; deinde, quid æquitatis naturalis ratio dictitet. Non enim omnia civilibus definita legibus, hac in parte, ***naturalia sunt jura***, sed placita interdum sunt legislatorum, ad negotia commodiùs definienda, naturâ tamen non repugnante, quia etiam ***lex***, dandi dominii, vim habet.

98. Incipiamus à ***specificatione***, quæ est: ***modus acquirendi dominium rei alienæ per introductionem novæ formæ. §. 25. Instit. De rer. divis. &c.*** Id quod procedit ex mente Imperatoris: ***d. §. 25.*** si res non possit reduci ad pristinam materiam, tunc enim duntaxat, nova species, fit specificantis, ex ratione: quòd tunc extincta videatur materia, & forma nova prævalere: modò tamen specificans ***1mò.*** suo, non alieno nomine, fecerit speciem. ***l. 25. ff. De A. R. D.*** Generale enim est omnibus acquirendi modis, ut cujuscunque nomine aliquid factum, ei etiam acquiratur. ***l. 27. §. 1. ff. eod. 2dò.*** Modò fuerit in bona fide, putans materiam esse ***suam***. Per ***l. 12. §. 3. ff. Ad exhibendum.*** Quo tamen casu, dominus materiæ, habebit ***actionem in factum***, accommodatam ***legi Aquiliæ***, quâ repetat materiæ pretium. ***l. 23. §. 5. ff. De rei vindic.***

99. Quòd, si quis malâ fide speciem confecerit; non solùm operam suam donâsse videtur materiæ domino, sed & ejus nomine fecisse speciem: adeóque hoc casu, quæcunque actiones contra furem dantur; illæ etiam dantur contra malâ fide specificantem; puta: ***actio ad exhibendum***, ***rei vindicatio***, nec non; ***condictio furtiva. l. 13. ff. De condict. furt.***

100.

100. Dices: Qui rem alienam suæ attexit, seu adjungit, dominium ejus acquirit, non obstante malâ fide. §. 26. *Inst. De rer. divis. &c.* Ergo à pari *&c.* Resp. *Neg conseq. Disparitas* est; quòd in specificatione, *opera* accedat *rei*, in accessione verò *res rei* accedat; adeóque res, quæ accessit, habeatur pro extincta, ut proinde dominus rei principalis, evadat etiam accessorii dominus, sive id bonâ, sive malâ fide fuerit adjunctum. Quanquàm & hoc casu, materiæ domino consulatur *actione in factum*, ad consequendam materiæ amissæ æstimationem. Id quod semper obtinet, quoties jura alicui *accessionis titulo* dominium addicunt. Intellige: si res adjuncta separari non possit; si enim separari potest; datur *actio ad exhibendum*, ut ita tandem *per consequentiam* res vindicetur.

101. Præterea; ut specificans fiat materiæ dominus, præcipuè requiritur; ut reapse nova species confecta sit. Nam veteri specie manente, & figurâ tantùm externâ mutatâ, res non fit specificantis, sed prioris domini manet, licet ad pristinum rudis materiæ statum reduci non possit. Quocircà, si quis lanam alienam, colore purpureo alióve tinxerit, aut tingi curaverit; nihil *suum* facit, sed lana ejus manet, cujus ante fuit: quoniam novum duntaxat colorem, haud verò novam speciem lanæ induxit. *l. 26. §. ult. ff. De A. R. D.* Exemplum appositè quoque occurrit in frumento, quod quis ex alienis spicis excussit; excutiens enim novam non conficit speciem, sed eam, quæ jam tum erat; detexit; ut ideo non ad excutientem, sed ad dominum spicarum, pertinere frumentum, rectè decisum sit in *l. 7. §. 7. ff. eod.* Tametsi verò ex §. 25. *Inst. De rer. divis. &c.* in quo dicitur: *frumentum ad spicas reverti non posse*, contrarium insinuari videatur; supplendus tamen est iste paragraphus ex *citata lege septima*, ut exemplum hîc observetur, in quo *Institutiones* interpretationem hauriunt ex *Digestis*, prout bene adnotavit *Stryck in præcognit. juris. cap. 2. §. 11.* & post ipsum *Schambogen ad dict. §. 25.* ubi dicit: spicas ibi tantùm poni pro exemplo *inadæquato*, ut sensus sit: quòd, si nova species non possit reduci ad pristinam materiam, *sicut grana non possunt reduci ad spicam*; tunc specificans fiat dominus.

102. Ex quo juris civilis interpretes Inferunt: quòd, cùm vinum, oleum, farina *&c.* ad pristinam speciem uvæ seu botri, olivæ, frumenti *&c.* reduci nequeant; specificantis fiant, haud obstante regulâ: *Quod ex meo fit, meum est.* Siquidem, ut illa procedat; necessùm volunt, ut vel egomet faciam, vel, alius nomine meo, aut mandato meo; vel; si fine mandato; saltem me ratumhabente; vel denique; ut alius, malâ fide faciat, prout dictum.

103. Quòd, si res ad pristinum rudis materiæ statum reduci possit; tunc tota res fit ejus *jure accessionis*, cujus erat materia; ita controversiam, distinguendo peremit *Imperator* in *cit. §. 25.* & *l. 61. ff. De rei vindicat.* licet & hoc casu, specificanti concesserit *actionem in factum* ad pretium operæ consequendum. *argum. l. 32. ff. De R. C.* aut: si adhuc possideat materiam specificatam, *retentionem* ejus, ac *exceptionem doli mali*, donec pretium refundatur. *l. 23. §. 4. ff. De R V.* Quod ùt ex antedictis liquet, solùm procedit, si in bonâ fide fuerit specificans: si enim sciverit, materiam esse alienam; sibi imputare debet, quòd temerè speciem confecerit. *Argum. §. 30. Instit. in fine. De rer. divis. &c.* Si

104. Petas: Ad quem spectet navis ex alienis tabulis facta? Resp. Sistendo in verbis §phi 25ti *Instit. De rer. divis. &c.*

&c. dicendum foret; fieri facientis; ast, ut §*phus* iste reconcilietur cum *l. 61. ff. De rei vindicat.* Distinguendum est inter tabulas nondum præparatas, sed adhuc rudes & informes; & inter tabulas ad faciendam navem jam elaboratas. Dicendum inquam: navem è rudibus & informibus tabulis constructam, fieri facientis; quia non potest reduci ad pristinam materiam; secus resolvendum, si materia navis conficiendæ, jam ante fuerit præparata, puta: si tabulæ ad navem faciendam jam fuerint dispositæ; tunc enim, quia navis reduci potest ad pristinam materiam, ideo industria materiam non absorbet, sed remanet prioris domini: atque de tali navi loquitur *citata lex 61.* prout colligitur ex vocabulo *carinæ*, quippe, quod inferiorem navis partem, & totius structuræ fundamentum, denotat.

105. Quid, si partim ex sua, partim ex aliena materia, quis speciem fecerit? *Hoc casu* [inquit *Imperator* in §. 25. ℣. *Quod si. De rer. divisione &c.*) *dubitandum non est, eum esse dominum, qui fecerit.* Subaudi: *bonâ fide. Ratio*: quia tali casu specificans, operam suam impendendo & partem materiæ præstando, dupliciter concurrit ad speciem, adeóque præferendus meritò est alterius partialis materiæ domino.

106. *Adjunctione*, seu *conjunctione* acquiritur dominium rei, quæ nostræ ceu principali connectitur. Quò spectat *intextura*, *suffultura*, aut *futura*: circa quam, hæc de jure civili obtinet regula: quòd quidquid rei nostræ, ornamenti velut loco accedit, nobis cedat, licet accessorium sit pretiosius principali. Hæc regula desumitur ex § 26. *Inst. tit. sæpe citato* Itaque, si quis purpuram alienam vestimento suo intexuerit; licet pretiosior sit, equidem hæc vestimento cedit. Nam, si res quæpiam ita sit comparata, ut propriam habeat qualitatem & formam; tunc id, quod ei veluti pars accedit, toti cedit. Sic; si quis statuæ brachium, poculo ansam, domui cæmentum adjecerit; quod additum est, cedit toti, eò quòd accessorium naturam & conditionem sequatur sui principalis. Concurrit autem quidpiam ùt accessorium, dum ab alia re occupatur & quadantenus informatur Nam, quotiescunque una res aliam planè occupat & quasi informat; toties illa pro principali habetur. Quamobrèm accessorium & principale, in sensu juris civilis, non considerantur ex valore & pretio rei, sed magìs ex voluntate patrisfamilias; ita, ut id accessorium audiat, quidquid *hic* rei perficiendæ aut exornandæ gratiâ, adjecerit. Ex quo

107. Inferunt JC*ti*, quòd, si aurum, margaritarum aut gemmarum causâ adhibitum sit, ut lapides isti tantò commodiùs gestari possint; tunc aurum margaritis cedat; at, si ècontra, margaritæ & gemmæ adhibitæ sint, ut aurum ornarent; tunc lapides isti cedant auro. Confer *Schambogen ad cit.* §. 26. *Instit.*

108. Cæterum, si quis malâ fide v. g. purpuram, aut aliam rem, rei suæ intexuerit, competit adversus eum *actio furti* ad pœnam, & *condictio furtiva* ad æstimationem: si verò bonâ fide id fecerit; habebit prior dominus *condictionem sine causa*, quâ non ad rem ipsam, sed ad pretium rei amissæ, agat. Et hæc *condictio* tunc communiter datur, quando quis dominium rei suæ, sine facto suo, amisit, & ab alio, absque legitima causa, possidetur. *Manzius* & *Schambogen, ad dict.* §. 26.

109. Dices: Si juxta dicta, intexens est factus dominus, quâ ratione tenebitur actione furti? Resp. Quia furtum tunc commisit, dum purpuram sustulit, adeóque actio furti tunc nata, facto delinquentis, ex post extingui non potest, ne

ne sit in potestate ejus, esse vel non esse obligatum. Huc spectat.

110. *Ædificatio*, vi cujus omne id, quod solo inædificatur, solo cedit. §. 29. *Inst. De rer. division. &c.* Ædificare autem quis potest vel in suo solo, ex aliena materia; vel in solo alieno, ex sua materia, vel denique in alieno solo, ex aliena materia, atque omnibus his modis, jure Gentium, acquiritur dominium, & quidem, si quis in suo solo ex aliena materia ædificaverit; tunc ipse ædificans intelligitur dominus ædificii, quia omne quod solo inædificatur, solo cedit *dict.* §. 29. Cujus *Ratio* est, quòd accessio cedat principali, & minus majori, pars toti. Id quod in solo privato potissimùm procedit; & quanquam ædificium in loco publico exstructum fiat publicum; si tamen quis in loco *nullius* ædificâsset, sibi ædificâsset, & ædificium non cederet solo *Dnus Kees ad cit.* §. 29. Si

111. Petas: An ergo in suo solo, ex aliena materia ædificans, cùm dominus sit ædificii, etiam dominus fiat materiæ? R*det. Imperator* in sæpe *cit.* §. 29. ℣. *Nec tamen.* Quòd is, qui materiæ dominus fuit, non desinat propterea ejus dominus esse, cùm ei invito res sua auferri non debeat; sed *tantisper* (id est, stante ædificio) *neque vindicare materiam suam possit, neque ad exhibendum ea de re agere, propter legem XII. Tabularum, quæ tignum* (quo nomine venit ferramentum, lapis, trabs, calx *&c.*) *alienis ædibus junctum eximi vetat, ne hoc prætextu, ædificia rescindantur & diruantur, & urbis aspectus ruinis deformetur.* Equidem, ne dominus materiæ, citra factum suum, re suâ careat invitus; lege *XII Tabb.* domino materiæ datur actio de *tigno juncto* in duplum, adversus jungentem, sive bonâ, sive malâ fide. *l. ult. ff. De tigno juncto.* Quo tamen casu, dominus materiæ non repetet *duplum* à bonæ fidei possessore, ùt pœnam; sed, ùt pretium tigni, unà cum eo quod interest, & hoc ideo; quòd invitus quasi cogatur rem suam vendere, ita ut propterea majus pretium, quàm, si spontè rem distraheret; recipere possit. Quòd si quis malâ fide, tignum alienum suis ædibus junxit; præstito *duplo*, insuper ad *simplum, rei vindicatione*, vel *actione ad exhibendum* cogi potest, puta: si aliqua ex causa dirutum sit ædificium, & tignum remanserit integrum. Confer *Perez. ad tit. inst. De rer. divis. &c.* & ibidem *D. Kees. ad vers. Sed tantisper.*

112. Quod si è diverso, quis ex sua materia, in solo alieno, ædificaverit? R*det* rursum *Imperator* in §. 30. *eod. tit. tali casu illius fieri domum, cujus & solum est*, quia solum, tanquam principale, ad se trahit materiam, dominio ejus quasi exstincto. Secernendus tamen hîc est is, qui ædificat bonâ fide, putans suum esse solum, ab eo, qui malâ fide, id est: qui sciens prudénsque ædificat in fundo alieno. Nam in possessione constitutus bonæ fidei ædificator, potest soli dominum, si contendat domum *suam* esse, repellere *exceptione doli mali*, si materiæ æstimationem & expensas in ædificando factas refundere recuset. Quòd, si possidere desierit; tunc quidem nec *actionem* nec *exceptionem* ad sumptus recuperandos habet; eidem tamen petenti denegandum non est *officium judicis*, quo consequatur rei suæ æstimationem. *Perez. loc. cit.*

113. Porrò, si quis sciens prudénsque in alieno fundo, ex sua materia, ædificaverit; indubiè materiæ proprietatem amittit; quia voluntate ejus intelligitur alienata, quin & illam domino fundi donâsse præsumitur, adeò, ut diruto etiam ædificio, illam vindicare non possit. Quò facit Regula juris: *cujus per errorem dati repetitio est, ejus consultò dati, donatio est.* *l.*

l. 53. *ff. De R. J.* Poteſtque eidem objici culpa, quòd temerè ſcilicet ædificaverit in alieno ſolo: atque ita nec *exceptio doli mali*, aut *retentio* ipſi poſſidenti prodeſt. *Perez loc. cit.* & *ibid. D. Keer.* Exceptio tamen facienda 1*mò.* Si quis ex conceſſione aut indulgentia domini, ſe crediderit ædificâſſe. 2*dò.* Si in ſolo litigioſo, quippe quem ſperare potuit ſibi manſurum. *Hoppius* ad ſæpe *cit. tit. Inſt. De rer. div.* 3*tiò.* Si vaſallus in fundo *feudali*, aut maritus in fundo *dotali*, commoditatis causâ ædificaverit. *D. Fleck. in Bibliotheca juris civil. lib.* 2. *tit.* 2. *n.* 56.

114. Stricto jure, malâ fide ædificans, *tollere* ſolùm poteſt ea, quæ ſine detrimento rei, tolli poſſunt: ſpectatâ autem æquitate naturali, *repetere* poſſe videtur, quatenus res exiſtit meliorata, ne alter locupletetur cum ædificantis jactura. *Schambogen ad* §. 30. *cit.* cui conſonat *Hoppius ibid. in uſu hodierno.* & ſic aliquoties in Curia Provinciali *Lipſienſi* judicatum fuiſſe, teſtatur *Schilter. Exercit.* 16. *Ad Pandectas. Theſ.* 57. Vide omnino *Groenweg. ad cit.* §. 30.

115. Obſervandum hîc, quòd hodie in *Belgio* atteſtante eodem *Groenweg. De ll. abrogatis. ad* §. 28. *tit. cit.* ac pleriſque foris Germanicis, *actio de tigno juncto.* quatenus eſt *in duplum*, ceſſet; & loco ejus *actio in factum*, ad ſolam tigni æſtimationem obtineat, præſertim, ſi bonâ fide junctum fuerit. *Schilter in Synopſi inſtit. tit. cit. lit. GG.* unde hodiernis moribus, bonâ fide ædificans, *in ſimplum* duntaxat videtur condemnandus, niſi ſingulare intereſſe probaverit actor. *Struvius in Jurisprudentia Germanica. lib.* 2. *tit.* 1. *Aphoriſmo* 48. Contra malæ fidei poſſeſſorem, videtur danda *actio furti* ad rem, & *intereſſe*, Actoris *in litem juramento*, probandum, & judicis diſcretione moderandum. Pœna autem *publica*, hodie arbitraria eſt. Confer *D. Fleck. loc. cit. tit.* 5. *n.* 55. *in fin.*

116. Utilis admodùm quæſtio eſt; an & quales impenſas, poſſeſſor ſive *bonæ* ſive *malæ fidei*, deducere poſſit, dum res aliena domino reſtituenda. Ante reſolutionem operæ pretium eſt obſervâſſe; quòd impenſæ aliæ ſint *fructuum*, quæ videlicet fructuum tum *percipiendorum*, tum *perceptorum* gratiâ, factæ ſunt; aliæ *rerum*, utpote in rem ipſam factæ, quarum rurſus aliæ ſunt *neceſſariæ*, aliæ *utiles*, aliæ *voluptuariæ*. *Neceſſariæ* ſunt: quibus non factis, res aut periiſſet aut notabiliter facta fuiſſet deterior. *l.* 79. *ff. De V. S. l.* 14 *ff. De impenſ. in rem dot. fact. Utiles* ſunt, quæ citra neceſſitatem, ad rei tamen utilitatem majorem factæ; puta: ut res fructuoſior evaderet. *d. l.* 79. §. 1. *Voluptuariæ* porrò ſunt: quæ quæ nec neceſſitatis, nec utilitatis causâ, ſed præciſè factæ ſunt, ut rês redderetur *ornatior*.

117. Præmittendum quoque eſt, quòd aliud ſit *deducere*, aliud *tollere* impenſas. *Deducere* namque eſt: habere poteſtatem rem tam diu retinendi, donec impenſarum nomine ſatisfiat. *Tollere*, eſt: habere poteſtatem retinendi & amovendi id, quod impenſum, quatenus ſcilicet ſine rei diſpendio atque læſione, ſeu deformatione, tolli poteſt. His prænotatis: omnes Romani juris interpretes

118. CONCLUDUNT 1*mò.* Quòd impenſas neceſſarias, quivis etiam malæ fidei poſſeſſor, *deducat*, excepto *fure*, *aut violento poſſeſſore*: *Ratio*: quia non poteſt videri donâſſe, qui neceſſariò impendit, fuiſſet enim ei negligentia ſua, damnoſa. Idem eſto de impenſis fructuum colligendorum causâ factis, quas utpote neceſſarias, & poſſeſſor malæ fidei *deducit. Perez. loc. cit.* DICTUM: *Excepto fure &c.* Hic enim ob delicti atrocitatem, *in pœnam*,

nam, nequidem impensas deducit necessarias. *l.* 5. *Cod. De rei vind. l.* 38. *ff. De petit. hæredit.* puta: *summo jure.* Nam *benignius est etiam in prædonis quoque persona, rationem haberi expensarum necessariarum & utilium. d. l.* 38.

119. CONCLUDUNT 2*dò.* Impensas *utiles* bonæ quidem fidei possessorem *deducere*, per *l.* 27. §. 5. & *l.* 30. *ff. De R. V.* malæ verò fidei possessorem, solùm *tollere* posse per *l.* 38. *ff. De petit. hæredit. Ratio utriusque* est; quòd æquitas non ferat, ut cum damno alieno, dominus fiat locupletior, cujus tamen, si tanta foret inopia, ut impensas refundere nequiret, nisi re suâ divenditâ (quia justô graviùs fuerit, dominum cogi re suâ carere propter impensas ab alio factas) tantum *tollere* possessori permittitur, quatenus potest, sine læsione prioris status rei. Cæterùm *m. f.* possessor, rem retinere non potest, ut impensas deducat, quia domino rem suam *vindicanti* exceptionem opponere non potest, quin hac *replicatione* repellatur: quòd videlicet temerè & perperàm in alieno fundo ædificaverit, cùm scire debuerit, solo affixum, cedere solo. Equidem impensas hujusmodi tollere non prohibetur, dummodò id sine læsione rei, facere possit, lucrúmque inde sentiat, nec dominus æstimationem lucri offerat. *Gletle select. quæstionum p.* 2. *q.* 18 *n.* 7.

120. CONCLUDUNT 3*tiò.* Bonæ fidei possessorem, impensas *voluptuarias* deducere posse, quatenus cedunt in domini utilitatem, licet ipse dominus eas non fecisset. *Ratio*: quia bona fides, quæ possessorem quasi dominum reddiderat, non finit illum pati damnum, & alterum capere lucrum. DICTUM: *quatenus cedunt &c.* Nam non cedentes in domini utilitatem, nec *b. f.* possessor deducere valet, ne alioquin dominus rem sibi inutilem emere cogatur. Possessor autem malæ fidei, impensas voluptuarias, ob rationem supra intimatam, non *deducit*, quanquam illas *separare* posse videatur, quatenus ipsi profuturæ sunt, & res deterior non evadet. *Perez loc. cit. Zoësius ad ff. De A. R. D. n.* 60.

121. Porrò, inter malæ, & bonæ fidei possessorem, Doctores & hanc observant differentiam; quòd *ille* non aliter impensas etiam necessarias deducat, quàm, si res extet, in quam impendit, & supersit melior facta, eáque ad dominum perveniat; ita, ut alioquin possessor in damno maneret, & dominus afficeretur lucro illius jacturæ: *hic* verò, scilicet bonæ fidei possessor, indistinctè impensas imputet, quamvis domus v. g. quam fulsit, combusta sit, aut alia res semel melior facta, perierit. Quod tamen in singulari possessore limitant interpretes. *argum. l.* 38. *ff. De R. V.* Vide *Perez, loc. cit.*

122. Ad accessionem spectat *confusio*, quæ est materiarum [liquidarum aut liquefactibilium scilicet] ad diversos pertinentium, inter se, & in unum corpus permixtio, ut vel in aliquam speciem migrent, vel difficilis sit earum separatio. §. *Si duorum.* 27. *Inst. De R. D. & acquir. &c.* veluti: si qui vina sua confuderint, vel massas argenti vel auri conflaverint: si ex vino & melle, mulsum fiat; ex auro & argento *electrum*. Ubi nota: quòd teste *Plinio* apud *Vinnium* ad mox *cit.* §. *Si duorum.* Electrum fit aurum, cujus quinta pars est argentum.

123. Circa *confusionem*, juris est; quòd, si materiæ ejusdem vel diversi generis, dominorum voluntate confusæ sint; totum id corpus, quod ex confusione resultat, fit commune; ita, ut quisque *actione: communi dividundo*, partem suam petere possit. Aliud est, si intervenerit voluntas unius tantùm: nam tunc species facta non fit communis, sed unius tan-

tùm

tùm qui fecit. Quòd, si fortuitò, & non voluntate dominorum, confusæ fuerint materiæ; *idem juris esse placuit. text. in* §. 27. *cit.* Id est: totum pariter fit commune. Quòd, si separatio fieri non possit (veluti, dum materiæ sunt ejusdem generis) quisque pro rata suæ portionis, dominus est; ita, ut ratio habeatur excessûs. Puta: si cujus materia prævaleat, is amplius ferat ex massa, ne alter alterius jacturâ locupletetur, contra *l.* 206. *ff. De R. J.* Confer *Schneidevinum* ad *cit.* §. 27. & ibidem *Schambogen*, *Perez* & alios.

124. Accessionis speciebus accensetur *commixtio*, quæ tunc contingit, quando diversæ materiæ junctæ, speciem novam non conficiunt, sed singula corpora in sua substantia durant, ita, ut licet simul sint; tamen inter se non cohæreant aliqua unione interveniente, ùt: in commixtione frumenti, pecuniæ &c. Quo casu, si voluntate & consensu dominorum mistura fiat, totum quod mistum est, fit commune, & *actio: communi dividundo*, non autem *vindicatio* locum habebit. Quòd si fortuitò, vel casualiter, frumentum v. g. diversorum misceatur; id non erit commune, sed quilibet pro rata suæ portionis, partem vindicabit. *Ratio:* quia hîc non est perfecta confusio, cum singula corpora, id est: grana singula, in sua substantia durent, & unum non ingrediatur quasi aliud, sicut, dum duorum vina miscentur. Sicut autem frumentum non fit commune, ita nec grex intelligitur communis, misturâ ovium factâ; quia rursus singula capita, in sua manent substantia, nec tua fiunt mea; nec mea, tua. Cæterùm, si frumenta aliáve similia commixta fuerint, & dubium sit: quantum & quale cujúsque sit; tunc consideratis con-considerandis, judex rem determinabit. *Schneidev. Perez* & alii passim *ad* §. 28. *Instit. tit. cit.* Itaque, licet summo jure, in casu, quo fortuitò, diversorum dominorum, ejusdem speciei grana commixta fuerint, cuilibet domino, ex natura rei, detur vindicatio portionis granorum suorum; quia tamen singula grana, quæ cujusque sunt, accurate discerni nequeunt; ideo judicis officio incumbit, ut jubeat tantum cuivis restitui, quantum prudenter arbitratus fuerit. per *text. in l.* 5. *in princ. ff. De rei vindic.* Si

125. Oggeras: Creditor, cui nummi alieni in solutionem dati sunt, acquirit dominium illorum, si eos suis nummis miscuerit. *l. Si alieni.* 78. *De solutionib.* Ergo etiam frumentum tuum meo mixtum, meum erit. Resp. *Dissimulato Antecedente Neg. Conseq. Ratio* disparitatis est; quòd in nummis principaliter attendatur valor, sive publica æstimatio, *l.* 1. *ff. De contr. empt.* iique intelligantur consumpti, statim ùt expenduntur vel commiscentur. Ex quo sequitur: quòd qui nummos alienos sibi solutos, *suis* miscuit, eorum dominus fiat, non jure commixtionis, de qua loquimur; sed quia intelliguntur consumpti esse respectu prioris domini. Jam vero frumentum, per commixtionem non consumitur; quia naturalis & principalis ipsius usus consistit in hoc, ut eo vescamur, non ut commisceamus. *Hillig. in Donell. lib.* 4. *cap.* 22. *litt. A. in not.*

126. Quid de *scriptura* & *pictura*? Resp. Quemadmodùm ædificia solo, & semina fundo cedunt; ita pari ratione, litteræ quamvis aureæ, chartis membranísque cedere videntur: quidquid enim rei meæ imprimitur, accessionis instar est, & rei meæ cedit, cui ita adjicitur, ut pars ejus fiat. Sed, si ego vindicem chartas illas, neque pretium scripturæ solvere velim; tibi *doli exceptio* datur, sicut in simili supra dictum. Moribus tamen no-

ftris, *Accurfii* fententia celebratur, & chartam fcripturæ cedere, receptum; præfertim, cùm & leges civiles, iniquitatem iftius intellexerint decifionis, quæ habetur in §. 33. *Inftit. De rer. divif. &c.* ut proinde paragraphus ifte, teftibus *Schneidewino*, *Mynfingero*, *Hoppio*, *Perezio* & aliis, exoleverit. De *Pictura* fingulari jure, per modum exceptionis à generali regula, placuit, propter excellentiam artis, tabulam cedere picturæ: ridiculum quippe reputavit Imperator, picturam *Appellis* vel *Parrhafii*, in accelfionem viliffimæ tabulæ cedere, cum plus fit in manûs, feu artis pretio, quàm in fubftantia tabulæ.

127. Hactenus de acceffionis fpeciebus, prout de iis ratiocinantur juris Romano-Cæfarei Interpretes: at, fi naturalem veritatem refpicimus; paulò aliter difcurrere oporteret. Profectò; ficut confusâ materiâ, communionem induci pro rata ejus, quod quifque habuit, Romanis quoque *JCtis* placere debuit; quia res alium exitum naturaliter reperire non poterat; ita, cùm res conftent materiâ & formâ tanquam fuis partibus; fi alterius fit materia, alterius verò forma, fequitur, naturaliter rem communem fieri pro rata ejus, quod uniufcujufque eft, quò ad æftimationem: forma enim pars eft fubftantiæ, non fubftantia tota, ùt patet ex phyfica. Ut autem, qui malâ fide materiam alienam attrectant, operam formámque perdant; eft quidem non iniquè conftitutum; fed *pœnale*; adeóque *non* ideo *naturale:* natura enim pœnas non determinat, nec ob delictum, per fe dominia aufert, quanquàm naturaliter pœnâ aliqua digni fint, qui delinquunt. Ut verò rei majori acquiratur res minor (quo fundamento nititur *Connanus* apud *Grotium*; naturale eft *facti*, non *juris*. Atque ideo, qui fundi, pro vicefima parte, eft dominus, tam manet dominus, quàm qui partes habet novemdecim. Quare (ùt bene tradit *Grotius lib.* 2. *De J. B. & P. cap.* 8. §. 21.) quod de acceffione, ob prævalentiam majoris partis, aut certis in cafibus, lex Romana conftituit, aut in aliis etiam conftitui poteft; id *naturale* non eft, fed *civile*, ad commodiùs tranfigenda negotia. Quinimò inficiari non poffumus, verum effe, quod *Grotius loc. cit.* obfervat; fcilicet: vix ullam effe juris tractationem, in qua tot difcrepantes fint *JCtorum* fententiæ & errores. Nam quis (inquit) concedat, fi æs & aurum mixtum fuerit, alterum ab altero deduci non poffe, quod fcripfit *Ulpianus* in *l. Idem.* 5. §. 1. *ff. De rei vindic.* quia pro illo tempore, necdum inventa erat ars, qua aurum à quocunque metallo feparari poteft. & quis dixerit *ferruminatione* confufionem verè fieri, puta: fi pes aureus, ftatuæ aureæ per *folidationem* jungatur, prout *Paulus* arbitratus eft in *l.* 23. §. *Item.* 5. *eod.* Aut aliam effe *fcripturæ*, aliam *picturæ* rationem, ùt fecundùm jus civile, de quo fupra *n.* 126. *huic* tabula cedat, *illa* tabulæ feu chartæ? Plantata quoque & fata, ut folo cedant; fimiliter eft juris merè pofitivi §. 31. *Inft. De R. D.* quod in hac ratione fundatur; quòd fcilicet ifta folo alantur. Nam ideo & *JCti* Romani, de arbore diftinguunt, an radices egerit: atqui alimentum rei jam exiftentis partem duntaxat facit, & non totum ipfum; igitur: ficut ex alimento, jus quoddam in rem, foli domino nafcitur; ita dominus feminis, plantæ aut arboris, jus fuum, quod naturaliter ante habuit, idcirco non amittit, ut proinde præfcindendo à juris civilis difpofitione, in iftis cafibus, communio locum habere debeat; quod & de ædificio in alterius fundo, exftructo, dicendum: quia fundus aut fuperficies foli, non eft totum ædi-

ædificium. Quò facit quod juxta *leg. Titius.* 60. *De A. R. D.* si mobile fit ædificium, nullum in eo jus habeat soli dominus. Bonæ fidei possessor, ut fructus omnes ex aliena re *suos* faciat, quos percepit; naturalis quoque non dictat ratio; sed hoc tantùm, ut jus habeat impendia in rem facta, & operam utilem imputandi, ac pro iis, deducendi fructus perceptos, aut etiam retinendi extantes, si aliter ei non satisfiat. Quinimò, id ipsum, si lex pœnalis non intercederet, dicendum videtur de malæ fidei possessore. Nam, ùt supra dictum, *Paulus JCtus* in *l. Planè.* 38. *ff. De petit. Hæred. benignius* esse censuit, *etiam in prædonis persona, haberi rationem impensarum; non enim debet* [inquit] *petitor ex aliena jactura, lucrum facere.*

128. Per *traditionem*, jure Gentium, acquiri dominium rei traditæ, docent omnes Civilistæ. Nam nihil tam conveniens naturali æquitati (inquit *Justinianus* in §. *per traditionem. Inst. De R. D. &c.* quàm voluntatem domini intendentis rem suam in alium transferre, ratam haberi. Ad hoc autem, ut traditione dominum transferatur & acquiratur, requiritur 1. *Potestas*; traditione enim nil ampliùs transferri potest, quàm quod sit in facultate tradentis. *l. Nemo plus. ff. De R. J.* Et ideò pupillus, prodigus, non transfert dominium. 2. *Voluntas* ex parte utriúsque: nam in omnibus actionibus seu factis dominii translativis, consensus seu affectus utriusque contrahentis concurrere debet. *l.* 55. *ff. De actionib. & obligationib.* & ideo deponens, commodans, non transfert dominium. Adde: quod nuda traditio non transferat rei dominium sed necessùm sit, ut concurrat causa ad transferendum dominium idonea. *l. Nunquam. ff. De A. R. D.*

129. Traditio alia est *propria* seu *vera*, dum videlicet res mobilis, manibus apprehenditur, aut in rei immobilis possessionem, corporaliter quis introducitur; alia *impropria* sive *ficta*; dum eâ naturali corporum apprehensione omissâ, aliqnid intercedit, quo res pro apprehensa & verè tradita habeatur. Sic traditis emptori instrumentis litterariis, quibus res empta-vendita continetur; censetur res ipsa tradi. Idem est; si claves domûs venditæ tradantur emptori. Confer *Schneidew. ad* §. *Item si quis. Instit. De R. D. &c. n.* 2. *Sichard.* in *rubric. Cod. De peric. & commod. rei venditæ. n.* 3. Porrò fictam traditionem introduxit partim *necessitas*, ob qualitatem rerum, quæ propriam traditionem non recipiunt, quales sunt res incorporales, in quibus usus unius & patientia alterius, censetur loco traditionis. *l. Servus.* 42 §. *Incorporales. ff. De A. R. D. l. Quoties.* 20. *ff. De servitut.* Partim *commoditas* suasit, ut expeditiùs, & pluribus modis, res transferretur, ita Civilistæ.

130. Si autem juris naturalis simplicitatem ponderemus; verum quidem est, naturaliter etiam traditione transferri dominium; ast necessùm non est ad dominii translationem, ut semper intercedat traditio, id quod & *JCti Romani*, quibusdam in casibus, agnoscere debuerunt; veluti, in re donata, usufructu retento: *l.* 28. *Cod. De donat.* aut in eum collatâ, qui jam posidebat. *l.* 21. §. 1. *ff. De A. R. D.* aut commodatam servabat. §. 44. *Inst. De R. D.* item, in jactis missilibus. §. 45. *Inst. eod.* Imò etiam ante adeptam possessionem, de jure civili, quoque transit dominium, ut: Hæreditatis. *l. cum hæredes.* 23. *ff. De acquir. possess.* Legatorum. *l. à Titio. ff. De furtis.* Rei donatæ Ecclesiis aut piis locis, vel civitatibus. *l. ut inter.* 23. *Cod. De SS. Eccles.* Item in causa alimentorum. *l. doceas.* 1. *Cod. De don.*

quæ.

habet; cùm Rex secundò, *vel ulteriùs genitum, imò extraneum, vocare possit ad successionem. Id*

11 *Probatur ab exemplis.*

12 *Princeps* non ligius, *sed* supremus, *de rebus* allodialibus, *sive* inter vivos, *sive* mortis causâ, *liberè disponere potest. In* Germania, *multi Principatus & Comitatus, pro* allodiis *habentur.*

13 *Quinimò, quædam feuda, ob tenuitatem obligationis & nexûs feudalis, propiùs ad naturam rei* allodialis *accedunt.*

14 *Ab origine & structura Rerum publicarum, concipi potest judicium de facultate imperantibus competente.*

15 *Non omnes Gentes, parem Imperantibus potestatem contulerunt. Ubi corrigitur* Grotii *opinio.*

16 *Ex populi primævo consensu, imperantis authoritas atque potestas metienda est.*

17 *Sæpe, ne* Martis *arbitrio decidi potuit dubium, sitne Regnum alicubi* patrimoniale, *an* legitimum? *Quid verò rationabiliter hac de re censendum*? ibid.

18 *Hac in parte errârunt diametraliter sibi oppositi* Ludovicus Molina & Michael ab Aguirre.

19 *Indicium Regni patrimonialis adfertur.*

20 *Europæ Regna, potiùs pro* legitimis, *quàm* patrimonialibus *habenda sunt.*

21 *In legitimis Regnis, ordo succedendi, conformis esse debet legibus* fundamentalibus *inibi vigentibus*

22 *In Regno* patrimoniali, *Rex limites* juris *saltem* naturalis, *transilire non debet.*

23 *Circa Regni alienationem disponens, præprimis liberè consentire debet.*

24 *Ad validum consensum, requiritur* præsuppositivè *actus intellectûs; &* formaliter, *actus voluntatis, immunis à vi vel coactione externa.*

25 *Sæpe intellectus per errorem, & voluntas per metum coactionémve externam, propelli potest in actum de jure* nullum.

26 *Plenus & liber testatoris consensus, iis quorum interest, innotescere debet.*

27 *Per Principis testamentum non potest alteri auferri jus quæsitum nec quid, juri naturali, vel Divino* positivo *adversum, statui.*

28 *Quod Princeps etiam in Regno* patrimoniali, *nil in perniciem populi disponere possit, verius est.*

29 *Neque pro lubitu, jus populi, liberorum, vel agnatorum, lædere valet.*

30 *An filius, aut alius alioquin hæres Regni, exhæredari possit?*

31 *Princeps nequit testamento disponere de bonis, quibus, per pacta familiarum,* modus devolutionis *præstitutus est.*

32 *Pacta* Confraternitatum *inter Illustres Germanorum familias, unde trahant originem? Quid pactis hujusmodi inductum fuerit?* ibid.

33

33 Confraternitas, *prout importat jus* mutuò succedendi, *quatenus sit valida?*
34 *Enervatur objectio.*
35 *Quatenus Princeps successor, antecessorum suorum pactis aut testamentis teneatur?*
36 *De testamento* Caroli II. *Hispaniarum Regis.* Remissivè.
37 *Imperia alienari possunt ab iis, in quorum dominio sunt.*
38 *Si pars Regni sit alienanda, an Regnicolarum istius regionis consensus requiratur?*
39 *Principe, pacis causâ, hosti validiori Provinciam vel Civitatem cedente, an Provinciales vel Cives obluctari possint hosti possessionem capere volenti?*
40 *Perimitur scrupulus objectus.*
41 *Majus jus habet pars ad se tuendum, quàm corpus ad tuendam partem.*
42 *Respondetur ad* Replicam.
43 *Refellitur* Instantia.
44 *Faciliùs alienari potest pars territorii, quàm populi.*
45 *Num Rex, sine populi consensu, possit regnum suum alteri offerre in* feudum?
46 *Pars populi, aut imperii in populum, sine ejus consensu, nequit alteri in pignus dari.*
47 *Num Rex, sine consensu populi, possit aliis, jure hæreditario, concedere* Ducatus, Marchionatus &c.
48 *Bona* domanialia, *Rex, sine populi consensu, alienare nequit.*
49 *Acquisitio* derivativa, *quæ fit per legem; aut fit per legem* naturæ, *aut* Gentium, *aut* civilem.
50 *Naturalis justitia* commutativa *petit, ut id quod debetur, in specie præstetur, aut aliud tantidem valens.*
51 *Ubi judiciorum viget authoritas, nemo propriâ authoritate, invito debitori, creditum vel debitum extorquere potest.*
52 *Quo casu, quis sibi occultâ compensatione consulere possit?*
53 *Jure naturali, parentum hæreditas*, ab intestato *primùm defertur in liberos; quibus, iniquè exhæredatis, datur* querela inofficiosi.
54 *Ratio hujus affertur.*
55 *Dicta procedunt, nisi parentes ediderint in contrarium, justæ & rationabilis voluntatis suæ, indicia.*
56 *Nisi pactis* dotalibus, *vel alio modo, aliter dispositum fuerit; liberi* ab intestato, *æqualiter succedunt in bona parentum.*
57 *Pactis conjugum statui potest, ut quidam liberorum, non sint hæredes, sed certâ portione contenti esse debeant. Et ille est effectus Matrimonii, quod Germani vocant:* Ad Morgengabicam, *seu* Morgenaticam. *Tale Matrimonium, moribus hodiernis, præsertim inter personas, quarum una est illustris, altera ignobilis, reputatur* validum & licitum. *& cur?* ibid.
58 *Liberorum hæreditas defertur pa-*

parentibus seu ascendentibus. Ubi *distinctio facienda videtur inter bona, à Patre vel Matre, profecta. Sed de hoc accuratiùs infra. n.* 63 & 66 & seq.

59 Ratio, *cur parentes liberis* ab *intestato succedant?*

60 *Parentibus non superstitibus, defuncti* fratres germani, *aut eorum liberi*, jure repræsentationis, ab intestato *succedunt*.

61 *Quid, si solùm supersint defuncti* fratres *duntaxat* consanguinei & uterini? *An tunc bona paterna* consanguineis, *materna* uterinis *obvenient?*

62 *Pleniùs expenditur, qualiter de jure civili, post descendentes & ascendentes; tertio ordine*, ab intestato *ad successionem vocentur fratres tum* germani, *tum* consanguinei, *aut* uterini, *eorúmve liberi concurrentes?*

63 *Limatiùs discutitur quæstio; num in concursu fratrum consanguineorum & uterinorum, obtineat Brocardicon:* Paterna paternis, Materna maternis?

64 *In bonis* feudalibus, *consanguinei, à fratribus germanis non excluduntur.*

65 *Præmortuorum fratrum filii, ultimo avunculo succedunt* in capita.

66 *Fratres germani, alteri germano succedentes, simpliciter & absque distinctione bonorum, excludunt fratres* tantùm consanguineos, vel merè uterinos.

67 *Non extantibus verò fratribus* germanis, *vel eorum liberis, in* allodialibus *succedunt fratres* consanguinei & uterini, *eorúmve liberi, pariter, absque discrimine bonorum.*

68 *Non solùm* germanorum, *sed &* consanguineorum *vel* uterinorum *fratrum liberi, si soli fuerint, excludunt defuncti patruum, avunculum, materteram aut amitam.*

69 *Fratres* legitimati *per* subsequens Matrimonium, *succedunt æqualiter cum aliis legitimè natis.*

70 *Aliud dicendum de legitimatis per* Rescriptum Principis.

71 *Quid de fratribus* adoptivis *vel* arrogatis?

72 *Quid de fratribus* naturalibus tantùm?

73 *Statuitur norma succedendi pro remotioribus* collateralibus.

74 *Jus* repræsentationis, *in linea* collaterali, *non extenditur ultra fratrum liberos, nec duplicitas vinculi ulteriùs attenditur.*

75 *De successione conjugum* remissivè.

76 *Affinium, nulla inter se*, ab intestato, *successio.*

77 *Post conjuges, non semper succedit immediate* Fiscus.

78 Fiscus, *quando succedat? Quid jure* Albinagii *obtineat in* Gallia. ibid.

79 *Quæ de modo & ordine succedendi, jure civili sancita sunt, non eam habent de jure naturæ necessitatem, quin pactis, legibus & moribus, variari possint.*

80 *Si defunctus voluntatem suam non ex-*

expresserit; censetur id voluisse, quod lex aut mos populi habet.

81 *In Regnorum successione, distinctio facienda inter Regna* pleno jure & modo possessa *ab his, quæ modum possessionis à populo acceperunt.*

82 *In Regno* indivisibili, *si aliter non sit dispositum; præfertur mas fœminæ, & natumaximus aliis postea genitis.*

83 *Quo casu tamen primogenitus aliis congruam portionem, quæ vulgò* Appanagium *dicitur, assignare debet. Vide* ibid. *Quid* nominis & rei *sit* Appanagium, & *qui* Appanagiati?

84 Appanagium *unde constituendum?*

85 *Quæ debeat esse quantitas* Appanagii?

86 *Principes* Appanagiati, *an sint* Status *imperii?*

87 Appanagium, *quatenus succedat in locum* legitimæ?

88 *An Bastardis etiam sit constituendum* Appanagium?

89 *Secundogenitus ex matre illustri, an præferendus primogenito ex matre plebeja?*

90 *In successione Regnorum, populus censetur id voluisse, quod maximè expedit Quid maximè expediat?* ibid.

91 *An, ad successionem, admittendi sint* Adoptivi?

92 *Cur mares in successione, fœminis præferantur?*

93 *Cur & natumaximus filiorum?*

94 Jus repræsentationis, *quò ad successionem Regni, capiendum, salvâ* sexûs *primùm, deinde*, ætatis *prærogativâ.*

95 *An Regnum sit pars hæreditatis paternæ?*

96 *An primogenitus acceptato Regno, reliquam hæreditatem, ob nimium æs alienum, repudiare possit?*

97 *Populus potuit Regi contulisse potestatem obligandi se, nomine Reipublicæ.*

98 *Atque hujusmodi facultatem, quatenus ad imperium ritè gerendum necessaria est, quivis Rex habere censetur.*

99 *Principum tamen actiones, non sunt scrupulosè commensurandæ Regulæ, pro negotiis privatorum, statutæ.*

100 *Actus in perniciem Reipublicæ gestus, non tam revocari, quàm ab initio* nullus *fuisse, declarari potest.*

101 *An, & quatenus Rex imperio se abdicare possit?*

102 Utrum *abdicando Regnum, primogenito vel aliis nocere queat?*

103 *Quis super controversia de successione Regni judicabit?*

104 Utrum *filius ante adeptionem Regni natus, præferendus sit ei, qui in regia fortuna ortus est.*

105 *Occurritur objectioni.*

106 *An nepos ex filio priore, præferendus sit filio Regis posteriori?*

1 Cquisitione derivativâ aliquid fit nostrum, quando consequimur rem, quæ vel alicujus est, vel fuit; id quod duobus modis fieri potest, videlicet: aut *facto hominis*, aut *dispositione legis*. *Sylvius in 2dam 2dæ D. Thomæ q. 66 art. 2 quæsito* 4. Siquidem modi derivativi acquirendi dominii, sunt illi, queis proprietas ab uno præhabita, derivatur in alios; hi autem profluunt partim à facto, seu voluntate unius dominium transferentis, & alterius acceptantis; veluti in pactis & contractibus contingit, partim à lege, seu juris dispositione, vigore cujus quandoque dominium, invito etiam domino, transfertur in alium, prout contingit in successione *ab intestate*, *usucapione* ac *præscriptione*.

2. Generalis & maximè naturalis modus derivativus acquirendi dominii, est *Traditio*, de qua superiore capite ideo egimus, quia modus iste, ob suî generalitatem, proximè accedit ad modos originarios. Hoc autem capite, de Traditionis speciebus, sigillatiùs agemus.

3. Præliminariter autem Quæri potest; num modi transferendi dominii, signanter in facto seu humana voluntate fundati, profluant à jure naturali? *Ratio dubitandi* est: quòd, ùt superiori capite *n.* 128 teste *Justiniano Imperatòre*, retulimus; post introducta rerum dominia, nihil tam naturale sit, quàm ut domini voluntas rem in alium transferre volentis, rata sit. Confer. *Grot. lib.* 1 *de J. B. & P cap* 1 §. 10 *n.* 4 & *lib.* 2 *cap.* 2 §. 2 *n.* 5 Item: *cap.* 6 §. 1 *n.* 1.

4. Ante Resolutionem quæstionis, suppono ùt certùm; quòd Matrimonium in ratione contractûs, non quidem singulis individuis, sed humano generi secundùm se, sit jure naturæ præceptum, quia in ordine ad propagationem humani generis, est medium simpliciter & determinatè necessarium, prout bene observat *Cathechismus Romanus*, *part:* 2 *cap:* 8 ibi: *Deus in mundi creatione instituit Matrimonium in officium naturæ*. Cui nihil obstat, quòd post elevationem Matrimonii ad Sacramenti rationem, in lege nova per Christum factam; *forma* introducta sit jure Ecclesiastico; hæc enim forma nihil præjudicat juri naturæ, cujus fini æque satisfit, quacunque formâ celebretur. Proinde, sicut ante elevationem, jus naturæ, formam contractûs istius, juri *Civili*, ita post elevationem, soli juri *Ecclesiastico* reliquit determinandam. Hoc præsupposito, sit.

5 Resolutio 1ma Modi transferendi dominii; à facto seu hominum voluntate pendentes, sunt quidem juris naturæ, ast duntaxat merè *negativi*. *Ratio* est; quia inducta rerum proprietas, dominiorúmque translatio, vel potiùs transferibilitas secundùm se considerata, non est juris naturæ *positivi*, *absoluti*, *dispositivi* aut *præceptivi*, sed merè *permissivi* & *negativi*. Nam, ùt supra demonstratum, non est determinatè & simpliciter necessaria ad felicitatem naturæ rationali ac societati humanæ propriam; cùm hunc in finem, suffecisset usus rerum ad vitæ sustentationem requisitus, qui usus haberi potuisset, durante rerum communione, ut proinde nec universalis rerum partitio & proprietas, multò minus modus transferendi dominii de uno in alterum, fuerit à naturali jure determinatus vel præceptus.

6. Resolutio 2da. Modi, transferendi dominii ex facto seu voluntate hominum profecti, remotè & generatim, juri Gentium natales suos debent. *Ratio*; quia facultas

cultas transferendi dominii per pacta & contractus quoscunque, nata est ex dictamine rationis, longævo Gentium usu, firmato ad populorum publicam felicitatem, communi bono societatis humanæ, quin & necessitate id exigente; ita, ut facultas eatenus reciprocè paciscendi, generatim ab una Gente abrogari nequeat.

7. Resolutio 3tia. Modi transferendi dominium *in specie* & *quò ad formam*, proximè orti sunt ex *jure civili*, etsi obligatio inde resultans, verè adscribenda sit *juri naturali propriè dicto*, seu *absoluto*. *Ratio* est; quia pacta in specie, seu modi paciscendi per *permutationem*, *emptionem venditionem*, *locationem &c.* hac vel illa formulâ, non respiciunt primariò communem Gentium utilitatem, sed privatam potiùs cujusvis populi necessitatem atque commoditatem: Tametsi enim Gentium omnium intersit, ut pactis & conventionibus commercia colere, & de rebus suis disponere possint, nihil tamen interest, num id determinatè hoc vel illo modo, hac vel illa solemnitate aut formâ facere possint; horum enim determinatio, pro locorum, rerum, alienarúmq; circumstantiarum exigentia varia, cujusque civitatis aut populi arbitrio, seu juri civili, relicta est. Quod autem obligatio è pactis & contractibus resultans, sit juris naturalis absoluti; inde clarescit; quòd fides tam publica quàm privata, in pactis & conventionibus *positivè* exigatur ab amore, proximo, debito, & ad felicitatem naturæ rationali propriam, simpliciter necessario: alioquin enim rueret commercium omne inter mortales, cum manifesto societatis humanæ præjudicio ac detrimento, ut rectissime *Ulpianus l. 1 ff. de pactis*. Pro vinculo servandi pacta, æquitatem naturalem assignet. *Quid enim* (inquit) *tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter illos placuerunt, servare?* Ne videlicet sublatâ fide, tollatur omne, quod inter homines intercedere debet, commercium.

8. *Grotius*, dum *lib: 2 de J. B. & P. cap: 6 §. 1.* tractat de acquisitione derivativa, quæ fit *facto hominis*, altiùs supercilium attollit, & indagat, utrum Imperia, ad instar aliarum rerum privatarum, alienari possint? ut supra hac spinosa quæstione, rationabile judicium ferri possit; prævié observandum: quòd quædam Regna sint *Patrimonialia*, quædam *legitima*. In Regno *Patrimoniali* Rex ex populi voluntate, absolutam & illimitatam habet facultatem de illo pro lubitu disponendi, illúdque ex toto vel ex parte abalienandi: in Regno verò *legitimo*, populus eam facultatem sibi reservavit. Unde sequitur, diversissimam in utroque esse & testamentorum, & successionum *ab intestato*, rationem. Hanc diversitatem paucis, pro more, attigit *Grotius lib. 2. cap. 7. §. 12.* ubi tradit: Regna *Patrimonialia*, pro lubitu possessoris dividi posse tam inter fœminas, quàm mares, quinimò adoptatos quoque, nothos & cognatos alios, si ita expresse voluerit possessor, ad successionem esse admittendos; non enim hîc considerandæ sunt leges civiles, quibus Reges se non alligant, sed naturalia jura ponderanda sunt. Proinde, si Rex, qui Regnum habet *in patrimonio*, voluntatem suam super successione declaraverit; illi, quatenus juri naturali aut divino positivo non repugnat, obtemperandum & standum est. Quòd, si nihil ea de re declaraverit; id voluisse censendus est, quod saluti & securitati Regni sui quàm maximè reputabitur conveniens. Econtra, in *Regnis legitimis*, populi voluntas, pro cynosura, capienda & unicè respicienda est: quæ, si per leges *fundamentales* (ùt vocant fuerit declarata; inde nullatenus discedi posse, in aprico est. Quod, si populi voluntas explicata non reperiatur; id rursus jus fásque erit, quod saluti Regni fuerit conveniens. Ex quo

9. *Sequitur*: quòd, sicut in regnis *patrimonialibus*

monialibus testamenta summorum imperantium, omnino locum habent; ita in ***legitimis***, testandi disponendíque facultas, à populi voluntate legibúsve fundamentalibus, modum, vim & efficaciam haurire debeat.

10. Quanti momenti sit hæc conclusio, haud difficulter intelligitur; cùm inde gravissimæ controversiæ, definiendæ veniant. Ubi enim de regno, velut de patrimonio suo, Rex disponere potest, naturali & Gentium jure, per ***arrogationem***, ***adoptionémve***, sibi filium & hæredem constituere valet, teste *Grotio* & aliis ab ipso citatis, quibus etiam adstipulatur *Carolus Molinæus, ad Consuetud: Paris*: §. 12 *Gloss*: 3 *n*. 11. Primogenituræ quoque jus, in tali regno, suâ sponte corruit, nec locum sibi vindicare potest; cùm nihil obstet, quò minùs secundò vel ulteriùs genitum ex filiis, Rex ad successionem vocare possit. Comprobat hoc calculo suo ***Antonius Bagnafacus. in Resp: de Successione Regni Portugall***: Pro ***Sabaudiæ Duce. n.*** 41. Cui suffragatur ***Christophorus Besoldus. Politicor. lib.*** 1. ***cap.*** 3, ***pag. mibi*** 222. Appositè ex Plutarcho adducens exemplum ***Pyrrbi***; ei, qui ex filiis suis gladium habuisset acutiorem, regnum se relicturum profitentis: Itémque Comitis ***Embdensis***, ex liberis, hæredem dignissimum, nominantis. Neque verò id tantum procedit in iis, qui regio sanguine prognati sunt, sed & peregrinum & humili loco ortum, filiis suis neglectis, designare successorem potest Princeps in regno ***patrimoniali***, ùt ùt aliqui dissentiant, nec à ratione, nec ab exemplis ad rem facientibus, intentionem suam probantes.

11. Non lubet hic fusiùs prosequi omnia illa, quæ ex regnorum *Patrimonialium* & ***Legitimorum*** discrimine fluunt: exempla tamen, si quis ex veteri pariter ac recentiori historia desideret; is consulat *Vincentium Cabotium. Variar. jur. publ. ac privat. Dissert. lib.* 1. *cap.* 10 *pag.* 40. *& seq.* ubi longa serie refert exempla successionum in utroq; genere regnorum, ac præprimis recenset ea, quæ Reges aut testamento, aut donatione, aut quavis aliâ ratione, absque populi consensu, abalienârunt. Adde ***Frid. Wendelinum lib.*** 2. ***Institutionum politicar. lib.*** 2. ***cap.*** 30. §. 2. ***n.*** 2. ***pag. mibi*** 356. ***& seq.*** ubi enumerat Regna, Ducatus & Principatus, à Romano Imperio, cum, vel sine legitimo titulo, pro dolor! avulsa.

12. In hoc plerique conveniunt, quòd de rebus ***patrimonialibus***, seu: ***merè allodialibus***, libera, Principi ***non ligio***, sed respectivè *supremo*, & à nemine mortalium dependente competat testandi disponendíque facultas. Unde, cùm in nostro Imperio ***Romano-Germanico***, nonnulli Principatus, Marchionatus, Comitatúsque, pro ***allodiis*** reputentur; De iis posse testari Principem, ***Limnæi lib.*** 4. ***c.*** 8. ***n.*** 131. ***& seq. Myleri de Statu Imperii conclus.*** 24. ***n.*** 7. ***Grotii de J. B. & P. lib.*** 1. ***cap.*** 3. §. 12. ***& seq. Reinkingii de Regimin. secular. & Eccles. lib.*** 1. ***class.*** 4. ***cap.*** 17. aliorúmque est sententia.

13. Quinimò de feudis non paucis constat, quòd nexus aut obligatio feudalis in Vasallo tam tenuis sit; ut propiùs ad naturam rei ***allodialis***, quàm ***feudi*** accedere videantur. Qua de re legi meretur ***Petrus Gudelinus de jure feudorum. part.*** 3. ***cap.*** 1. ***& seq.*** cum quo insigni Doctore ***Lovaniensi***, probè notandum; quòd non omnium feudorum, ubivis, eadem sit conditio; ita, ut non sit universim concludendum; quòd res ita, in singulis individuis casibus, se habeat; sicut in una alteráve ***facti specie***, usu aut moribus receptum, vel domini ***directi*** expressâ voluntate, singulariter constitutum; quanquam in dubio, non extante lege vel consuetudine locorum speciali; ex communi feudorum jure, interpretatio sit haurienda. Contingere itaque potest [& contigit pluries] quòd per conniventiam Domini ***directi***, plura sibi vindicet ***vasallus***, quàm cæ-

cæteroquin ipsi liceat: ex quo haud concludendum; quod id *jure* faciat, aut res *feudalis*, idcirco pro *allodiali* aut *patrimoniali*, sit reputanda.

14. Ut de Regnis & Principatibus, quos quis jure *suo*, non *clientelari* possidet; solidius judicium ferri possit; sedulò perpendenda est origo structuráque Rerumpublicarum; quia, ex hac consideratione, patefiet; populum, Rempublicam constituentem (cum salvam sine Imperio Civitatem esse non posse conspiceret) ùt suæ securitati consuleret; non tantùm consensisse in id, ut Imperantes præficerentur; sed definivisse etiam, à quibus, & qua normâ, sibi imperari vellet. Siquidem, ùt per pacta, ipsæ civitates coaluerunt; ita excogitari nulla alia ratio potest imperii introducti, quàm consensus civium, seu pactum inter cives ac ipsos imperantes initum. Quemadmodùm verò natura civitatis, boníque regiminis postulat, ut imperans qualiscunque demum sit, aut quocunque modo summæ rerum præficiatur, tantâ instructus sit potestate; quantâ, ad imperium ritè gerendum, requiritur; ita certis limitibus potestatem ejus circumscribere, item unum vel plures, ad illam dignitatem evehere, modúmque, quo imperans constitui, imperióque admoveri debeat, definire, in libera cujusque populi positum fuit voluntate. Ex hoc fonte nati sunt diversissimi Gentium mores, aliis electionem successioni; aliis successionem electioni, præferentibus; atque, super succedendi modo, diversas leges, statuentibus. Etenim natura civitatis humaníque generis salus non postulabat, ut hæc apud omnes populos, eodem modo, se haberent. Unde, quod eatenus cuíque Genti placuit; id etiam in hisce capitibus, justum & æquum censeri debet.

15. Hinc itaque profectum est, quòd nonnullæ Gentes, omnimodam potestatem, absoluto imperantis arbitrio, contulerint, id ratum habentes, quidquid ille, circa regnum & regni successionem, decreverit. Unde prodierunt illa regna, quæ *hæreditaria* itemque *patrimonialia* in Scholis politicorum vocari solent. *Hugo Grotius cit. lib.* 1. *cap.* 3. §. 11. ex jure belli, atque absoluta deditione, horum regnorum originem accersit. *Quidam (inquit) reges pleno jure proprietatis, regnum possident, ut qui justo bello imperium quæsiverunt, aut in quorum ditionem, populus aliquis, majoris mali evitandi causâ, ita se dedidit, ut nihil exciperetur.* Verùm, etsi bellum persæpe occasionem præbeat, ut populus regnum alicui offerat in patrimonium; non tamen hujus rei, causa adæquata, est bellum; cùm solus consensus populi, etiam citra belli occasionem, possit esse causa translativa hujusmodi Imperii *absoluti*. Et quid obstat, quominùs populus commodorum quorundam intuitu, pacis tempore, hostem non metuens ullum, tali modo Imperium alicui conferat?

16. Quocircà cùm ex populi consensu atque arbitrio, totum hoc negotium metiendum sit; facilè intelligitur; quod potestas Summi Imperantis, quò ad imperii aut regni abalienationem, diversimode circumscribi ac limitari possit. Interdum enim tota res, ita ejus submitti potest arbitrio, ut populi nullæ partes sint, nec ejus aut confirmatio concurrere debeat; sed, ut ratum firmúmque sit, quidquid Princeps decreverit. Et ejusmodi regna *propriè* in patrimonio sunt, juréque hæreditario in alios transmittuntur. Interdum verò ita regnum, in Principis arbitrium, collatum est, ut successorem quidem designare possit, designatio tamen tum demum vires capiat, & valida censeatur; si accedat consensus aut ratificatio procerum vel populi. Denique, sic quoque succedendi ratio institui & ordinari potest, ut tota quidem à voluntate populi dependeat; Principis tamen designatio aut testamentaria dispositio vim commenda-

dationis apud populum vel optimates habeat. Hujus generis videtur fuisse testamentaria dispositio *Caroli Magni* (quam exhibet *Melchior Goldastus. Constit. Imper. Tom. 1.*) Voluit enim Imperator ille, à *Francorum optimatibus*, testamentum suum confirmari, prout ex *Adone* observavit *Grotius loc. cit.* §. 13. *n.* 1.

17. Sæpe *Martis* arbitrio submissum, ast minimè decisum fuit dubium, fuerítne regnum, de quo contendebatur, *Patrimoniale* ac *hæreditarium*, an verò *Legitimum*? Non semper enim constat, neque ex monumentis liquidò semper probari potest; an populus Principi ejúsve stirpi, regnum conferendo, simul contulerit facultatem illud pro lubitu alienandi, an verò hanc facultatem sibi reservaverit? *Vincentius Cabotius.* loc. supra *cit. pag.* 39. Suam hac super re sententiam, his formalibus depromit: *Plurimum interest, an aliquis præscriptus sit* lege, *aut* consuetudine *usurpatus succedendi ordo. Nam, ubi nullus extiterit; erit Regis libera de regno dispositio, in quem velit liberorum, principatum conferre. Stante verò ejusmodi lege aut consuetudine, non erit: nec poterit Rex ita de regno disponere, ut à legis aut consuetudinis forma recedat.* Voluntas siquidem populi duplici ratione manifestatur aut expressè & apertè per leges, aut tacita quadam consensione per consuetudinem; adeoque bene sic argumentamur: Ubicunque leges *de successione* latæ sunt, aut *consuetudo* certum succedendi modum approbavit; ibi à voluntate Regis *privativè*, successio non pendet, nec potest regnum *pro hæreditario* reputari: ubi verò legibus *fundamentalibus* hac de re nihil fuit dispositum, sed *indefinitè* & absque ulla reservatione vel restrictione, regnum dignoscitur à populo vel Optimatibus fuisse collatum in personam Principis unius; ibi regnum *patrimoniale* censebitur; præcipuè, si populus Optimatéve, Regi regnum in patrimonio habere cupienti, apertè suffragati fuerint. Protectò, omnia monumenta actáque publica, sedulò perpendenda sunt, ut dijudicari queat, an populi voluntate atque consensu, Principi familiæve ejus, hoc vel illo modo, delatum fuerit regnum, ut prudenter dixerit *Cabotius loc. cit. perquàm difficilè esse, in tanta obscuritate rerum (latent enim omnia fere jura regnorum) constituere, quæ regna ad hoc aut illud genus successionis referenda sint.*

18. Patuli interim erroris convincuntur *Ludovicus Molina*, & *Michael ab Aguirre* quorum ille *Tom* 3 *de Justitia & Jure part. prior. De majoratu &c. tract. 2. Disp.* 626. contendit omne regnum, *non jure hæreditario*, sed *sanguinis*, ad successores deferri, quasi successores in regno, semper & ubivis illud consequerentur, non ab *immediato antecessore*, neque ex voluntate aut dispositione illius, se *ex jure sanguinis*, atque *ex pacto & providentia Reipublicæ*, quæ regnum ipsum instituit, certísque legibus, modum in illo succedendi, determinavit. Id quod quidem in uno alteróve regno obtinere potest, non tamen est perpetuum, nec regulare. Alter ècontra in *Resp. de Success. Portugall. regni. part.* 1. *n.* 15. probare conatur, omnia regna, *jure hæreditario* deferri, *argumentò*, ex jure Canonico, petitô, ex quo evictum sit, primogenitum filium, cui jus primogenituræ ex consuetudine defertur, non *à genere*, sed *à patre* illud consequi: id est: non tam, *quia primogenitus*, quàm: *quia hæres sit patris.* Neutri autem adhærere possumus, quia nimis apertâ constat experientiâ, non eandem, in hoc capite, omnium regnorum successivorum, esse conditionem. Qua de re, præprimis videri meretur *Christophorus Besoldus. Politicor. lib.* 1. *cap.* 3. *pag. mihi* 218.

19. Illud certum est, ad hoc, ut regnum aliquod intelligatur *patrimoniale*, sufficere; si princeps aut testamento, aut donatione, alióve modo, illud abalienare possit, non expe-

expetito populi aut procerum consensu.

20. Ad hodierna & Europæ quidem, quod attinet regna; ea pro *legitimis* potiùs, quàm *patrimonialibus* habenda esse, in aprico est; eò quod in ipsis, ratio succedendi, legibus *fundamentalibus* definita, neque facultas pro lubitu, de regno disponendi, concessa sit Regi, Id, quod de *Galliæ* regno, præter alios, *Hottomannus lib. 1. de Success. in regno Franc.* De regno *Angliæ*, *Eduardus Chamberlainius. In notit. Angliæ. part. 1. cap. 5.* & de aliis regnis, puta: *Sueciæ*, *Daniæ*, *Neapolis &c.* passim testantur politici. Confer *Theatrum Europæum.*

21. In regnis autem *legitimis*, aut nulla prorsus testandi facultas, aut certè non alia, competit Regi, quàm illa, quæ legibus regni *fundamentalibus* conformis sit: proinde, si contra hujusmodi leges, ordinem successorium, præfigentes, testamentum condiderit, déque successore & successione in regnum, disposuerit; *irrita* erit & *invalida* dispositio, nisi consensus populi procerúmve expressus accesserit.

22. Loquendo de regnis duntaxat *patrimonialibus:* indubium est, quòd Rex facultatem habeat patrimonium suum in alium *etiam extraneum* transferendi, quódque eatenus juris *civilis* regulis, ejúsque solemnitatibus neutiquam quidem obstrictus sit; nihilominus tamen juris *naturalis* omnes homines indiscriminatim obligantis, tramites transilire non possit, si actum validum exercere cogitet. Quæ autem jus hocce naturale, circa testamenta ultimásve voluntates præscribit, ad tria revocantur capita; videlicet 1*mò*. Ut testator reverà consentiat. 2*dò* Ut de hoc consensu, certò & liquidò illis constet, qui alioquin *ab intestato* successuri erant. 3*tiò*. Denique, ut in res, quas abalienare constituit, nulli mortalium aliunde jus aliquod quæsitum sit.

23. Quòd de regno, ex toto vel ex parte disponens, præprimis consentire debeat; adeò palmare est, ut ea de re nemo sanæ mentis dubitare possit. Si enim testamentum, juxta omnium jurisperitorum effatum, *est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit*; nil prææquè ad testamenti valorem requiri potest, quàm testatoris consensus.

Quò faciunt illa JCtorum trita *Brocardica: Voluntatem testatoris prædominari debere in testamentis, & utramque in illis facere paginam: voluntatem testatoris nos sectari debere: voluntatem itidem testatoris debere esse liberam, non coactam nec importunis sollicitationibus expressam &c.*

24. Cùm autem consensus *præsuppositivè* actum intellectûs, & *formaliter* (ùt Scholastici loquuntur) actum voluntatis importet; sua sponte sequitur, nec actum intellectûs ulla ratione præpeditum, neque actum voluntatis, vi metúve extortum fuisse debere. Profectò, ætas decrepita, corporis sensuúmque debilitas, mentis error, sæpe consensui obstare possunt, quò minùs ultima valeat dispositio. In moribundis plerúmque mentis vis, sive dolorum vehementiâ, sive mortis imminentis metu atque terrore, valde imminuitur, ut non tam exactè, quid rebus aut suis, aut aliorum expediat; dispicere peræquè possint, ac si corpore mentéque bene valerent. Hanc quidem ob causam, *Plato lib. 2. de legib.* hujusmodi testamenta, prorsus rejicienda arbitratus est, tanquam profecta ab illis, qui justa deliberatione in rebus magni momenti summoperè necessariâ, uti haud potuerint. *Stolidi* [inquit] *enim & fracto quodammodo animo præditi sumus plerique, cùm jam morituros nos esse putamus.* Ita inquam sensit *Plato*; legibus tamen *Romanorum*, & *moribus* receptum est, ut ex eo capite non rejiciantur indiscriminatim testamenta; præcipuè, quia plerique ad extremum usque vitæ halitum, sufficiens retinent robur mentis, imò persæpe quàm maximè oculos mentis aperiunt,

riunt, dum corporis oculos claudere coguntur.

25. Cæterum, ficut intellectus per errorem, fic voluntas per coactionem atque metum impediri poteft, quominùs teftator ritè confenfiffe dici queat. Utrumque autem variis modis fieri poffe, nemo dubitabit, qui utcunque, hominum aliorum bonis inhiantium, voluntatéfq; morientium ad fe flectere edoctorum mores exploratos habuerit.

Nec obeft, quòd (ut vulgò in fcholis jactari folet) metus non tollat voluntarium, ac proin nec officiat confenfui. Ut ùt enim id *in thefi* verum fit, omnes tamen affertionem iftam limitant in cafu, in quo ob metum graviorem, animus ita terrore percellitur ac perturbatur, ut vix obiter penetret, quæ extrinfecus profert & probat. Quò facit, quòd in teftamentis, non qualifcunque confenfus fufficiat, qualis forte cum metu ifto confiftere poffet; fed, quod plenus confenfus, liberrimáque voluntas requiratur; id quod Civilis quoque juris Authores & Interpretes identidem inculcant, dicentes: fupremam Voluntatem oportere effe haud *coactam*, nec importunis follicitationibus expreffam: neque illam pendere debere ex alterius arbitrio *&c.* Confer *Richter Decif* 27. *n.* 11. Adde *Mevium Ad jus Lubec. lib.* 2. *tit.* 1. *art.* 4. *n.* 28. *& feq.*

26. Prætereà, plenus & liber teftatoris confenfus, aliis, quorum intereft, innotefcere debet: cùm enim confenfus fit actus *internus* animi; utique eo modo *externè* manifeftari debet, ut liquidò conftet, teftatorem hoc & non aliud voluiffe. Romani, ut teftamentorum religioni confulerent; varias iis addidêre folemnitates. Ne tamen illis hæ Conftitutiones fraudi effent, quibus forte oportunum confultúmve non erat, omnes illas folemnitates exactè obfervare; Ideo legibus quoque Romanis, *Codicillorum* ufus introductus eft. Codicillorum enim nomine, Jurifperitis, ultima voluntas minùs folemnis venit, de eo, quod quis poft mortem fuam fieri velit, exceptâ hæredis inftitutione.

27. Denique ratio naturalis poftulat, ne alterius jus quæfitum, per teftamentum lædatur. Nemo enim in alterum transferre poteft, quod in ejus non fuit facultate. Unde Romani juris Authores & Interpretes, teftamentum definiverunt: voluntatis noftræ *juftam* fententiam, de eo, quod quis poft mortem fuam fieri velit: & *Juftinianus Imperator*, in omnibus quidem voluntatem teftatoris præcipuè confiderari & prædominari debere, dixit; aft id intellexit de voluntate *legitima* feu *jufta* & *legibus conformi.* Legibus inquam, tum *naturalibus*, tum *pofitivis divinis*, tum porrò humanis, fi de civibus, feu privatis hominibus fermo fit. Quòd, fi de fummis Imperantibus Agatur; palàm eft, illos non nifi naturalibus diviníſque legibus obftringi, adeóque tunc folùm teftamentarias aliáfque ipforum dipofitiones *nullas* & *irritas* effe; quando quid æquitati naturali, divinifque legibus adverfum ftatuerint. Quo etiam referri poffunt leges regni Imperiive *fundamentales*, quas fummus Princeps teftamento fuo evertere non poteft.

28. Sæpe dictum, fummum Principem de regno *patrimoniali* liberè difponere poffe. Sed quid? fi Princeps in teftamento fuo aliquid difponat, quod faluti gentis, regníque adverfum fit; veluti: fi accerfat in teftamento fuo fucceffforem ex gente fuis fubditis magnoperè invifa, & fub cujus defpotico imperio, bella in- & ex-terna, aliáque graviffima mala verofimiliter metuenda fint? Anne hujufmodi teftamentum (fuppofitô, quod cætera requifita, de quibus fupra *n.* 22. adfint) juftum validúmque eft? Resp. & Dico: abfque dubio, hujufmodi teftamentum fore injuftum & iniquum, eò quòd generatim fit injuftum, quidpiam in damnum, perniciem, aut oppreffionem alterius moliri.

moliri. Sed, cùm non omne, quod injustum est, statim etiam sit *nullum* & *irritum*; ideo meritò dubitari potest de valore suprafigurati testamenti. Ego ejus nullitatem evinci puto sequenti discursu: Quando populus Principi in regno *patrimoniali* (de hoc enim tantùm sermo est, siquidem in *legitimis*, testamenta principum irrita esse, nisi populi consensus accesserit; sæpius jam insinuatum) facultatem concessit testamento aut alia ratione regunm abalienandi vel in alium transferendi, id ea lege, & haud aliter, fecisse censendus est, quàm ut Princeps commune regni bonum præ oculis haberet, nec facultate ista, in populi regníque perniciem abuteretur. Quis enim credat populum adeò dementem, & propriæ salutis incurium fuisse, ut se adeò serviliter Principis imperio subjecerit, ratáque perpetuò habuerit, quæ in suî perniciem non possent non vergere. Nolit ergo Princeps sibi persuasum habere, quòd sibi *in infinitum* & *despoticè* dominandi potestas sit à populo alias (ùt supponitur libero & armis non devicto) concessa, sed humaniùs existimet, potestatem sibi traditam, ex fine esse metiendam, finem verò à populo intentum non posse esse alium, quàm commune ejus bonum. Quocirca, si quid molitus fuerit Princeps, quod huic fini, puta: saluti populi regníque incolumitati adversum sit; limites potestatis suæ transgressus, id machinatus est, quod facere neutiquam potuit, adeóque factum hujusmodi, in se & naturâ suâ, irritum erit.

29. Similiter Princeps pro lubitu in extraneum transferendo regnum, nedum jus populi, sed nec aliorum, puta: liberorum aut cognatorum jura qualitercunque lædere potest. Pro quo observandum; quòd liberi, agnati, cognatíve, sibi jus in regnum, bonáve Principis asserere possint; vel *successione ab intestato*, aut *ex pactis & conventionibus*. In regnis *patrimonialibus* successionem *ab intestato*, ex tacita voluntate, præsumptóque consensu defuncti deferri ad liberos proximósve agnatos, certum est, argumentô deductô à successione *intestata* in rebus privatorum. Commune enim & naturale parentum censetur esse votum & desiderium, ut bona ipsorum, ad liberos, agnatósve deferantur, si aliter testamentô non caverint. In regnis autem *legitimis* rursus ad populi consensum voluntatémque recurrendum est. Quotiescunque enim alicui familiæ regnum defertur, eâ lege delatum existimatur, ut omnes posteri ex illo sanguine progignendi, eo succedant ordine, quem populus, aut *expressè*, in legibus fundamentalibus, aut *tacitè*, per receptam consuetudinem præscripserit atque firmaverit. Si quem itaque, juxta nascendi conditionem, hic ordo, populi voluntate constitutus, tangat; is hoc ipso consequitur succedendi jus, quod Regis authoritate aut testamento aliquo neutiquam ipsi est auferendum; cùm, ùt sæpiùs dictum, in regnis *legitimis* nequaquam fas sit Regi, ab isto ordine semel introducto ac stabilito, recedere.

30. Ex hactenus traditis *resultat*, quid respondendum sit, si quæratur; an exhæredari à Principe, aut filius aut quicunque proximus hæres possit? Siquidem pro cynosura semper observandum est discrimen, quod inter regnorum patrimonialium & legitimorum indolem, intercedit, prout solidè docet *Hugo Grotius. lib.* 2. *De J. B. & P. cap.* 7. §. 25. In regno namque *patrimoniali*, æquè ac in bonis privatis, rationabili patris voluntate exhæredari potest filius, regnúmque ad alium transferri, dummodò ob vitia animi aut planè sit inidoneus, aut delictum, adeò gravi pœnâ dignum, commiserit; aliunde,

etiam

etiam tali exhæredatione, regni populíque salus in evidens periculum non adducatur. Profectò, quidquid aliquando factitatum legatur, inhumanum & æquitati naturali repugnans apparet, sine gravi causa filium, proximúmve agnatum, aut bonis aut spe successionis privare. Unde & in jure civili, ob iniquam exhæredationem descendentium ascendentiúmve, *querela inofficiosi testamenti* conceditur. Cæterùm, populi regníque salutem hac in re præprimis ponderandam esse; per se patet. In regnis autem *legitimis* tota res iterum ad populi voluntatém consensúmque redit. Quemadmodùm enim filius cæteríque agnati & cognati, jus succedendi in ejusmodi regnis, non à voluntate patris, sed ex arbitrio atque consensu populi habent; ita non patris, sed populi judicio, hoc illis adimi potest. Confer *Joan Frideric. Hornium. in polit. architecton. lib.* 2. *cap.* 9. §. 15. Proinde non nisi populus eum exhæredare, successionéque indignum pronuntiare potest.

31. De pactis & conventionibus, quid sentiendum sit? facilè decidi potest ex conclusionibus, quas Theologi & utriusque jurisperiti, de hac materia, passim tradunt. Supposito itaque, quòd paciscentes facultate paciscendi fuerint instructi, pactúmque naturali saltem jure validum celebraverint (ex pacto enim per se irrito, nullum jus nulláque obligatio nasci potest) indubium est, quin illud per testamentum enervari subvertíque nequeat. Quocirca, bona, quibus modus *devolutionis* per pacta familiarum præstitutus est, neutiquam testamentorum dispositioni subjacent, prout civilis quoque juris Doctores uniformiter tradunt. Vide inter cæteros *Nicolaum Betsium. De pactis familiar. Illustrium. cap.* 4. & 5. Huc faciunt *confraternitates* inter illustres Germaniæ familias institutæ, quarum ea vis est, ut omnium judicio, irritum futurum sit Principis testamentum, quod hujusmodi pactis repugnaret, & rectè quidem; alioquin enim nullus pactorum usus, nulláque conventionum efficacia, inter mortales superesset.

32. Injeci mentionem pacti confraternitatis. Ubi Nota: quod hujusmodi pactorum origo adscribatur istis temporibus, quibus, post *Fridericum II. Imperatorem*, jus *manuarium* (*Das faustrecht*) & *Diffidationes privatæ* in usu erant, de quibus vid. *A. B. tit.* 15. Cùm enim turbulentis istis temporibus, quivis impunè alium, etiam armatâ manu, invaderet, & viribus fortior, jure quoque ac authoritate potior haberetur; cúmque hac ratione familiæ germanorum illustres penitus everti timerent; ideo nonnullæ illarum, sacramento se obstrinxerunt, quòd junctis viribus illi restituri essent hosti, qui unum alterúmve confœderatorum invasurus esset. *Es stund ein Hauss fur allen, und alle fur eins.* Hoc pactum postea extenderunt ad jus succedendi. Vide *Habn De jure rer. concl.* 75. *n.* 8. *sub tit. Pact. Ganerbiatûs.* Distinguenda tamen sunt pacta confraternitatis (*Erbverbrüderungen*) quatenus mutuam defensionem respiciunt, à pactis pro successione initis, quæ in jure publico Romano-Germanico, vocantur pacta *Ganerbinatûs. Gan-Erbschafft.* Confraternitas enim mutuæ defensionis intuitu duntaxat inita, nihil aliud importat, quàm conventionem & inde resultantem obligationem, se suásque facultates contra vim & hostiles incursiones defendendi: Confraternitas verò, prout importat jus succedendi; est pactum, quo id actum, ut alterius stirpe extinctâ, Principatus, certâ successionis lege, ad alteram superstitem familiam devolvatur. Qua de re videri merentur: *Carpzovius De pact. Confraternit. Saxo-Hassiacæ. Limnæus lib.*

S 2 4.

4. *cap.* 8. *n.* 172. *Conringius ad Lampad. part.* 3. *c.* 5. §. 13. *Kulpisius ad Monzambanum. p.* 1. *cap.* 2. §. 1. *pag.* 237.

33. Confraternitates itaque hoc sensu acceptæ, sunt pacta *gentilitia*, inita inter illustres familias, ut alterius stirpe extinctâ, patrimonium & principatus certâ successionis lege, ad alteram superstitem familiam devolvatur. Hæc autem pacta Gentilitia, hodie in Imperio Romano-Germanico, consensu Imperatoris opus habent, alioquin enim Feuda nunquam fierent vacantia in Imperio, si videlicet Principes pro lubitu, ejusmodi pacta inire possent. Vide *Capitulationes Ferdinandi IV. art.* 30. & *Leopoldi*, *eod. articulo.* Item *Josephi* 1. *art.* 30. & 31. Cæterùm, cùm *loc. cit.* Cæsares promiserint, se de nullo tali feudo, sine præscitu *Electorum* dispositoros; *Electorum* consensus ad prædictorum pactorum confirmationem necessarius esse videtur, qua de re consule *Limnæum J. P. lib.* 4. *cap.* 8. *n.* 15. *Stryck. Examin. Juris Feudal. cap.* 16. §. 28. Quanquàm certum sit, ad id non requiri consensum subditorum, cùm is in Feudi alienatione non requiratur. Porrò, pactum Confraternitatis, aliud est *universale*, quod de omnibus paciscentium bonis, Principatibus ac integro illorum patrimonio intelligitur: aliud *particulare*, quod super certo Principatu, Comitatu vel bonorum parte, initur, vel utrimque & ex utroque latere, quod tum *ambilaterale* pactum audit, vel ex uno tantum latere, quod tunc *unilaterale* vocatur. Vide *Limn. loc. cit. cap.* 8. *n.* 172.

34. Oppones. Pacta confraternitatis de mutua successione, subministrant occasionem captandæ mortis, adimunt item facultatem testandi. Ergo. *Resp.* Præsumptionem non cadere in Principes, quód successionis gratiâ, alterius posteritatem, agnatósque exterminaturi sint, ut hac in parte non debeat attendi juris civilis dispositio, vigore cujus pacta futuræ successionis prohibita inveniuntur: loquitur enim jus civile de pactis privatorum, non verò integrarum familiarum. Neque verum est, tali ratione paciscentibus adimi facultatem testandi, cùm utique reservata habeant bona, de quibus usque ad mortem liberè disponere queant.

35. De eo gravissima sæpe agitata fuit controversia, num Princeps antecessorum suorum pactis, aut etiam testamentis teneatur? Hac in re *Hugo Grotius lib.* 2. *De J. B. & P. cap.* 14. §. 10. *& seq.* cum aliis à *Reinkingio* citatis *lib.* 1. *classe* 3. *cap.* 10. recurrit ad discrimen, quod inter regna *patrimonialia* & *legitima* intercedere jam sæpius meminimus. Asserunt inquam Doctores communiter; eum, qui in regno patrimoniali succedit, omnino illis teneri pactis, quæ ipsi regno bonísque in quæ succedit, inhærent, quæve *realia* ideo passim audiunt. *Ratio* est; quòd in Regno *patrimoniali* succedens, eâ naturaliter subauditâ conditione admittatur, ut onera quoque ei adhærentia, subeat Ut populari judicio, iniquissimus mortalium reputetur; qui duntaxat commodum capere, incommoda verò cum eo connexa subire detrectet. In regnis autem *legitimis*, identidem pro cynosura, respiciendus est populi consensus, quo expressim non existente, habenda est ratio salutis & conservationis regni. Respublica enim & populus, ea rata habere censetur, quæ Princeps aut Imperans agit, dummodò diametraliter ea non adversentur populi saluti, quæ summa lex est. Quamdiu autem in regno *legitimo*, per expressum vel tacitum populi consensum, post obitum prioris, alius Rex substitutus non apparet; tamdiu populus ipse, per se vel Optimates suos, & jura & obligationes in se recipit, eásque porrò

transfert in novum Regem, quem successionis ordo tetigerit. Atque hoc est, quod *Grotius*, *loc. cit.* innuit, inquiens: *In regnis* patrimonialibus, *Regem ex pacto antecessoris sui obligari* immediatè, *in* legitimis *autem* mediatè, *mediante scilicet populo.* Eadem distinctio adhibenda est ad firmiter judicandum de valore testamentorum à Principibus conditorum. In regnis enim *patrimonialibus*, ordinem succedendi à testatore præfixum & determinatum, successor nequaquam immutare valet, ex ratione; quòd per testamentum & beneficium Antecessoris, eâ lege & conditione adeptus sit regnum, ut ejus voluntatem adamussim adimpleret, saltem in ea parte maximè substantiali. Unde, si eatenus à testatoris voluntate discesserit, jure regni excidisse, hæreditatémque repudiâsse censebitur. Loquendo iterum de regnis *legitimis*; discernendum & ponderandum pariter est; num ad testamentum Principis regnantis, populi optimatúmve accesserit consensus, nec ne. Si non accessit; profectò testamentum nullam vim habet, neque successorem obligabit. Si verò accessit; eo, habitâ consensûs ratione, *absolutè* vel *conditionatè*, prout populo visum fuerit, successor stare tenebitur. Cæterùm, in hujusmodi regno, multò minùs successor, sine consensu populi, testamentum, condere valebit, quo forte antecessoris dispositionem jam populi consensu firmatam roboratámque infringere atque labefactare pertentet. Tale utique testamentum pro invalido & omni prorsus effectu carente, *attentato*, ac temerario ausu, reputandum erit. Summatim colligendo; concludendum est; quòd successor testamentariam dispositionem Antecessoris, nullo vitio laborantem, sacrosanctè observare & explere teneatur, eâ verò non teneatur; si aut facultate testandi fuerit destitutus; aut eam, ultra quàm par fuerit, extenderit; aliúdve vitium ei adhæserit.

36. De Testamento *Caroli II.* Hispaniæ Regis, an legitimum validúmve fuerit? nolim, ne longiùs digrediar; in favorem serenissimæ *Austriacæ* prosapiæ, cui semper devotissimus ero, disquisitionem instituere; quia super hac facti specie, jam alii solidissimè scripseruut, & præprimis *Joannes Franciscus Buddeus.* in *selectis juris naturæ & gentium. Exercitatione, De testamentis summorum imperantium. cap.* 2. & 3.

37. Ex hactenus demonstratis, fluit; quod ad instar aliarum rerum, imperia alienari possint ab eo, in cujus dominio verè sunt; puta: vel à Rege, si imperium in *patrimonio* habeat; vel à populo; si regnum sit *legitimum*, aut *electivum*, quo tamen casu, Regis viventis & regnantis consensus accedere debet, quia is quoque tanquam *fructuarius* jus aliquod habet, quod ei invito auferri non debet.

38. Quid? si pars sit alienanda, v. g. Civitas, Provincia; ánne & ejus partis consensus requiritur? Resp. *Affirmativè* si de regno *legitimo* loquamur. Nam, qui in civitatem coëunt, contrahunt societatem quandam perpetuam & immortalem, ita ut velint regi eodem imperio, & intra ejusdem imperii fines degere. Unde quemadmodùm singuli jus acquisiverunt, ut non possint inviti è civitate ejici, aut sub alterius imperium tradi, nisi in pœnam delicti; ita & ut inviti à corpore abscindi & alii in ditionem tradi non queant.

39. Quòd, si Rex necessitate adactus, cum hoste vadidiore, eâ lege pacem inierit; ut ipsi certam regionem vel civitatem cedat, quæ tamen isti cessioni se opponat; Rex quidem sua præsidia inde deducere poterit, & victori permittere, ut, si possit; eam possessionem apprehendat; civitas equidem illa vel regio, nullatenus

latenus impedita censebitur, quò minùs, si viribus suis confidat; possessionem capere volenti resistat, aut peculiarem deinceps civitatem constituat. Si autem necessitati cogatur cedere, facilè ex silentio consensus intervenisse videbitur. *In omnibus* enim *ferè gentibus* [inquit *Divus P. Augustinus lib.* 18. *De Civit. Dei. cap.* 2.] *quodammodo vox naturæ ista personuit, ut subjugari victoribus mallent, quibus contigit vinci, quàm bellicâ omnifariâ vastatione deleri.*

40. Dices. Pars corporis, quæ toti est nociva vel inutilis, potest abscindi; jam autem, dum Princeps aliter pacem cum hoste inire, reliquúmque corpus conservare non potest, quàm hosti cedendo civitatem aut regionem unam, pars ista, si non cederetur, & quadantenus abscinderetur, tali casu nedum inutilis, sed & nociva evaderet. Ergo invitis civibus aut incolis, hosti potest cedi. Resp. Has partes non ita esse sub corpore *morali*, sicut partes naturales sub corpore *physico* & *animato*, quippe, quæ sine vita totius vivere nequeunt, & ideo in usum totius rectè abscinduntur. Itáque corpus, de quo hîc agimus, alterius est generis, voluntate scilicet coëuntium, contractum, ac propterea jus ejus in partes, ex primæva metiendum est voluntate, quæ minimè credi debet talis fuisse, ut jus esset corpori partes abscindendi, & alteri in ditionem dandi. Ex quo

41. Ulteriùs colligitur; cur hac in re, majus sit jus partis, ad se tuendum; quàm corporis in partem: siquidem corpus demum jus consequitur in partem, per consensum ejus in consociationem: partis autem jus, ad se tuendum, est antiquius, ei ante initam consociationem, à Deo & natura, ad suî conservationem, concessum, quod ipsi invitæ auferri non potest. Si

42. Dicas: Imperium, quod est in toto corde seu civitate, importat facultatem alienandi partem. *Ergo*. Resp. Imperium esse in toto corpore velut in subjecto *adæquato* & *existentiæ*; ast non *divisibiliter* in plures partes, verùm *indivisibiliter*, ac proinde etiam in quavis parte, quàm diu manet in eadem civitate; planè, sicut anima subjectatur indivisibiliter in corporibus perfectis. Igitur [in statu *Democratico* scilicet] majestas & imperium, sicut reperitur in toto populo libero; ita & subjectatur in singulis partibus, ut proinde corpus seu civitas, vi imperii, nequeat habere jus alienandi partem animatam civium.

43. Neque *contra* facit; quòd necessitas & utilitas publica interdum exigere possit, ut pars alienetur. Nam, licet in extrema necessitate & innoxia utilitate, jus habeamus etiam in res, alterius dominio subjectas; hæc tamen necessitas & utilitas, quæ rem ad jus naturæ reducit, comprehendit tantùm usum rei alterius, quæ sepositâ rerum divisione, & stante bonorum communione, à quolibet apprehendi & consumi potuisset, non autem jus alienandi, quod facto humano, scilicet post dominia distincta introductum est, ac proinde ab humana voluntate mensuram accipit.

44. Aliud est, si de parte regni aut civitatis *inanimata*, puta: parte territorii non habitatâ aut desertâ loquamur. Nihil enim obstare potest, quò minùs hujusmodi pars à populo libero, aut etiam à Rege, accedente populi consensu, alienari possit. Nam territorium & totum & partes ejus, sunt communia populi liberi, pro *indiviso*, ac proinde sub arbitrio populi. Sed id de parte populi dici non potest, hæc enim animâ, ùt ita loquar *totius* informata, liberam habet facultatem & jus contradicendi tam reliquo populo, quàm Regi regnum in patrimonio non te-

tenenti. Consonat *Grotius loc. cit. cap.* 6. §. 7. & ex ipso *Vitriarius*, *ibid. quæst.* 12.

45. Huc spectat QUÆSTIO: num Rex sine populi alioquin liberi consensu, possit regnum suum alteri offerre *in feudum*, & ab eo recognoscere sub onere *commissi* ex *Felonia*, aut ita; ut deficiente familia suâ, jus imperandi ad illum devolvatur, cui regnum obtulit in feudum? RESPONDETUR autem, quòd in regno *non patrimoniali*, Rex id facere non possit; quia talis oblatio in feudum, est species alienationis. Quare compertum est à pluribus populis, teste *Cromero* apud *Grotium*, *loc. cit.* §. 9. irritas habitas fuisse nedum alienationes, sed & infeudationes regnorum, quas populis inconsultis, Reges fecerunt. Populum autem consensisse intelligimus, sive totus *tributim* consenserit, quod olim apud *Germanos* & *Gallos* fieri solebat; sive per *legatos partium integrantium*; puta: Ordinum, Civitatum &c. sufficiente mandato instructos. Quod enim quis per alium facit, per seipsum fecisse censetur.

46. Ex eodem fonte fluit; quòd pars populi aut imperii in populum, alteri nequeat in pignus dari, sine consensu populi, & ejus præsertim partis, quæ oppignoranda sit, ídque non tantùm ea de causa, quòd ex pignoris datione, sequi soleat alienatio, & naturalis possessio tantisper sit penes creditorem; sed, quia populus Regem ultrò constituens, ab ipso voluit gubernari, non verò à quolibet alio, proinde præsumitur voluisse in sua integritate conservari, cujus rei gratiâ in societatem civilem coivit. Si

47. PETAS: An Rex sine consensu populi, possit aliis jure hæreditario concedere *Ducatus*, *Marchionatus*, *Landgraviatus*, *Comitatus &c.* aut alias jurisdictiones summo imperio minores? RESP. Manendo intra terminos juris naturalis, id Regem inconsulto populo alioquin *libero*, & in regno *non patrimoniali*, non posse; quia, sicut in regno *legitimo*, vel *electivo*, imperium ipsius morte finitur; ita concessiones ab ipso factæ, ulteriùs prorogari non possunt, neque successor, utpote, qui jus suum imperandi à populo, non ab antecessore accepisse intelligitur, ejusmodi concessiones, *ratas* habere tenetur. Equidem, sicut populi consensus *expressus*, ita & *tacitus*, consuetudine introductus, talem facultatem Regibus tribuisse potest. Sic in Imperio nostro *Romano-Germanico*, olim Imperatores aliis nedum oppida, sed & totas regiones jure perpetuo tenendas concesſêre, prout fusè videre licet in *Vitriario illustrato. instit juris publici. lib.* 1. *tit.* 14. & 16. Si rursum

48. SCISCITERIS: Num Rex patrimonium populi, seu bona *domanialia*, *Germ. Cron-güter*, *Cammer-güter*, *Gall. Domaines*, quæ Regi sunt concessa, ad sustinenda Reipublicæ aut regiæ dignitatis onera, sine consensu populi, in totum vel in partem alienare possit? RESP. *Negativè* cum *Grotio loc. cit.* §. 11. *Renato Choppino. De Doman. lib.* 3. *cap.* 18. & *Molinæo. De usuris. quæst.* 58. *Ratio* est, quia in hujusmodi bonis, Rex majus jus non habet, quàm usufructuarius, qui rem in usumfructum habitam, alteri cedendo, nihil agit. Atque hoc verum est, licet res modicum valeat; quia, quod meum non est, ejus nec exiguam partem alienare mihi jus est, quanquàm in rebus modicis potiùs, quàm in magnis, ex scientia & silentio, faciliùs populi consensus præsumatur. Deficiente autem consensu expresso vel præsumpto, alienatio est ipso jure *nulla*, ob defectum facultatis. Hujusmodi enim patrimonium, imperii causâ est constitutum, & quamvis Rex sibi fortè ad vitam suam satis prospectum judicet;

dicet; tamen alius post fata ejus præficiendus, qui & pro dignitate sustentari debet, magis egere posset. Aliud est de fructibus, quos Rex ex bonis Domanialibus percepit; hi enim sunt in ejus patrimonio & dominio, ut de iis pro lubitu, tum ultimâ voluntate, tum inter vivos, disponere queat.

49. Acquisitio *derivativa*, quæ fit *per legem*; aut fit *lege naturæ*, aut *gentium*, aut *civili*. De ea, quæ fit lege *civili*, cùm varia & arbitraria sit; non est nostrum hîc agere, quanquàm obiter hîc notare possimus, quasdam leges civiles esse planè injustas, ùt: quæ bona naufragorum, Fisco addicunt. *Auth. Naufragia. Cod. De furtis.* Nulla enim causâ præcedente probabili, dominium rerum alicui auferre; mera injuria est.

50. *Lege naturæ*, quæ ex ipsa dominii natura ac vi sequitur, primò ex justitia *commutativa*, loco rei meæ aut mihi debitæ [cùm eam ipsam consequi non possum] aliud tantundem valens, tollere valeo ab eo, qui rem meam detinet, aut debet. Nam justitia *commutativa* (quam *Grotius expletricem* vocat) quoties ad idem, seu ipsum, quod debetur, non potest pertingere; fertur ad tantundem, ac compensationem postulat, quæ commoda interpretatione, pro ipsa re habetur, ejúsque vicem præstat.

51. An ergo propriâ authoritate, invito debitori, quod meum est, aut mihi debitum, auferre possum? Resp. Ubi judicia vigent, jure est experiundum, quia alias frustra esset instituta judiciorum authoritas, & alioquin tumultus in civitate facilè excitari posset, ac ordo turbari. Ubi verò judicia cessant, vel *momentaneè*; puta: si alioquin nunquam tuum recuperare possis, aufugiente fortè debitore; aut *continuè*; ùt in locis, ubi nec judex nec judicium existit; unusquisque propriâ authoritate, invito debitori auferre potest, quod suum est.

52. Sed quid, si jus quidem certum sit, ast simul etiam moraliter certum sit, per judicem, juris explementum obtineri non posse; puta: quia probatio deficiat; ánne tali casu, quis sibi jus dicere valebit? *Grotius lib. 2. De J. B. & P. cap. 7. §. 2. n. 2. in fin.* putat, in tali circumstantia, cessare legem de judiciis, & ad jus naturæ rediri. Theologi quoque, ùt alibi retulimus, tali casu, occultam admittunt compensationem. Et hæc verior est sententia, dummodò quis sub prætextu juris, alteri vim non inferat, ne alioquin civitates turbis repleantur. Quò facit; quòd violenta ablatio non esset habitura diuturnum effectum. Si enim is, cui vis facta est, adeat judicem & in sua probatione non deficiat; res erit restituenda, imò pluribus in locis, jus crediti amittit, qui id factitaverit.

53. Secundò & præcipuè, per *legem naturæ*, fit alienatio, *successione ab intestato*. Si quis enim voluntatis suæ nullam edidit testationem, cùm tamen credibilè non sit, eum illius mentis fuisse, ut voluerit post mortem, bona sua cuilibet occupanti cedere; ex conjectura voluntatis præsumitur, bona sua voluisse pervenire ad eum, ad quem illa pervenire æquum & honestum est. Hujus præsumptæ voluntatis tanta est vis, ut si quis facto testamento, inquè & irrationabiliter liberos exhæredaverit; jus naturæ etiam, contra hujusmodi testatoris voluntatem, det successionem. *princ. instit. De inoffic. testam.* Unde, licet tali casu, deferatur successio contra voluntatem *inordinatam*; non tamen contra præsumptam voluntatem, si *ordinata* fuisset.

54. Itaque etiam citra auxilium legis civilis, prima bonorum successio, liberis *ab intestato* defertur: quia parentes creduntur

duntur illis veluti corporis sui partibus, non tantùm de necessariis, sed & de his, quæ ad vitam suaviùs honestiúsque transigendam pertinent, quàm uberrimè voluisse prospicere, ab eo maximè tempore, quo ipsi rebus suis ampliùs frui non possent. *Ratio naturalis* (inquit Paulus JCtus in *l. Cùm ratio. 7. ff. De bonis damnator.*) *quasi lex quædam tacita, liberis parentum hæreditatem addicit, velut ad debitam successionem eos vocando.* Idipsum insinuat *Papinianus* in *l. 7. §. 1. ff Si tabul. testam.* ibi: *Non sic parentibus liberorum, ùt liberis parentum debetur hæreditas. Parentes ad bona liberorum, ratio miserationis admittit: liberos, naturæ simul & parentum commune votum.* Parentes enim non solùm optant liberos post se superstites relinquere, sed & iis creduntur optimè prospectum voluisse.

55. Dicta procedunt, si in diversum non adsint indicia voluntatis justæ & rationabilis; si enim manifesta suppetant argumenta oppositæ voluntatis; benigna ista cessabit conjectura, veluti: si filius ob insignem in parentes impietatem aut ingratitudinem, è familia expulsus & abdicatus, aut exhæredatus fuerit. Quo tamen casu, ei, qui peccatis suis mortem meritus non est, alimenta præstanda sunt.

56. *Ab intestato*, nisi parentes aliter disposuerint per pacta dotalia, aut alio modo; omnes liberi *æqualiter* succedunt in bona. *Dico: nisi &c.* Non enim est necessè, ut bona æqualiter inter liberos dividantur, sed uni atque alteri, præ cæteris, *præcipui* aliquid pater assignare potest, vel ob singularia merita, aut præclaram spem, vel etiam ob peculiarem affectum in primis erga familiam ejúsque splendorem & conservationem, quæ sæpiùs labitur ob nimiam & æqualem inter liberos bonorum partitionem.

57. Quinimò, ex pactione evenire potest, ut quidam liberorum excludantur à præcipua hæreditate; ita, ut non fiant hæredes, sed certa portione ipsis legatâ vel alimentis, contenti esse debeant. Conjugium tali pacto initum etiam cum fœmina libera, *concubinatum* Hebræi vocant, & hujusmodi fuit conjugium *Abrahami* cum *Cethura*, cujus liberi, ùt habetur *Genes. 25. dona*, id est: *legata quædam* acceperunt, ad hæreditatem autem patrimonii non pervenerunt. Tale matrimonium, apud nos Germanos, vocatur *ad Morgengabicam*, seu, ùt alii ajunt, *ad Morgenaticam*, quod describitur: legitima conjunctio, in primis viri illustris cum fœmina inferioris conditionis, eâ lege seu conditione, inita, ut liberi ex isto Matrimonio nasci turi, certâ portione assignatâ debeant esse contenti, à reliqua verò hæreditate paternâ, dignitatísque ejus ac gentilitiorum insignium participatione, sint exclusi. Tale Matrimonium moribus hodiernis reputatur licitum in utroque foro; quia continet individuam vitæ consuetudinem, sobolis procreandæ gratiâ, licet, ùt vulgò dicitur, *sinistrâ manu* talis soleat duci uxor. Confer *Mylerum in Gamalogia Principum. cap. 6.* & *Bitsch. ad lib. 2. feud. cap. 29.* Rationes, ob quas tale conjugium contrahi solet, sunt: 1. Ut conserventur familiæ in primis illustres, quæ ex bonorum divisione ac imminutione, splendorem suum facilè amittunt. 2. Favor liberorum prioris fortè thori. 3. Ne hujusmodi personæ cogantur vivere in perpetuo peccato concubinatûs. Non diffitemur tamen, hujusmodi pactum *antenuptiale*, constante Matrimonio à patre illustri & matre, mutari posse. Quia nihil tam naturale est, quàm ut unumquodque eo modo dissolvatur, quo fuit colligatum, dummodò alteri tertio v. g agnato, in cujus favorem fortè tale pactum factum erat, non sit jus quæ-

quæsitum; hoc enim ipsi invito, nequidem à Principe, nisi in pœnam atrocis delicti, auferri potest. Vide *Rhet. Inst. jur. publ. lib.* 1. *tit.* 21. *pag.* 304. Junge *Grot. loc. cit. cap.* 14. §. 7. Porro Matrimonio *ad Morgengabicam*, similes ferè sunt secundæ in hisce regionibus nuptiæ, siquidem bonorum immobilium proprietas acquisita manet liberis primi thori. Qua de re vide *Petrum Stockman, in libro. De jure devolutionis &c.*

58. Deficientibus liberis, gradu retrogrado, successio defertur parentibus, licet non pari, ùt dictum, ratione. Parentes enim ad bona liberorum, miserationis causa admittit, liberos verò naturæ simul & commune parentum votum, ad hæreditatem vocat. Si à statutario quorundam locorum jure hîc, ùt decet, præscindere velimus; omnino cum *Grotio* & aliis etiam juris civilis interpretibus, distinctio facienda foret inter bona, à liberis sine prole mortuis, relicta. Considerandum (inquam) foret: an bona ipsorum fuerint à patre, lineâve paterna, an à matre, lineâve materna, profecta? sicut jure *Austriaco* observatur. Æquum enim videtur, ut bona eò redeant, unde venerunt, adeóque paterna paternis, materna maternis retrocedant. Quod tamen non ita accipiendum, quasi *naturaliter* de bonis paternis avitísque testari non liceat, aliquid pro arbitrio relinquendo aliis, quàm unde venerint; sed solùm indigitare volumus, quæ in dubio credenda sit voluntas illius, qui testamentum nullum fecit. Sed hac de re limatiùs infra *n.* 63.

59. Profectò, cùm filius post mortem suam nec bonis suis frui, neque dominium illorum retinere possit; omnino censetur noluisse perdere beneficii rependendi materiam vel occasionem; maxime, cùm ordo naturalis circa beneficia postulet, ut potiùs gratia referatur ei, à quo quis beneficium accepit, quàm, ut alteri cuicunque amico conferatur beneficium. Hoc post *Ciceronem* agnoscens *Divus Ambrosius. De offic. lib.* 1. *cap.* 31. inquit: ***Pulchrum est propensiorem haberi ejus rationem, qui tibi aut beneficium aliquod aut munus contulit.... Quid enim tam contra officium, quàm non reddere quod acceperis?*** Jam verò liberi, à parentibus, præter nativitatis, alia innumera educationis beneficia consecuti sunt. Nihil ergo æquiùs est, quàm ut post fata sua, parentibus bona sua reliquisse censeantur.

60. Parentibus mortuis, hæreditas devolvitur ad eos, qui proximè nobiscum ex iisdem parentibus descendunt, puta: fratres & sorores *Germanos*, id est, eodem patre & eadem matre, natos, aut iis non superstitibus, ad liberos eorum, *jure repræsentationis*. Qua de re vide *Zoësium ad titulum Instit. De successionib. ab intestato. Ad Novellam* 118. *n.* 6. Nam & hac ratione, gratiam referimus parentibus nostris in eorum liberis, consanguineis nostris, quibus, si viverent genitores, maximè vellent benefieri.

61. Quòd, si tantùm supersint fratres *consanguinei* duntaxat, id est; eodem patre, sed alia matre procreati, vel *uterini*, eadem scilicet matre, sed diverso patre nati, *Grotius loc. cit. cap.* 7. §. 9. *n.* 1. cum aliis etiam juris Civilis interpretibus, valde prudenter putat, respiciendum esse, ex quo veluti fonte, bona ista ad defunctum fuerint devoluta; ita, ut *paterna* paternis, id est: *consanguineis*; *materna* maternis, id est: *uterinis* cedant, bona autem noviter acquisita æqualiter dividantur.

62. Ut hac in parte paulò clariùs loquamur, sciendum est: quòd de jure civili, post descendentes & ascendentes, tertio ordine admittantur ad successionem ab intestato, primò fratres & sorores *Germani*

mani, eorúmque liberi, in quibus idem sanguis & eadem radix, qui proinde unilaterales, & reliquos quoscunque excludunt. per *Authent. Itaque. Cod. commun. De successionib.* Sciendum (inquam) quòd non existentibus *Germanis* eorúmve liberis, demum succedant ***consanguinei*** & ***uterini*** & cum his quibusdam vivis, aliorum prædefunctorum liberi ***in stirpes***. Dico: ***quibusdam viris***. Si enim soli sint, succedunt ***in capita***, sicut fratrum Germanorum liberi. *cit. Novell.* 118. *cap.* 3. & *Authent. Post fratres. Cod. De legitim. hæred.* Idque sine discrimine bonorum, paterna scilicet sint, an materna. *Ratio*: quia & hi tunc *jure* veniunt ***proprio***, ***non jure repræsentationis***. Notandum enim & bene observandum est, quòd fratrum filii tunc solùm ***in stirpes*** succedant, quando vocantur cum propriis *thiis*, id est: patruis & avunculis. *cit. Novell.* 118. *cap.* 3. ut, si *soli* sint, non succedant beneficio repræsentationis, sed jure proprio, & consequenter *in capita*.

63. Sub incudem voco quæstionem prætactam, utrum nempe in concursu fratrum uterinorum & consanguineorum, ita instituenda sit successio & bonorum divisio, ut materna ***uterinis***, paterna ***consanguineis*** cedant? *Zoësius loc. cit.* dicit usum fori obtinere, ut in bonis paternis, ***consanguinei***, eorúmque liberi; in maternis ***uterini*** & eorum filii passim præferantur, id quod veteri jure obtinebat, nec expresse correctum videtur per *cit. Novellam* 118. *cap.* 3. quæ ut Author iste putat, consanguineos & uterinos æqualiter vocans, potest intelligi, *salvo jure veteri*, ut habeantur æqualiter vocati ad reliqua bona quæ supererunt post prædeducta paterna & materna. Hanc sententiam in plerísque locis praxi receptam, ipse *Zoësius* theoricè impugnari posse fatetur; eò quòd uterini & consanguinei per sæpe citatam ***Novellam*** æqualiter sint vocati ad totam NB. hæreditatem, neque oporteat nos distinguere, ubi lex non distinguit, maximè, quia alias non verificaretur æqualis successio, in casu, quo defunctus non reliquisset, nisi forsitan paterna tantùm, vel materna bona. Sequeretur [inquam] fratres ***uterinos*** quandoque penitus excludi à ***consanguineis***, puta: si mera adessent bona paterna, & consanguineos penitus removeri ab uterinis, si mera reperirentur bona materna. Licet igitur *D. Kees. ad tit. Instit. De hæreditatib. quæ ab intestato defer. & ibid. Schambogen, Harprecht & Pirhing lib. 3. jur. canon. tit. 17. sect.* 1. §. 4 *n.* 22. communi calculo munitam & praxi Austriacâ firmatam dicant sententiam, quæ ***consanguineis*** paterna, ***uterinis*** verò materna decernit. Equidem, cum *Fachinæo lib. 6. controvers. cap. 5. Hunnio Variar. resolut. lib. 3. tract. 1. quæst. 37. Frantz Instit. tit. cit. n.* 82. probabilius mihi videtur; utrúmque fratrem, ***consanguineum*** scilicet & ***uterinum*** admittendum fore, absque bonorùm discrimine, si scilicet de bonis ***allodialibus*** loquamur. Nam

64. In ***feudalibus*** non tam attenditur ***duplicitas vinculi***, quàm ***agnatio***, ac proinde consanguinei à Germanis non excluduntur, sed æqualiter succedunt. *Vultejus. De feudis. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 122. *Gail. lib.* 2. *Observat.* 151. *n.* 1.

65. Non est hîc oscitanter tractanda supratacta Quæstio, num fratrum præmortuorum filii, si ultimo avunculo vel patruo succedant, *soli* scilicet, an capiant hæreditatem ***in capita***, an ***in stirpes***? Super hac quæstione olim acriter disputatum fuit, sed *Carolus V.* in Comitiis, ***anno*** 1529. habitis, disputationi finem imposuit, decernendo: quòd fratrum filii, ***si soli sint***, succedere debeant in *capita*. Confer *Zoësium loc. cit.* §. ***De tertio ordine succedentium collateralium. n. 6. in fine.***

 Ubi

Ubi insignem notat differentiam inter lineam *rectam*, in qua *jus condominii* à filiis in nepotes transmissum, facit illos semper succedere *in stirpes*, & *collateralem*; in qua *jus condominii* non obtinet.

66. Altera sese hîc offert, aut repetenda est quæstio, num fratres *Germani* excludunt *consanguineos* & *uterinos* simpliciter & sine distinctione bonorum, ita; ut, sive à patre profecta sint, sive à matre, semper potior sit conditio *Germanorum*? Resp. à fratribus *germanis* semper excludi *unilaterales*, sine ulla distinctione bonorum *allodialium* [De feudalibus enim res, ùt mox dictum, aliter se habet] *Ratio*: quia ubi ejusmodi bona à patre vel matre profecta, semel in patrimonium defuncti fratris pervenerunt; absolutè *paterna* vel *materna* esse desierunt, & in patrimonium confratrum conversa sunt, adeóque non debet amplius haberi ratio originis bonorum, sed consideranda sunt in præsenti statu, quo reperiuntur, dum de succedendo agitur. Unde *lex* 13. *Cod. De legitim. hered.* per quam in bonis *paternis*, cum germanis admittendi dicebantur consanguinei, & in *maternis*, uterini, per supra cit. *Novellam* 118. *cap.* 3. sublata est.

67. Quòd, si nec fratres *germani*, nec eorum exstent liberi, existant verò fratres *consanguinei* & *uterini* aut eorum liberi; hi per *Authent. Post fratres. Cod. De legitim. hered.* ad successionem vocantur, nec frater consanguineus excludet uterinum, nec écontra; sunt enim in pari gradu, & hodie omnis differentia agnationis & cognationis sublata est circa bona *allodialia*.

68. Cæterùm, non tantùm fratrum germanorum filii, verùm & consanguineorum & uterinorum liberi, si soli fuerint, excludunt defuncti patruum, avunculum, materteram aut amitam. *Ratio:* quia licet filius fratris & patruus respectu defuncti, cui succeditur, sint in secundo gradu, secundùm computationem canonicam, adeóque æqualiter distent; nihilominus, sicut frater defuncti, excludit patruum; ita etiam filius fratris præmortui, eum excludit, propter *jus repræsentationis*, quo fingitur esse conjunctus defuncto in primo gradu. *Auth. Post fratres. C. De legit. hered.*

69. Quò ad fratres *legitimatos*, pro Regula statuitur; quòd legitimati *per subsequens Matrimonium*, succedant eo modo, quo fratres ex justo thoro nati, cùm per omnia pro legitimis habeantur. *Novell.* 117. & *cap. Tanta. Qui filii sint legit.*

70. Legitimati per *Rescriptum Principis*, considerari possunt vel: cum respectu ad se invicem; vel cum respectu ad fratres ex legitimo thoro natos. Primo modo considerati, succedunt ab intestato. *Novell.* 74. *cap.* 2. Secus considerati secundo modo. *Schneidew.* & *Manzius* apud *D. Kees tit. Instit. De heredit. quæ ab intestato. n.* 57.

71. Circa fratres *legitimos tantùm*, id est: *merè adoptivos*, Regula est: quòd hi sibi invicem non succedant, cùm in potestatem adoptantis non transierint. Si tamen sint adoptati ab aliquo ascendentium, vel *arrogati*; Regula est; quòd hi non tantùm sibi invicem, sed & aliis fratribus consanguineis succedant, quamdiu durat adoptio. *Ratio*: quia adoptio tantum operatur, quantum unum vinculum. Dixi: *sed & aliis fratribus consanguineis.* Quia adoptio vel arrogatio non porrigitur ad uxorem adoptantis, vel *cognatos*. *Argum. l.* 23. *ff. De adoptionib.* Cæterùm, hi fratres arrogati, tanquam *unilaterales*, per fratres *germanos* defuncti excluduntur: & adoptati ab ascendente, & sibi invicem, & agnatis cognatísque adoptantis succedunt per *Novell.* 118. *cap.* 4.

Con-

Confer *Frantz ad cit. tit. Instit. n.* 85. *& seq.*

72. Circa fratres *naturales tantùm* Regula est; 1*ma*, quòd hi, si ex eadem matre nati; tam matri, quàm sibi invicem succedant, non etiam patri. *Ratio:* quia sibi invicem sunt cognati. Regula II. Fratres naturales ex patre conjuncti, nec sibi invicem nec patri succedunt. *Ratio:* quia jure civili, inter eos nec est cognatio nec agnatio, proinde nulla successio. Regula III. Fratres ex damnato coïtu conjuncti, nec sibi invicem, nec aliis à patre aut matre junctis succedunt, per *Novell.* 74. *cap. ult.* & *Novell.* 89. *in fin.* Non enim merentur nomen liberorum aut fratrum. Vid. *Frantz loc. cit. n.* 85.

73. Tandem pro remotioribus collateralibus Regula est; quòd deficientibus fratribus & sororibus, & ex uno latere junctis, eorúmque filiis; succedant reliqui cognati collaterales gradu propinquiores, exclusis remotioribus, & quidem non *in stirpes*, sed *in capita*, si videlicet plures existant ejusdem gradûs, nullo habito discrimine sexûs, agnationis vel cognationis, sive ex uno, sive ex utroque latere juncti sint. *Novell.* 118. *cap.* 3. & hæc successio probabiliùs extenditur in infinitum *Arg. l.* 2. §. 1. *ff. De suis & legit. hæred.* Ubi JCtus dicit: agnatorum successionem *in infinitum* se extendere, adeóque jus successionis non est ad 7*mum.* vel 10*mum* gradum restrictum, quod intellige: dummodò propinquitas possit doceri, ita cum aliis *Zoësius* ad *cit. tit. Instit. n.* 7. contra *Schneidewinum* & *Manzium* putantes: hoc jus successionis decem graduum limitibus concludendum esse, eò quòd in §. *fin. Instit. De successione cognat.* decimi gradûs fiat mentio. Ast *Resp.* Decimum gradum ibi non *restrictivè* sed *exemplicativè* poni. Exempla autem non restringunt regulam.

74. Pro coronide hujus materiæ, Observandum 1*mò.* Jus repræsentationis in linea collaterali non extendi ultra fratrum liberos. 2*dò.* Vinculi duplicitatem etiam in nullis aliis attendi, quàm in fratribus & eorum filiis. 3*tiò.* Communem in omnium ordinum successionibus, regulam esse; quòd successiones regulariter sint *reciprocæ*. Item: quòd infectâ radice, etiam infecti sint rami, & vice versâ. Id est: quoties succeditur patri vel matri, (qui sicut omnis cognationis, ita & omnis successionis radices sunt:) toties etiam succeditur vel non succeditur aliis ascendentibus vel collateralibus. *Zoës. loc. cit. sub finem.*

75. Fusiùs digrederemur, si de successione viri & uxoris, singula, quæ legibus Romanorum, & consuetudine locorum, obtinent, pervolvere deberemus. Igitur hac in re lectorem remittimus ad *Gailum lib.* 2. *Observ.* 117. *Berlich. part.* 2. *concl.* 32. *Carpzov. part.* 2. *Constitutione* 25. *Definit.* 8. *n.* 5. & *Definit.* 17. *n.* 8. *D. Kees ad tit. cit. à n.* 61. ubi ex *Süttinger*, *Walter* & *Finsterwald* tradit: quid hac in parte obtineat jure Austriaco. *Someting ad eund. tit. n.* 31. *Hopp in examine Instit. n.* 44. ac præ cæteris *Stryck in tract. De successionib. ab intest. dissert.* 4. *cap.* 1. §. 37. *& seq.* Si

76. Roges: Num post conjuges, admittantur quoque affines? *Resp. Negativè.* Quia affinium nulla successio. *l.* 7. *Cod. comm. De success.* qua ratione Vitricus non succedit privigno. *l.* 3. *Cod. eod. Hopp. loc. cit. n.* 47.

77. Post conjuges, non semper succedit *Fiscus*, sed certa interdum collegia in jure probata, & in specie Fisco prælata. Sic *Decurioni* succedit *Curia*, militi, *legio &c. toto tit. Cod. De hæredit. Decurion. Navicular. milit. & fabricens.* Pari modo *Clerico* succedit *Ecclesia. l.* 20. *Cod. de*

De Episc. & Cleric. & argumentô hujus, *Studioso* succedit *Academia. Stryck. dict. tract. Differt. 5. cap. 1. §. 39.*

78. Quòd, si nec in tali collegio fuerit defunctus; tunc ipsi ultimo loco succedit Fiscus. *l. 4. Cod. De bon. vacant.* vel qui jure Fisci gaudet, cujusmodi de jure *Saxonico* & *lubecensi* est Magistratus, qui *merum* habet *imperium. Mevius ad jus Lubec. part. 2. tit. 2. art. 14. n. 64. Hop. loc. cit. n. fin.* De jure Fisci in Austria, vide *Walter. lib. 3. tit. 80. per tot.* Cæterùm, ut bona dicantur vacantia, requiritur, ut prius inquiratur per *proclamata* publicè affixa, utrum non existat aliquis qui defuncti hæreditatem sibi deberi, probare possit? Sanè, si quis in peregrinatione moriatur, neque Fiscus, neque hospes, *jure hospitii*, bona defuncti retinere potest, sed per manus Episcopi, si fieri possit, vel hæredibus ab intestato debent tradi, vel: si hi reperibiles non sint; in pias causas erogari. *text. in Authent. Omnes peregrini. Cod. comm. De success.* Quo jure non utuntur *Galli.* Etenim in Gallia, jure *Albinagii* (*par le Droit d'Aulbaine*) receptum, ut Fiscus succedat peregrinis seu alienigenis. Quòd perpendant. & cordi ducant, qui absque probo & circumspecto Gubernatore, filios suos in omnem vitæ licentiam pronos, peregrinatum mittunt in *Galliam*, ubi eorum multi sepulchro tecti; non pauci verò, corpore & animo corrupti, in patrios lares reversi sunt. De jure *Albinagii* meminit *Perez ad Cod. Qui testam. fac. poss. n. 6.* sed præcipuè scripsit *D. Baquet. tractatu gallico: Du Droit d'Aulbaine. lib. 1. p. 2.* quem citat author *Vitriarii illustrati. lib. 3. tit. 20. §. 29. lit. b.* Sed hîc Notandum, quòd cives, nostræ Imperialis & Regiæ *Urbis Aquensis*, Regum Galliæ clementiâ, à rigore juris *Albinagii*, exempti perhibeantur, fortassis ideò; quòd *Carolus Magnus*, qui hîc sedem Imperii fixit & sanctè obiit; fuerit & *Franciæ Rex*, & primus imperii Romano-Germanici, à *Leone III.* coronatus Imperator.

79. Hæc, quæ de successione descendentium, ascendentium, collateralium, viri & uxoris *&c.* diximus; licet naturali conjecturæ maximè sint consentanea, non sunt tamen jure naturæ ita necessaria, quin ex diversis causis voluntatem hominum moventibus, variari possint, & variata reperiantur; pactis, legibus, moribus, qui repræsentationem, in vicem defunctorum, in nonnullis gradibus admittunt, in aliis non admittunt: alicubi distinguunt, unde bona venerint, paterna scilicet sint an materna? Alibi id súsque déque habent, & utrósque pari gradu & ratione admittunt. Alicubi primogeniti plus ferunt; alibi omnes filii æqualiter succedunt. Alicubi rursus *agnatorum* habetur ratio, id est: per virilem sexum conjuncti præferuntur; alibi *cognati* cum *agnatis*, pari passu procedunt. Alicubi porrò masculi excludunt fœmellas; alibi nec habetur ratio sexûs.

80. Quoties expressa voluntatis indicia circa successionem in bona post mortem, non adsunt; pro generali regula teneri & credi debet; unumquemque id de sua successione statuisse, quod lex aut mos populi habet, ídque non tantùm ex vi imperii, quod vult, ut omnes subditorum actus, sint legibus conformes; sed etiam ex conjectura, qua unusquisque præsumitur se suáque legibus conformare & subjicere voluisse. Atque hæc conjectura etiam valet in eos, in quorum manu est summum imperium. Siquidem & hi probabiliter creduntur in rebus suis æquissimum judicâsse, quod aut legibus sanxerunt ipsi, aut moribus probant, in iis nempe rebus, in quibus de nullo ipsorum dam-

damno agitur, & in quibus *materia & ratio legis ipsis est*, *communis cum subditis*, quod bene notandum. Nam successio Regum non per omnia mensuratur aut exigi potest ad regulas privatæ successionis; quia successio regnorum non æstimatur ex utilitate privatorum, sed ex utilitate publica, ùt bene notat *Bœclerus ad Grotium, loc. cit. cap.* 7. §. 11. *n.* 2. & hinc ea, quæ in jure civili, aut privatorum successionibus, naturalem habent æquitatis rationem; quantum fieri potest, huc trahenda & applicanda sunt.

81. In regnorum successione, distinguenda sunt regna pleno modo possessa & in patrimonio habita, ab his, quæ modum habendi accipiunt ex populi consensu, de quo discrimine affatim *supra à n.* 8. egimus. Prioris generis regna deferuntur ex liberrima voluntate regnantis, eáque vel expressa vel præsumpta. Talia sunt regna armis subacta, aut dedita sine conditione. Utrobique enim populus videtur consensisse per modum invitæ actionis, ad voluntariæ tamen æstimationem redigendæ; quia coacta voluntas etiam est voluntas, & victor, sicut omne imperium per victoriam est consecutus, ita & facultatem obtinuit transferendi regnum, *Grotius loc. cit.* §. 12. & *lib.* 3. *cap.* 8. §. 1. & 2. Unde non tantùm liberos legitimos mares & fæminas, verùm & naturales vel adoptivos, aut alios planè extraneos tali regno præficere, illúdque dividere potest.

82. Quòd si dictum sit: ne regnum dividatur, nec cui cedere debeat expressum sit? *Grotius loc. cit.* §. 13. putat natumaximum, sive mas sive fœmina fuerit, regnum habiturum. Ast hæc opinio, ab ejus Apologetis communiter rejicitur. Si enim filiæ cum filiis concurrant, habenda est ratio sexûs; ita, ut filius natuminor seu secundo-genitus, præferatur filiæ primogenitæ, sexûs siquidem prærogativa est *perpetua*, ætatis autem *temporaria*.

83. Licet autem secundò aut ulteriùs geniti non succedant in regnum; primogenitus tamen se erga ipsos clementem & pium exhibere, & pro ipsorum portionibus, si non rependat æstimationem; saltem congruam pensionem (vulgò *Appanagium*) assignare debet, ut secundùm statûs sui dignitatem, honestè vivere possint, prout pie admodùm constituit *Carolus IV. in A. B.* de filiis *Electorum* postgenitis. *tit.* 24. *De Appanagio* vide *Vitriarium illustratum. Instit. jur. publ. lib.* 3. *tit.* 20. § 64. *& seq.* Est autem *Appanagium* verbum deductum à gallico *Appanage*; vel, ùt alii volunt, à *pane*, unde & *panagium* aliquando dicitur. Quò ad rem significatam; *Appanagium* est certa portio redituum, consistens vel in pecunia numerata, vel in assignatione certorum prædiorum, quam primo-genitus fratribus suis solvere tenetur. Vide *Fritsch. vol.* 3. *Exercit. J. P.* 9. & *Joan Fridericum Rhetium. disp. De jure portionis alimentariæ.* & *inst. J. P. lib.* 2. *tit.* 40. §. 3. & 4. Adde *Hottomannum in Franco-Gallia. cap.* 8. & 9. Illi igitur, quibus datur talis pensio vel portio, vocantur *Appanagiati Germ. Abgefundene Herren*, *Abgetheilte Herren.* Olim solus primo-genitus dicebatur dominus: postgeniti autem vocabantur *Domicelli. Junckeren*, quasi: *Junge Herren* Vide *Wilhelmum Leiser. disp. De Appanagio. thes.* 31. Hodie autem *Appanagiati* dignitatem & titulum honoris plerumque retinent.

84. Si bona *domanialia*, vulgò *Cammer-güter*, *Taffel-güter* non sufficiant ad hanc portionem constituendam; Princeps primogenitus eam constituere debet ex bonis patrimonialibus, ne fratres egentes & abjectos videat. *Ratio* etiam suffragatur.

tur. Cùm enim ipse solus retineat commodum, si bona *domanialia* in infinitum superent hanc portionem; meritò etiam ferre debebit incommodum, si fortè non sufficiant, & fortè aliquid de communi alioquin patrimonio (si primogenituræ jus non vigeret) conferre cogatur. Quamvis tali casu ad alia media, v. g. ad subditos collectandos, vel exigendum ab ipsis spontaneum subsidium, recurri possit, sicut ex relationibus publicis, in Angliæ & aliis regnis sæpe usurpatum scimus. Confer *Springsfeld, in tract. De Appanagio. cap* 7.

85. Dubitatum autem sæpius & controversum hinc inde fuit, num quantitas Appanagii, sit determinanda pro fructuum perceptione, & secundùm facultates relicti patrimonii. *nach vermögen Vatterlicher güter*; an secundùm quantitatem portionis *legitimæ*, à jure civili, pro numero liberorum, determinatæ? Prius, communiori calculo Doctorum, receptum est; tum quia alioquin principatus dismembrari & ex inde splendorem suum amittere posset, si plures forent liberi: tum quia *legitima* debetur jure successionis, hæc autem portio, non tam jure successionis, quàm jure provisionis, debita est, quæ provisio, cùm sit incerta; ejus quoque quantitas incerta erit, nisi definita sit vel pactis familiæ, vel testamento patris. Quò facit: quòd dominium *legitimæ* semper transeat in accipientem; in Appanagio autem, dominium non semper transeat in Appanagiatum. Regulariter enim Appanagiati, in prædiis assignatis, non nisi usumfructum habent pro se & hæredibus, non verò jurisdictionem, nisi speciatim concessa sit. Unde utroque casu, superioritatem territorialem penes primogenitum esse, docet *Myler. De Statu Imperii. cap.* 22. *n.* 3. *& seq.*

86. Ad decidendam autem quæstionem: num Appanagiati, nulla superioritate territoriali gaudentes, nihilominus sint *status Imperii*, plurimùm conferent distinctiones sequentes: videlicet 1. An Principatus sit divisus, an non? 2. An divisio sit facta cum approbatione Cæsaris, nec ne? 3. An Cæsar singulos specialiter de suis partibus investiverit, vel non? 4. An jus primogenituræ pactis familiæ inductum sit, vel secus? Profectò, si Cæsar fratres Appanagiatos nominatim de suis partibus investierit; veriùs est, eos esse *status Imperii*: ècontra, si hoc non fuerit factum, aut Principatus non sit divisus, sed vigeat jus *primogenituræ*, rectiùs creditur, solum primogenitum gaudere voto & sessione in *Imperii nostri Romano-Germanici* [de quo hîc est sermo] *Comitiis*, quoniam primogenitus repræsentat totam familiam, ùt latiùs probat *Limnæus. J. P. Addit. ad lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 75. §. 76. cui ferè consonat *Lundorp in actis publ. tom.* 4. *lib.* 4. *pag.* 85. Quanquam utroque casu, Appanagiati gerant integrum titulum ad indicandum jus successionis, si primogeniti linea defecerit. Confer *Reinking. De Regim. sæcul. & Ecclesiast. lib.* 1. *classe* 4. *cap.* 16. *n.* 20. Ad supra motam quæstionem

87. Alii distinguendum esse arbitrantur, an agnato succedatur, an patri. Priore casu, ajunt portionem Appanagiatorum non esse *legitimam* juris civilis, bene verò casu posteriore, quod verum est quatenus legitima tenet vicem alimentorum. Unde, si filius secundògenitus aliunde habeat, unde vivat; ipsi juxta veriorem opinionem, non debebitur hæc portio, quia cessante causâ, cessat effectus. *Tiraquellus. De primogenit. quæst.* 4. *n.* 35. *& quæst.* 58. *n.* 11. Non obstante, quòd tali modo, alicui fortuna sua & virtus posset videri damnosa. Nam fortuna & virtus faciunt, aliquem non ampliùs constitui in ne-

necessitate, cui succurrendum sit. Excipe: nisi fortè alicui certa portio non præcisè pro alimentis fuerit assignata, quæ utique hoc casu etiam debita foret. Si

88. PETAS: An etiam bastardis sit constituendnm Appanagium? *Resp. Sub distinctione:* Aut enim à patre sunt agniti vel non? Si *illud*; illis omninò debetur: si *hoc*; non debetur quidem Appanagium; secundùm benigniorem tamen sententiam, non sunt omnino derelinquendi. Vid. *Don. Garzia Mastrill. Decis.* 85. *per tot.*

89. Quid? si primogenitus sit natus ex matre plebeja, secundogenitus verò ex illustri? quis Appanagiatus censebitur? & quis primogeniti prærogativâ potietur? RESP. Natum ex matre ignobili, non esse prærogativâ primogenituræ privandum, ac proinde secundonatum, ultra Appanagium, nil prætendere posse. *Ratio:* quia pro vero nobili est habendus, qui natus est ex patre nobili, matre licet ignobili. *Arg. l.* 8. *ff. De Senat.* cùm, quò ad honores, liberi sequantur conditionem patris, imò & ipsa mulier, eô ipsô, quo nubit viro nobili, nanciscatur nobilitatem, & corruscare dicatur charactere mariti. *Arg. l. Mulieres. Cod. De dignit.* Vid. *Reinking. De Regimin. secul. & Ecclesf. lib.* 1. *class.* 5. *cap.* 11. *n.* 23. *Speidel. voc. Adel. in fin.* Aliud tamen dicendum de natis ex matre nobili & patre ignobili. *Speidel ibid.* Quia uxor nobilis, amittit nobilitatem, si nubat ignobili. *l.* 8. *De Senatorib. l.* 1. *&* 13. §. *Si autem. Cod. De dignit.* Vid. *Limnæ. Notit. Regni Francisci. lib.* 4. *cap.* 2. *lit. J. & K.* Non est autem prætereundum, præsertim pro nostra *Germania*, quòd, tametsi mulier ignobilis, per Matrimonium cum nobili contractum, reddatur nobilis; attamen ex ea nati, paulò inferioris conditionis, vel saltem æstimationis esse videantur. Quò facit: quòd ejusmodi filii, olim non fuerint admissi ad *Torneamenta. Limnæus J. P. lib.* 6. *cap.* 5. *n.* 62. Nec hodiedum ejusmodi nobiles recipiantur ad capitula quarundam Ecclesiarum nobilium in *Germania*; prout constat de collegiis Ecclesiarum: *Bambergensis*, *Moguntinæ*, *Herbipolensis*, *Aichstadiensis &c.* Vid. *Speidel voc. Adel.* Porrò; licet etiam mulier nobilis, ignobili nubens, amittat nobilitatem; vidua tamen effecta, si denuò nubat viro nobili; recuperat nobilitatem amissam. *Arg. l.* 13. *Cod. De dignit.*

90. Loquendo rursum de regnis, quæ ex libero populi consensu, facta sunt *hereditaria*; certum est, quòd illa ex præsumpta populi voluntate deferantur. Præsumitur autem populus id voluisse, quod maximè expedit. Nisi verò lex aut consuetudo, aliud induxerit, expedire videtur 1*mò*. Ut regnum sit individuum, quia id ad tuendum regnum, & civium concordiam, maximè valet. Adde: quòd & primus Rex electus, censeatur voluisse in posteris servari eandem regni formam: & cùm is regnum, non regna acceperit; etiam non præsumitur voluisse illud in plura discerpere, aut ex regno efficere *Aristocratiam*, ut nimirum plures fratres aut consortes, *pro indiviso*, pari inter se potestate, regnum administrarent. Talis enim mutatio & administratio nunquam periculis caruit, juxta illud Poëtæ:

Non capit una duos potestas regia fratres: Fraterno rubuit sanguine, Roma recens.

2*dò*. Expedit, ut successio maneat intra eos, qui descendunt à primo Rege: ea enim familia ob nobilitatem & generositatem electa censetur, eáque porrò extinctâ regnum redit ad populum. 3*tiò*. Expedit, ne succedant, nisi qui secundùm patriæ leges, ex justis nuptiis nati sunt, adeóque non *naturales tantùm*, qui communiter contemptui habentur & carent

rent veneratione atque authoritate; eò quòd Pater talem matrem justo conjugio & honore Matrimonii dignatus non fuerit. Quò facit; quòd ex pellice nati, minùs certi habeantur asserti patris filii, propter deficientem fidem conjugalem; in regnis autem expediat populo, maximam quæ haberi possit, certitudinem sectari, ad vitandas controversias sæpe populo funestas. Hanc ob rem, prout Grotius *loc. cit. cap.* 7. §. 17. *ex Livio lib.* 39. *cap.* 53, refert, Macedones *Demetrio, minori* potiùs, quàm *Perseo majori*, regnum deberi existimaverunt, eò quòd *Demetrius* justâ matrefamilias natus non esset. Nec Dicas: Regum liberos omnes, censeri legitimos, eò quòd discrimen inter legitimos & naturales, fit ex legibus civilibus, quibus Reges soluti sunt. Tametsi enim dispar in multis sit conditio Regum & subditorum, quantum ad leges civiles; equidem nepotes, liberi, parentes, familia, genus &c. communiter apud omnes populos, qui ratione sua rectè utuntur, respectu justi matrimonii dicuntur. Itaque, licet merè materialiter, & ùt ita dicam, *animaliter* loquendo, ejusdem sanguinis & conditionis, sint spurius & legitimus; nihilominus *formaliter, humaniter* & *rationaliter* loquendo, discrimen, jure etiam naturæ, agnoscitur inter legitimos & naturales; perinde ac nemo ignorat discrimen inter matrimonium & concubinatum. Unde ii demum reputantur legitimi apud ommes populos, qui ex justis nuptiis, seu individua vitæ consuetudine, nati sunt. Quòd si quis aliter sentiret, & rem explicare contenderet; stylum, omni ævo & ubique terrarum receptum, abnegaret, inquit *Horn. lib.* 2. *cap.* 9. §. 15. Si Roges: Num filii *adoptivi* succedant in Regnum? Resp. *Negativè.* Tum quia nobilitas generis verè regii, magis reverendos efficit, majórque de natis ex sanguine regio spes concipitur: planè, sicut *Horatius* de brutis canit. *Odyss. lib.* 4. ẏ. 4. *Est in juvencis, est in equis patrum virtus.*

Tum quia populus in naturalem Regis stirpem, regnum contulit, qua deficiente, ad se voluit redire pristinam facultatem de successore disponendi, quæ facultas, suppositâ vel admissâ potestate transferendi regnum in adoptatum, perpetuò eludi posset. Igitur, ùt bene observat *Bœclerus* ad *Grotium, loc. cit.* §. 16. & *Pufendorf. lib.* 7. *cap.* 7. §. 17. nec ascendentes primi Regis, populi electione constituti; neque fratres vel collaterales; & multò minus affines, citra novam populi electionem, admittuntur.

92. *Quartum expediens* est; ut inter eos, qui ob propinquitatem gradûs, in parentum suorum locum succedunt, præferantur mares fœminis, eò quòd mares tum ad bella, tum ad alias functiones civiles, magis idonei fœminis reperiantur. *Bœclerus loc. cit.*

93. *Quintum expediens* est: ut inter mares natumaximus, aut maribus deficientibus, è fœminis natumaxima (prout & in augustissima domo *Austriaca*, pragmaticâ inductum sanctione) in successione præferatur. *Ratio* est: quòd natumajor, sicut ætate, ita & judicio perfectior jam esse aut prius futurus esse credatur. Unde *Homerus* de regno Cretensi apud *Grotium loc. cit. lit. G. in not.*

Nostrum utrique solum patrium fuit & genus unum.
Jupiter at senior, rerúmque peritior idem.

Et *Cyrus* apud *Xenophontem*, hoc ultimum fertur protulisse elogium: *Imperium relinquo majori natu, ut quem par est, rerum esse peritiorem.* Cæterùm; quia hæc ætatis prærogativa, *temporaria* est (*tutela* enim vel *curatela* impuberum vel minorum, per ætatis annos cessat) sexûs autem

tem præstantia, perpetim durat; ideo Paganis æquè ac Christianis placuit, sexûs potiùs, quàm ætatis habendam rationem, & non nisi in defectu marium, fœminis regnum deferendum esse. Sic *Diodoro* narrante: *lib.* 4. *cap.* 33. *Teuthras, Mysiæ* regnum, filiæ *Argiopæ* reliquit non habens mares liberos. Sic *Trogus* apud *Justinum, lib.* 1. *cap.* 4. pronuntiavit: ad filiam pertinuisse *Medorum* imperium, eò quòd *Astyagi* virilis sexûs progenies defecerit: & de *Latino* Rege canit *Virgilius lib.* 7. *Æneidos.* ✝. 50. *& seq.*

Filius huic fato divûm, prolésque virilis
Nulla fuit: primaque oriens erepta juventa est:
Sola domum & tantas servabat filia sedes.

94. Sed, juxta superius dicta, identidem observandum, & pro cynosura tenendum est; quòd, licet liberi nonnullis gradibus, parentum præmortuorum, *jure repræsentationis*, vicem impleant; id equidem duntaxat sit intelligendum, salvâ sexûs primùm, deinde ætatis prærogativâ *inter capaces.* Nam qualitas & sexûs, & ætatis, quatenus hac in re à populo consideratur; ita personæ cohæret; ut avelli inde nequeat. Dixi: *inter capaces.* Si enim ob mentis aut corporis vitium, natumajor imperare non possit; non succedit in regnum vel principatum, sed succedent reliqui, salvâ semper sexûs primùm, deinde ætatis prærogativâ. Consonat *Aurea Bulla Caroli IV. tit.* 25. *&* ibi *Limnæus.*

95. Hîc in Quæstionem venire posset; an regnum, ubi ex primæva populi voluntate, est *successivum*, sit pars hæreditatis paternæ? Resp. Id meritò videri, eò quòd sit legitima in locum defuncti patris succèssio. Quò facit: quòd in ejusmodi regnis, primogenitus Regnantis, passim vocetur hæres regui, solii, sceptri. Notandum tamen; quòd regnum hujusmodi sit hæreditas ab aliis bonis separata, peculiaris; *præcipui* jure insignita, id est, quæ repudiatâ reliqua successione, præ cæteris bonis, capi & adiri possit. *Ratio* est; quia populus regnum creditur voluisse quàm optimo jure deferri, non habitâ ratione, utrum reliqua hæreditas adeatur, nec ne; cùm hæreditarium ordinem non ideo elegerit, ut hæres regni, esset quoque aliorum paternorum bonorum hæres; sed, ut certi quid esset, ne periclitaretur regnum; vacuâ vel dubiâ possessione; útque successor esset venerabilior, communicatâ cum eo, per consanguinitatem decessoris, majestate; & quia credibile est: in spem regni educatos, necessariis ad id artibus, diligentiùs fore instructos.

96. Cæterum; licet successor Regni non teneatur simul aliorum paternorum bonorum hæreditatem suscipere, & eorum onera ferre; puta: si multo ære alieno gravata reperiantur: monent tamen cum *Gronovio*, contra *Grotium loc. cit.* §. 19. Politici cordatiores, periculosi & regiâ fide indigni exempli, rem esse; si successor in regno, præsertim filius, Decessoris *nomina* expungere, seu debita etiam privativè & proprio nomine contracta, solvere non cogeretur: præsertim, quia ex historiis notum, quosdam Principes hujusmodi subterfugio usos fuisse, ad defraudandos creditores publicos, quòd reverà nil aliud est, quàm fidem tollere, præcipuum humani generis vinculum, & ipsos Principes, quo tempore maximè pecuniâ indigent, omni fide destitutos reddere, cum ipsorum & reipublicæ periculo. Quis enim mutuum dare vellet, qui sciret, se suum recipere non posse, si moriatur Princeps ante solutionem? Unde æquiùs, aut saltem humaniùs est: Principem vel Regem obligari, ut ferat onus, quod decessor, etiam quà persona privata, contraxit, licet ad id, summo jure

non teneretur, id quod *Grotius* infra: *cap.* 14. §. 11. *n.* 1. solùm indigitare voluit, dum dixit: *eos, qui in jus regni duntaxat succedunt, aut partim in alia bona, in jus verò regni* in solidum; *non obligari solvere debita à decessore, non* Regni *nomine, sed* privato suo, *contracta, si videlicet solius regni hæreditatem suscipere, reliquam vero repudiare, è re sua duxerint*, eò quòd jus in regni successionem, non hauriant à proximo decessore, sed à populo, qui eam familiam,& omnes ex ea orituros semel elegit, tanquam alium ab alio sceptrum excepturos, ita ut unicuique jus proprium, perpetuâ serie dedisse censeatur, perinde ac si omnes jam nati & præsentes fuissent: ac proinde successor decessori proximo jus suum in acceptis referre non debeat, sed primævæ populi electioni & placito.

97. Alioquin extra dubium est, quòd cœtus quilibet, non minùs, quàm personæ singulares, jus habeat se obligandi per se, aut majorem suî partem; & quòd hoc jus transferre possit in Principem, tum *expressè*, tum *per consequentiam necessariam*, conferendo ipsi imperium. Nam in moralibus, qui vult finem, vult etiam media eò necessaria.

98. Non tamen (inquit *Grotius loc. cit. cap* 14. §. 12. *n.* 1. in *infinitum* hoc abit, neque enim obligandi infinita potestas ad imperium rectè exercendum necessaria est; planè, sicut nec ad tutelam vel curatelam gerendam, incircumscripta facultas, Romano jure concessa legitur; sed, quatenus natura muneris vel officii postulat. Sic [ùt *Julianus* in *l. Qui fundum.* 7. §. *Si tutor.* 3. *ff. Pro empto.* & *l. Ab agnato.* 12. *ff. De curatoribus.* respondit] *Tutor, domini loco habetur; cùm rem administrat; non, cùm pupillum spoliat.*

99. Scio, juris Canonici ac Civilis Commentatores passim statuere; quòd hac in parte judicium ferendum sit juxta naturam negotiorum gestorum; puta: ut tunc demum ratus firmúsque habendus sit actus, si utiliter sit gestus; quasi ex eventu valor sit æstimandus. Do id, in causis maximè privatorum, ita obtinere; sed (ùt rursus hac in parte *Grotio* sapienter discurrenti, adstipuler) ad tales angustias, Reipublicæ imperantem redigere; ipsi Reipublicæ esset periculosum. Quare, nec hoc censisse credendus est populus, cùm imperium detulit; sed potiùs illud: quod à Romani juris conditoribus, in *l. Præses.* 12. *Cod. De transact.* in causa civitatis, responsum est: *valere scilicet transactionem super remissione debiti; quam Magistratus fecisset in re dubia* potueritne integrum debitum obtineri, nec ne? sive ob actionis vel prætensionis; sive, ob debitoris infirmitatem,& solvendi impotentiam) *non, si id, quod indubitatè debitum erat, remissum sit.* Ad hanc (inquam) juris civilis prudentissimam decisionem, servatâ proportione, quæstionis motæ resolutio referenda est. Itaque non præcisè exitus modicæ aut immodicæ læsionis aut gravaminis in successorem redundantis, in hac re considerandus est; sed probabilis ratio rei gerendæ aut gestæ spectanda est, quæ, si adsit; & populus ipse obligabitur, si, quo casu, *sui juris* esse cœperit.

100. Non est tamen prætereundum, non tam revocari, quàm irritum declarari posse contractum, qui nedum vergit in damnum aliquod, sed in perniciem Reipublicæ, eò quod hujusmodi contractus ab initio reputetur fuisse injustus & illicitus. Idem est dicendum de alienatione rerum ad Rempublicam pertinentium, & secundùm leges Regni, distrahi prohibitarum. Multò minùs contractibus eorum, qui sine jure, violenter imperium invaserunt, tenebitur populus aut verus Prin-

Princeps; quia violentus invasor, jus populum aut verum Principem obligandi non habuit. De *in rem verso* tamen tenebitur populus aut verus Princeps, puta: si invasor debita ejus solverit, ædificia restauraverit &c. eatenus enim populus vel verus Princeps locupletior factus fuisse censetur, & querulari non potest quòd eam ob causam, usurpatori obstrictus sit.

101. Superest Quæstiò: an: & quatenus Rex se imperio addicare possit? Resp. Sive de Regno *Electivo*, sive *successivo*, sermo sit; certum est, unumquemque *regulariter* posse abdicare Regnum jam possessum, imò juri succedendi in Regnum, *pro se* posse renuntiare. Equidem, cùm imperiorum primordia ad consensum populi & Regis; seu in mutuam conventionem, sint referenda; ideo, ùt bene notat *Limnæus*, *ad Capitul. Ferdinandi Imperatoris. art.* 1. *pag.* 451. & *Bæclerus ad Grotium*, *loc. cit.* §. 26. Is, qui regimini præest, non magis sine justa causa se subtrahere potest populo; quàm hic eum repellere, ejicere vel aversari. Quanquam igitur in Regno successivo, non sit prohibitum Regi, se imperio addicare; nihilominus injuriâ in Rempublicam, & reprehensione non carebit factum Regis, si solo otiosæ quietis amore, alioquin ætate & viribus valens, abdicatione suâ, Regnum transferre contenderet in filium præsertim *minorennem*, idque bellis imminentibus, & absque populi vel procerum consensu vel ratificatione.

102. Magis controversa est quæstio: num Pater Rex, in favorem *tertii*, addicando Regnum, etiam filio primogenito vel aliis liberis suis nocere possit? Resp. Licet secundùm dicta superiùs, in Regno patrimoniali, ubi arbitrium successionis in voluntate Principis regnantis positum est, Pater largiorem habeat potestatem disponendi de Regno; in Regno tamen ex populi voluntate *successivè hæreditario*, renuntiando, liberis obesse nequit, quod maximè verum est in Regno, ubi *linealis successio* viget. Simulatque enim in unam, lineam possessio Regni devoluta est; nedum natis, sed & nascituris, ex lege, jus quæsitum est, quod pater intervertere non potest, saltem sine novo, & ex causis emergentibus, speciali populi consensu. Vide *Grotium supra*, *de Jure B. & P. cap.* 4. §. 10. *n.* 2.

103. Ortâ, de successione aut successore Regni, controversiâ; quis poterit judicare, an Rex defacto imperans, an populus, an arbitri electi? *Grotius loc. cit. cap.* 7. §. 27. *n.* 1. & 2. Nec Regem, nec populum, controversiam illam dirimere posse, existimat *judicio*, ùt ait, *jurisdictionis*, quod scilicet vim habeat sententiæ *definitivæ*. Nam jurisdictio [inquit] non est, nisi apud superiorem, non nudâ habitâ ratione personæ, sed & causæ simul, id est: cui non tantùm subjecta sit persona litigans; sed ad cujus forum etiam pertineat causa in litem deducta. Est autem (prosequitur *Grotius*) non subjecta Regi nunc regnanti causa successionis; quod inde apparet; quia Rex nunc regnans, nullâ lege obligare potest successorem. Successio enim imperii, non est sub jure imperii, ac proinde mansit in statu naturali, in quo nulla erat jurisdictio. Attamen, si controversi juris sit successio, rectè & piè facient, qui jus vindicant, & contra alios, successionem sibi deberi contendunt; si de arbitris inter se conveniant. Populus verò omnem à se jurisdictionem in Regem & regiam familiam transtulit, nec eâ durante, ullas ejus habet reliquas. Equidem; si de primæva populi voluntate, quæstio incidat; non abs re erit, populum, qui nunc est, quique idem (*moraliter* scilicet loquendo) cum eo, qui olim fuit, censetur; suum super ea re sensum explorare, sive

in Conventu *Ordinum*, ùt factum in *Anglia* & *Scotia*, teste *Camdeno* in *Annis* 1571 *&* 1572. sive per *ministros delegatos*, ad determinandum hujusmodi negotium; ùt factum in *Arragonia*, teste *Mariana*, *lib.* 20. Qui populi sensus sequendus erit, nisi satis certò constet, olim aliam fuisse populi voluntatem, & ex ea jus quæsitum. Ita ferè *Grotius* & ex eo *Pufendorf. lib.* 7 §. 15. *Vitriarius Instit. jur. nat. & Gent. lib.* 2. *cap.* 7. §. 60. Sed his non immeritò refragatur *Gronovius* in *Notis* ad *Grotium loc. cit.* Argumentum *Gronovii*, sic deduci potest: Cujus officium est quàm optimè consulere populo, & pacem ei stabilire non solùm in præsens, sed etiam in futurum, quantum humanitus provideri potest; ejus est cognoscere de successore & successione, præsertim inter cognatos, pro nunc sibi subjectos. *Atqui* illud quàm maximè, ad officium Regis nunc Sceptrum tenentis, spectat. Ergo *&c.*.

Si Reponas cum *Grotio*: Regem nunc regnantem, non esse superiorem respectu personæ vel causæ istius. Resp. *Negando Assumptum.* Et sic *instauro argumentum.* De quocunque jure ambigitur in regno, quod vivum & regnantem Regem habet, de eo potest & debet *definitivè* cognoscere Rex iste: jam verò causa successionis, de qua quæritur, est jus, de quo ambigitur in regno, quod vivum & regnantem Regem habet; Ergo. Neque Oggeri potest; hoc jus demum agnatis cognatisve nasci, potest mortem Regis regnantis, extitit enim *in radice* hoc jus inter proximos, etiam ante obitum regnantis, licet post obitum ejus, *exercitium* vel *actualitas* istius juris, primùm emergat. Id quod ipsemet *Grotius cit. cap.* 7. *n.* 22. disertè tradit. Pro *confirmatione positi argumenti* considerari meretur; quòd *Darius Hystaspis*, teste *Herodoto*, inter *Artabazanem* & *Xerxem* filios cognoverit, ejusdémque Regis judicium, & filii, & omnis Persarum Gens, ratum habuerint. Item; quòd *Darius Nothus* inter *Artaxerxem* & *Cyrum minorem*, simile judicium tulerit. Neque indefinitè verum est; quòd Rex nunc regnans, nullâ lege successorem obligare possit, ùt *Grotius*, alibi oppositum insinuans, hîc contendit (Vide *supradicta n.* 96.) Ex isto enim principio sequeretur; quòd successor non nisi gratuitò, fœdera contractúsque sui Decessoris servare teneretur; privilegia itidem à Decessoribus indulta, pro libitu revocare posset; quod incivile, si non injuriosum meritò visum *Tito* Cæsari, qui, út de ipso scribit *Suetonius*, *cap.* 3. Ita Cæsarum Decessorum suorum beneficia aliis concessa, uno confirmavit *Edicto*; ac, si ipsemet ea concessisset. Ubi reprehenditur *C. Caligula*, qui præclara *Julii* & *Augusti*, de Civitate Romana; data *Diplomata*, tanquam vetera & obsoleta delebat. *Suetonius* de *Caligula. cap.* 38. Profectò; si, ùt passim jurisperiti tradunt, *fictione juris*, & *moraliter loquendo*, eadem est persona successoris, & decessoris personam repræsentat successor, ejúsque jura participat; bene dici potest; quòd, sicut Rex de facto imperans, lege à se positâ directivè saltem obligatur; ita eâdem, si justa sit & servari possit sine populi pernicie, successor teneatur. Porrò, nec illud, quod *Grotius* dicit; scilicet: *successionem regni, non esse sub jure Imperii*; indistinctè admitti potest. Quanquam enim id obtineat, quando juxta legis Sanctionem, nulla de successione controversia est; aliud tamen dicendum; si orto dubio, inter plures de futura successione contendentes, disceptatio instituatur. Pari modo, non sat firmum est, quod *Grotius* adfert; videlicet; *non nisi consultum & pium videri, ut populi sensus exploretur*: *item*: *populum, omnem à se jurisdictionem, in Regem & familiam*

ejus

ejus transtulisse ita, ut ne pristinæ potestatis reliquias teneat. Hoc inquam non sat cohærenter dicitur. Si enim privato cuivis, dum jure introducto uti non licet, regressus patet ad jus naturale; ita ut quisque sibi judex vindéxque esse possit; quidnî ortá vel imminente hujusmodi periculosissimâ controversiâ, si Rex partes suas non interponat & controversiam non definiat; jure naturali, casum decidere poterit populus?

104. Alia hîc subnectitur QUÆSTIO: num scilicet filius ante adeptionem regni natus, præferendus sit ei, qui in regia fortuna ortus est? RESP. Illum priorem, in quavis successionis specie, præferendum esse, ita post *Hottomannum, lib.* 3. *q.* 2. & *Tiraquellum De primogenitura. quæst.* 31. *Grotius, Bœclerus, Horn* & alii communiter. *Ratio*: quia populus regnum Regi & ejus familiæ detulit, sub qua sine dubio talis filius intelligitur. ADHÆC; si filius iste solus superesset, nullo alio relicto filio, indubitanter succederet; ergo nativitas secundò geniti, ipsi nequit auferre id, quod populi dono, & consensu sui patris, est consecutus. PRÆTEREA; filius iste in regno *dividuo*, haud dubiè partem ferret, perinde ac in cæteris bonis, in quibus nunquam distinguitur, quo tempore sint quæsita? Qui autem partem ferret in *dividuo*, cur in regno *individuò*, ætatis privilegio non præferretur? Quare hujusmodi filius, ante primam investituram à patre obtentam, natus, consequetur feudum, quod pater ex post obtinuit. Quò facit: quòd in *lineali* successione, simulatque regnum quæsitum est, & in familia fixum; spes aliqua parta sit liberis jam natis, quæ spes jus faciens, per nativitatem aliorum non evanescit. EXCIPE; nisi priores natu, fuerint *filiæ*; Harum enim spes succedendi, tam diu incerta est, quam diu ipsis gigni possit frater, qui sorori etiam primogenitæ præferendus, juxta superiùs dicta *n.* 92.

105. NEC OBEST, quod olim teste *Herodoto, lib.* 7. apud *Spartas*, aliter factum legatur, id enim ex peculiari lege erat istius populi, qui ob educationem magis accuratam, natos ex patre jam Rege, aliis præferebat. Id quod & accidere posset ex peculiari lege primævæ investituræ; puta: si Imperium detur *in feudum*, Titio Vasallo & liberis ex eo nascituris, quo argumento nixus videtur fuisse *Ludovicus*, cognomine *Sforza*, adversus *Galeatium* fratrem, in controversia Ducatûs *Mediolanensis*. Vid: Paulus *Jovius, lib.* 2. *Hist. pag.* 39.

106. Postremò *Quæri* potest: an nepos ex filio priore, præferatur filio posteriori? RESP cum *Hottomanno cit. lib.* 3. *q.* 2. *Tiraquello de Primogenitura, quæst.* 40. *Molina, de Primogenit. lib.* 3. *cap.* 6. *in lineali* successione, utique nepotem ex filio priore, anteferri filio posteriori. In ista enim successionis specie, mortui, qui alioquin successissent, si superstites mansissent; pro vivis habentur, quò ad hoc, ut jus in liberos transmittant: Quinimò, in tali successione, nedum nepos ex filio priore, sed & neptis præfertur filio posteriori; quia nec ætas nec sexus efficiunt, ut deseratur linea. Quòd, si de regnis *hæreditariis*, iisque *dividuis* loquamur; nepos ex filio priore, cum filiis post natis, *jure repræsentationis* feret solùm partem sui patris, nisi in illis versemur regionibus, ubi jus repræsentationis & successio *in stirpes*, non sit recepta, uti olim in Germania, & apud populos plerosque, ubi seriùs nepotes cum filiis admissi sunt ad hæreditatem. Vide *Reinkingium lib.* 1. *classe* 4. *cap.* 17. *n.* 35. Ubi refert hanc ob causam, olim in *Palatinatu*, *Rupertum minorem*, prælatum fuisse alteri *Ruperto* venienti ex primogenito. Quæstiunculas alias præcedenti affines proponit, & pro more suo, succinctè & solidè resolvit *Grotius loc. cit.* §. 31 *& seq.*

CAPUT

CAPUT VII.

DE

Majeſtate tum Sacra tum Profana

Ubi de Romani Pontificis primatu, & infallibili Authoritate definiendi controverſias, fidem Chriſtianam, aut naturalem morum honeſtatem attinentes.

SUMMARIUM.

1 Quid *ſit* Majeſtas?
2 *Exponitur definitio Majeſtatis.*
3 Carolus Magnus *à* Leone III. *Pontifice Max. coronatus. An Romanorum Imperator poteſtatem ſuam immediatè habeat à Deo?* ibid. *Non ſolus Imperator hodie utitur titulo*: Dei gratiâ. *Perverſiſſimè autem* Lutherus *ſibi hanc prærogativam arrogavit.* ibid.
4 *Civitatis appellatione, quid in noſtro propoſito veniat?*
5 *Majeſtas alia* ſacra, *alia* profana.
6 *Variæ ſubdiviſiones ſummæ poteſtatis* profanæ.
7 *Prima & fundamentalis origo Majeſtatis, eſt* Deus ter optimus maximus.
8 *Generatim, ſumma poteſtas profluit* immediatè *à Deo.*
9 *Majeſtas* relatè, *quò ad ſubjectum* exiſtentiæ *ſpectata, veroſimiliùs immediatè proficiſcitur ab hominum voluntate.*
10 *Modus aliquis exercendæ ſummæ poteſtatis à populo eligendus. Forma* Democratica *propiùs accedit ad ſtatum naturalem.*
11 *Pſeudopolitici contra fidem errant, dum contendunt; quemvis ſæcularem Principem*, quò ad modum acquirendi vel exercendi

di Imperii, *potestatem suam à Deo consecutum fuisse.*

12 *Diluitur Objectio.* 13. *Respondetur ad* Instantiam. 14. *Quatuor opponuntur* Replicæ, *quæ* n. 15. *refutantur.*

16 Subjectum *Majestatis, aliud* commune, *aliud* proprium.

17 *An rectè Majestas dividatur in* realem *&* personalem? *ubi referuntur argumenta* negantium, *& exploditur* Vitriarii *ratiocinatio.*

18 *Enucleatur genuinus status quæstionis.*

19 *In dubio præsumi debet, quòd Rex vel Magistratus, justè & inculpabiliter imperet.*

20 *In sano sensu, probabiliùs, præter Majestatem personalem summo Principi propriam, admittenda quoque est Majestas realis, penes populum* potentialiter *seu* radicaliter *manens.*

21. 22 *&* 23 *Expenduntur argumenta* Grotiana, *ex quorum solutione firmatur nostra assertio.*

24 *Quid per vocabula:* Tyrannus *&* populus *hîc intelligatur?*

25 *Mensura summæ potestatis non est metienda ex factis bonis vel pravis Magistratûs vel Principis.*

26 *Summa potestas non tam à facto & voluntate hominum, quàm jure naturali, immediatè descendit.*

27 *Si natura humana non foret corrupta, equidem dari deberet ordo imperandi & parendi.*

28 *Parum firma est sententia* Vasquezii *contendentis; Imperium esse juris naturalis*, non præceptivi, *sed* suasivi. *Neque verum est*, vim *vel* tyrannidem, *dedisse originem imperiorum.*

29 *Quódnam sit objectum, seu materia* circa quam *versatur summum Imperium?*

30 *Vocabula:* Rex, Princeps, *an sint synonyma?*

31 *Num discrimen* summi *Imperii*, *& Imperii* summo minoris, *rectè desumatur à modo, quo defertur.*

32 *An dari possit Monarcha* temporarius?

33 *Exempla quæ* Grotius *adfert, intentum non probant.*

34 *Quam potestatem olim habuerint* Dictatores Romani?

35 *An* summitas *Imperii subsistere queat, sine* exercitii plenitudine?

36 *An Imperium desinat esse* summum, *si imperaturus, Deo aut subditis aliqua promittat?*

37 *Dilucidatur proposita thesis & præcedens resolutio.*

38 *Trutinantur & corriguntur* Grotii *verba.*

39 *Haud indistinctè capienda sunt exempla à* Grotio *adducta.*

40 *&* 41 *Iterum reprehenditur* Grotius.

42 *Transitio ad alteram hujus Capitis partem.*

43 *Probatur, dari Sacram, seu Ecclesiasticam Majestatem super terram.*

44 *Refutatur Hæreticorum* Objectio. 45. 46. 47. *&* 48. *eliduntur*

cæteræ Pseudopoliticorum argutiæ, & pleniùs summo Pontifici asseritur Majestatica potestas circa regimen universalis Ecclesiæ.

49 *Qua ratione* Paulus Apostolus, *par & æqualis fuerit* Divo Petro?

50 *Demonstratur;* Divum Petrum, *Romæ, Apostolicam stabilivisse Cathedram.*

51 *Refellitur* Objectio.

52 *Duæ proponuntur & refutantur* Replicæ, *quas* Obstraët *De* Locis Theologicis. Tom. 2. Differt. 5. *pro præcipuo fundamento oggerit, ad evincendum, quòd Summus Pontifex sit inferior Concilio Generali.*

53 *Duplex in Summo Pontifice, vel alio respectivè Summo Principe, destinguenda est potestas.*

54 *An, & quatenus Papa possit dispensare in* Canonibus Apostolorum?

55 *Summus Pontifex quandonam utatur plenitudine potestatis?*

56 *An Papa possit dispensare contra universalem Ecclesiæ statum?*

57 *An, & quatenus Episcopi circa Sacros Canones, Constitutiones Apostolicas, aut Decreta Conciliorum Generalium valeant dispensare?*

58 *Quid, si Papa vel alius inferior, in casibus alioquin permissis, sine rationabili causa dispenset in lege purè humana? num valeat dispensatio?*

59 *Ex Divo Patre* Augustino *probatur successionis ordo in Cathedra* Petri.

60 *Ostenditur; summam potestatem* circa sacra, *Papæ* immediatè *à Deo datam fore.*

61 *Pontifex legitimè electus, non indiget confirmatione ad regendam universalem Ecclesiam.*

62 *Hactenus dicta procedunt de sola potestate spirituali Papæ.*

63 *Hæretici passim negant, quòd* Constantinus Magnus *Papæ donaverit Civitatem Romam cum parte Italiæ, quam nunc possidet.*

64 *Probatur: quòd hæc donatio reverà facta & confirmata fuerit.*

65 *Occurritur* Instantiæ.

66 *Evincitur: quòd* Constantinus *illam donationem Sedi Apostolicæ* de jure *facere potuerit.*

67 *Quod confirmatur per solutionem argumenti oppositi.*

68 *Enervatur* Replica.

69 *Ex* Gersone *& Declaratione tam* Clerici Gallicani, *quàm* Facultatis Parisiensis, *ulteriùs ostenditur: quòd Status Ecclesiæ sit Monarchicus; & quòd* Papa *circa spirituale regimen universalis Ecclesiæ, sit verus* Monarcha.

70 *Multi Scriptores Galli, prætextu libertatum suarum, inextricabicabilibus sese implicant difficultatibus. Deteriores ipsorum vulgò* Jansenistæ *dicti, errores è* Paschasio Quesnello *haustos, in confœderatas Belgii Provincias invexerunt, falsò se nominantes, discipulos SS.* Augustini, Thomæ & Bernardi.

71 *Quid sentiendum de quadam decisione*

cisione Concilii Constantiensis & Basileensis?

72 & 73 *Catholica veritas exponitur de Superioritate Pontificis supra Concilium.*

74 *Concilium etiam Generale, nequit condere Decreta, queis Pontifex obstringatur.*

75 *Refertur erronea & summoperè scandalosa opinio* Caroli Episcopi Antissidorensis, *quæ n.* 77. 78 79 & 80 *fundamentaliter refutatur.*

81 *Quòd* Quesnelli *Sectatores, Jansenistarum nomine gloriantes, nec* Augustinum, *nec* Thomam Aquinatem *imitentur;* ibid. *usque ad n.* 83. *luculenter demonstratur.*

84 *A quo tempore cœptum fuerit dubitari de Summi Pontificis infallibilitate?*

85 *Ostenditur; quòd Schismatica Quesnellistarum opinio, nata sit sit tempore Schismaticis, & communis sit omnibus Hæresiarchis.*

86 *Refellitur principale argumentum* Caroli Episcopi Antissiodorensis *& insimul ostenditur: quod etiam summus Synagogæ Pontifex, in rebus ad fidem pertinentibus, fuerit infallibilis, dum ex Cathedra locutus fuit.*

87 *Obviatur* Instantiæ.

88 *Invectiva in Appellantes à Papa, ad futurum Concilium.*

89 *Ipsemet* Cornelius Jansenius Iprensis Episcopus *cohærenter cum Sanctis Patribus docuit: Papam, in definiendis fidei & morum quæstionibus, esse infallibilem.*

90 *An Summi Pontificis Monarchia sese extendat ad temporalia mundi regna?*

91 *Verius est, quòd nec ipse Christus,* quà homo, *fuerit Rex aut dominus temporalis.*

92 *Respondetur ad contraria argumenta.*

93 *Meritò ambigitur, an* Divus Thomas *sit author operis:* de Regimine Principum.

94 *Satisfit* instantiis *ex illo opusculo depromptis.*

95 *Papa nullam habet [directè scilicet] potestatem, aut jurisdictionem* merè temporalem *in Reges aut regna.*

96 *Ex veriori* Publicistarum *sententia, Imperialis aut Regia potestas non profluit immediatè à Summo Pontifice, sed vel à Deo, vel à Republica.*

97 *In causis civilibus & merè temporalibus, non licet à Regibus provocare ad Papæ judicium.*

98 *Enervatur argumentum oppositum, & limitatur præcedens resolutio.*

99 *An; & quatenus Papa possit deponere Reges?*

100 *An Papa tempore vacantis Imperii, succedat in jura imperalia.*

101 *Quâ ratione* Bonifacius VIII. *dixerit; Ecclesiam habere duplicem potestatem?* & Alexander VI. *neò detectam Orbis partem attribuerit Regibus* Hispaniæ & Lusitaniæ.

1 *Rotius*, *Vitriarius*, *Arumæus* & alii, *Majestatem* definiunt; quòd sit: *summa potestas in civitate ubique*; id est; *in personas & res*: à qua definitione non recedunt aliæ descriptiones, vulgò jactitatæ, videlicet 1. quòd *Majestas* sit: *Sacra Deique vicaria potestas, tuendi jura civium ac defendendi Rempublicam.* 2. Quòd sit: *potestas in subditos summa*, *perpetua*, *legibus soluta*, *salutis publicæ causâ.* 3. Quòd sit: *Facultas moralis*, *ab omni superiore independens*, *civitatem gubernandi*, *sive actiones civium dirigendi ad communem & publicam salutem.*

2. *Grotianam*, apud *Publicistas* passim celebratam, expono definitionem. Dicitur 1mò. *Summa Potestas.* Quia non pendet ab ullo arbitrio voluntatis humanæ, ut actus ejus irriti possint reddi. Caret enim superiore in terris, neque ullius directioni, coactioni aut coërcitioni, *per se loquendo*, substrata est, sed soli Divino Numini subordinata. Hanc ob causam; Reges aut Principes superiorem non recognoscentes, hodie se vocant: *Dei gratiâ. Divina Clementiâ &c.* An autem ideo rectè sibi attribuant istud *prædicatum*; quasi potestatem summam, *immediatè*, à Deo sint consecuti; asseverare non ausim cum *Grotio* & ejus Commentatoribus *Bœclero*, *Vitriario*, *Puffendorfio* & aliis *Sectariis*, quibus Catholici præsertim Theologi & Canonistæ, communiter refragantur, ex ratione infra adferenda.

3. Hoc præprimis meminerim; quòd translato in *Carolum Magnum*, *Occidentis* imperio, *Leo III. Pontifex maximus*, *anno* 801. die festo *Nativitatis Christi*, eidem incomparabili Heröi, tam de Ecclesia Catholica, quàm communi Christicolarum salute, optimè merito, imperiale diadema imposuerit, acclamante populo Romano: *Vive Auguste*, *Imperator Christiane! Vive coronatus*, *qui es à Deo! Vive Magne! Vita tibi sit magna*, *victoria magna? Vive diu Victor terræ.* Ab hoc inquam tempore, Romani Imperatores, titulis suis præmiserunt: *Dei gratiâ.* Aut: *Divina favente Clementiâ.* Atque ex ista populi acclamatione festivâ, opinio nata videtur; quasi supremi Principes, potestatem suam indistinctè consecuti forent *immediatè* à Deo. Unde post alios, *Gerhardus de Roo*, scripsit, *lib.* 5. *Histor. Austr. pag.* 205. *Der Käyser hatt seine gewaldt ohn mittel von Gott.* Quinimò in *Gallia*, pro crimine læsæ Majestatis reputatur, si quis præter Regem, se vocet: *Dei gratiâ.* Cujus rei exemplum prostat in Duce *Armeniaco*, qui à *Carolo VII.* Rege *Galliæ*, accusabatur criminis læsæ Majestatis, eò quòd se vocaverit: *Duc D'Armagnac*, *par la grace de Dieu.* Teste *Petro Ærod. Rer. judicat. lib.* 7. *cap.* 9. Vide *Limnæum. in Notitia Regni Franc. lib.* 2. *cap.* 6. *lit. ggg. Myler ab Ehrenbach. De stat. Imperii. part.* 1. *cap.* 30. Cæterùm, Historici memorant, quòd ex Imperatoribus *Germanis*, primus omnium, illo titulo usus fuerit *Carolus Magnus*,

nus. Confer *Goldastum Constit. Imperii. tom.* I. Hodie autem in Imperio *Romano-Germanico*, titulo: *Dei gratiâ.* non solus utitur *Imperator*, sed & Electores, Archiepiscopi, & Principes, *Imperii Status.* Quo autem jure id faciant; incertum est. Putat quidem *Carpzovius. Ad legem Regiam Germ. cap.* I. *sect.* II. *n.* 10. *Status* Imperii, ideo posse uti isto titulo; quòd in consortium regiminis imperii, assumpti sint. Ast, si hæc ratio valeret; *prædicatum* istud quoque attribui deberet civitatibus Imperialibus, quæ non minùs ac ipsi Principes, in consortium regiminis assumptæ sunt. Verius est, originem hujus rei, adscribi inveteratæ consuetudini, cui Imperatores tacitè consenserunt, patiendo; membra principaliora, eodem hoc secum prædicato uti, in signum majoris libertatis. Ad exemplum Imperii Principum, Episcopi Catholicæ nostræ Ecclesiæ, se compellant: *Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ.* Vide *Becman. Notit. Dignit. Illustr. Differt.* I. *cap.* 3. §. 7. Perversissimæ autem temeritati adscribenbendum est, quòd *Lutherus Tom.* 2. *edit. Jen. fol.* 131. contra *Henricum*, *Angliæ* Regem, sibi arrogaverit *tò: Dei gratiâ*, hisce formalibus: *Martinus Lutherus, Von Gottes gnaden Ecclesiastes zu Wittenberg, an Heinrichen von Gottes* UNGNADEN, *König von Engeland.*

4. In supra laudata definitione, dictum est *2dò. in civitate.* Ubi OBSERVA: quòd cum *Cicerone*, *Seneca* & aliis, in hac materia, civitatem non accipiamus: pro urbe aut loco quocunque muris cincto, sed pro *populo*, imò pro multis populis tanquam membris, unum corpus, per consociationem, constituentibus & interdum, in distinctis urbibus, vicis, pagis & Regionibus, domicilium habentibus. Planè, sicut una civitas reputabatur, quidquid Romanæ ditioni, sub formula *Provinciæ*, olim accesserat. Itaque Civitatis & Reipublicæ appellatione, hîc loci venit: aggregatum ex multis hominibus, aut etiam populis, easdem leges, idémque imperium observantibus; quanquam vulgus sæpe civitatem ab Imperio ita discernat, ut Imperium civitatibus constare; illam verò urbem, quæ *caput* Imperii est, propriè civitatem appellitet.

5. Summa potestas, in qua Majestas consistit, alia est *Sacra* seu *Ecclesiastica*; alia *profana*, seu *secularis*, *civilis* vel *politica.* Prima est ordinis *supernaturalis*, immediatè à Deo profecta, & data supremo in terris Vicario Jesu Christi, Romano scilicet Pontifici, cui proinde omnes baptizati, absque discrimine personarum, in iis, quæ fidei & morum dogmata concernunt, *inappellabiliter* subesse coguntur, prout infra latiùs deducetur. Altera, est ordinis *naturalis*, à Deo quidem ùt Authore naturæ, descendens; ast non semper *immediatè* huic vel illi individualiter data: neque idem objectum *formale*, aut *finem* cum Majestate *Sacra*, respicit, ùt mox apparebit.

6. Summa potestas *profana* passim subdividitur *1mò.* in *absolutam* & *limitatam.* Prima est: quæ nulla lege fundamentali Regni, conditione aut conventione, restricta reperitur. Altera; quæ écontra, uno vel altero modo, saltem *quò ad usum & exercitium*, summæ potestatis, limitata conspicitur. *2dò. In patrimonialem* & *non patrimonialem. Illam* habet Princeps, pleno & independente atque illimitato proprietatis jure. *Hanc* sub certis legibus, pactis aut Capitulationibus, de quibus sat multa diximus supra cap. 6. & infra recurret mentio. *3tiò.* In *Civilem* & *Herilem. Illa* primariò tendit in subditorum utilitatem, *Hæc* verò potissimùm vergit in commodum imperantis. *4tò.* In *Electivam*

ctivam & *succeſſivam*. *Prima* eſt, quæ liberâ populi vel optimatûm voluntate defertur. *Altera*, quæ ex pari voluntate, in legis fundamentalis vigorem deducta, primo electi deſcendentibus agnatis cognatiſve *reſpectivè* addicitur. *5tò*. Ut quidam (non prorſus irrationabiliter, contra *Grotium* & ejus *Apologétas* contendunt) in *realem* & *perſonalem*. *Illam* ipſi populo, Regno vel Imperio, *Hanc* imperanti vel regnanti, competere ajunt cum *Limnæo. ad Capitul. Rudolphi II. art.* 31. *pag. mihi* 533. ac conſequenter contendunt: majeſtatem *realem* conſiſtere in conſtituenda, *perſonalem* verò, in adminiſtranda Republica: item: Majeſtatem *realem*, fore Reipublicæ *coævam*, & ſubſiſtere tempore *interregni*, aut extinctâ Regis proſapiâ; *perſonalem* autem fore *temporariam*, & cum perſona regnantis perire. Hac de re limatiùs infra *n.* 17. *& ſeq.*

7. Originem Majeſtatis, ſi Inquiras; certum eſt, primam eámque *fundamentalem*, eſſe Deum ter optimum maximum, qui *Proverb.* 8. ỳ. 15. de ſe ipſo teſtatur: *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt: per me Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam. Ratio* eſt: quia, cùm natura, omnes fecerit *æquales*; oportet; ut imperium ſeu poteſtas in alios, ab illo procedat, cui omnis natura ſubeſt. Unde jus vitæ & necis, etiam in nocentes vel conſentientes, abſque divinæ poteſtatis communicatione, nulli mortalium competere; dignoſcitur.

8. De *proxima* Majeſtatis origine loquendo, indubium quoque eſt: quòd poteſtas *ſumma civilis* in ſe conſiderata, prout generatim importat *facultatem moralem, gubernandi Rempublicam*, profluat *immediatè* à Deo. Cùm enim omnes & ſinguli, ſint naturâ *æquales*; poteſtatem civilem, nec inter ſe, nec in alios, habent. Et licet Patresfamilias, quandam habeant in liberos poteſtatem; hæc tamen non eſt niſi mere *œconomica*, non verò *herilis*, vel *civilis* aut *politica*, proinde nec poteſtas hæc *ſuprema*, à familiis transfundi poteſt in civitatem. Igitur poteſtas *ſumma* ſecundùm ſe & generatim ſpectata, procedit *immediatè* à Deo, ùt Authore naturæ, quatenus genio humano impreſſit appetitum ſocietatis, quâ ſine ſubordinatione & imperio, ſubſiſtere non poſſet. & hinc bene Philoſophus deſcripſit hominem; quòd *naturaliter* ſit *animal*, *ſociale politicum*.

9. Differendo de Majeſtate; *relatè* ſeu reſpectu habito ad ſubjectum *exiſtentiæ*, quatenus videlicet reſidet penes unum vel plures; & ſub hac vel illa regiminis forma exercetur: verius eſt, illam non eſſe *juris naturalis*, neque proprietatem iſtius juris, ſed *juri humano*, debere natales ſuos, ſeu à populi conſenſu, eſſe immediatè profectam. *Ratio* eſt; quia alioquin ſequeretur; ſtatum v. g. *Monarchicum* eſſe juris naturalis vel divini, adeóque à civitate, haud mutabilem, neque aliam formam aliúdve ſubjectum antecedenter eligi potuiſſe. Sequeretur itidem: poteſtatem *Regiam* fore in omnibus æqualem, quò ad exercitium, quò ad modum habendi imperium, quò ad ſucceſſionem *&c.* quæ paradoxa videri debent omni, qui vel obiter regnorum diſcrimina novit. Ex dictis.

10. Resultat *imò*. Modum aliquem exercendæ ſummæ poteſtatis, communitati à Deo collatæ, eligi debere à populo, ſive ſibi reſervet regimen, & *Democratiæ* formam adoptet; ſive *Ariſtocratiæ*, *Monarchiæ*, aliámve *mixtam*, *regularem* vel *irregularem* regiminis formam, eligat. *Ratio* eſt; quia fieri non poteſt in Republica vel communitate valde populoſa, ut hæc ſecundùm ſe tota, ſeu ſinguli

guli cives *viritim*, in actibus singulis, consensum suum expediant. Ubi OBSERVA; quòd etsi dixerimus, communitati naturaliter competere potestatem *summam*; equidem communitas ipsa non debeat confundi cum *Statu Democratico*, prout hîc importat specialem exercendæ potestatis formam, solo jure positivo inductam; quâ videlicet potestas *summa*, sic est penes universitatem, ut obligatio parendi, singulos teneat: qua item modus consultandi, fit per comitia *popularia*, *Statuta* verò, pluralitate votorum, conduntur. qua itidem Respublica, tanquam persona moralis, per numerosiorem partem repræsentata, deligit certos Magistratus, qui tanquam Consules, Prætores, Præfecti, Vicarii *&c.* populi nomine, summam exerceant potestatem. Ex quo rursum intelligimus, formam *Democraticam* propiùs, quàm reliquas formas, accedere ad Statum naturalem, à quo libertas & æqualitas originem trahit. Unde non multum aberravit *Suarez*, dum *in Defens. fidei Cathol. lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 8. *&* 9. Democratiam ex naturali institutione saltem *negativa*, seu *concessiva* deducit, *quia* (inquit) *ipsa ratio naturalis dictat*, *potestatem politicam supremam*, *naturaliter sequi ex humana communitate perfecta*, *& ex vi ejusdem rationis ad totam communitatem pertinere*, *nisi per novam institutionem*, *in alium transferatur: quia ex vi rationis*, *neque alia determinatio locum habet*, *neque immutabilior postulatur*.

11. RESULTAT 2*dò*. Insignem esse *Pseudopoliticorum* errorem fidei orthodoxæ oppositum; quòd Principes sæculares, semper suam potestatem, *quò ad modum acquirendi*, consecuti sint à Deo. Siquidem constat, regna non raró ambitione, vi injustâ, aliisque artibus illicitis, acquiri; dicente æterna veritate: *Oseæ* 8. *Ipsi regnaverunt*, *sed non ex me*: *Principes extiterunt*, *& non cognovi*. Ab isto errore non absunt, qui jactitant: Principes sæculares habere semper usum potestatis suæ, *quà talis vel talis est*, à Deo; proinde potestatem sæcularem, semper esse à Deo, *quò ad exercitium*. Manifestum enim est; sæpe multùm, enormitérque peccari in usu hujus potestatis, juxta illud: *Sap.* 6. *Potentes*, *potenter tormenta patientur*. Confer *Tannerum*. *Theol. Schol. Tom.* 2. *Disp.* 5. *dub.* 1. *n.* 30. Ubi utrumque errorem, luculento Doctoris *Angelici* testimonio refutat. Si

12. OPPONAS cum *Grotio*, *lib.* 1. *de J. B. & P. cap.* 3. §. 7. *&* 8. *Joanne Marsilio*, *Hornio*, *Vitriario*, *Bœclero*, *Puffendorfio* & aliis. Nisi potestas summa, immediate a Deo, Principibus collata foret; sed ab ipsa communitate profluxisset; sequeretur, quòd communitas potestatem istam, uni vel pluribus, attributam, ad se revocare, obrogare aut restringere posset; cùm superior potestatem inferiori collatam, semper revocare, limitare &c. valeat. RESP. Id quidem sequi, si communitas potestatem isthanc, uni vel pluribus, *revocabiliter* vel *conditionatè* concesserit, ita, ut concessionis effectus maneat dependens à voluntate concedentis; non vero; si *irrevocabiliter* potestatem summam alteri contulerit. Tunc enim, quod ab initio fuit *voluntatis*, postea sortitur effectum *necessitatis*, exemplo fæminæ, quæ sibi virum elegit; & illius, qui sponte se alteri in servum obtulit. Si

13. INSTES, dicásque: ex nostra sententia sequi, quòd forma *Democratica* velut à Deo constituta, non posset à populo variari, nec transferri suprema potestas in unum caput, vel Optimates. RESP. Nec hoc inferri posse; quia non dicimus, quòd Deus summam potestatem communicaverit populo *positivè*, ùt necessariò exercen-

cendam à communitate; sed duntaxat *negativè*; ita, ut communitas illam potestatem vel sibi reservare, vel in unum vel plures transferre, atque hoc vel illo modo, pro re nata, exercere queat. Ut ùt igitur. Communitas sit subjectum immediatum (ùt *Grotius* loquitur *essentiæ*, & *commune*) summæ potestatis seu Majestatis; non tamen est subjectum *positivè* determinatum pro ejusmodi potestatis exercitio. Si

14. Repices 1. Juxta S. Scripturæ elogia, non fore potestatem nisi à Deo. 2. *Sauli* & *Davidi* immediatè à Deo collatam fuisse regiam potestatem. 3 *Matthiam*, non tam ab Apostolis, forte electum, quàm à Deo designatum fuisse Apostolum, in locum *Judæ* prævaricatoris; ac Discipulorum Christi exemplo, non tam à purpuratis Ecclesiæ Patribus, eligi, quàm à Deo, hominum ministerio, præordinatam detegi personam, cui Monarchica & suprema in spiritualibus potestas super terram, destinata sit. 4. Patres *Concilii Parisiensis*, Ludovico Imperatori declarâsse; quòd Regnum non à Decessoribus, sed Deo, habeat. *Quisquis enim* [ajebant] *ex mortalibus temporaliter imperat, non ab hominibus, sed à Deo, sibi commissum Regnum crederet.* Confer *Petr. de Marca.* In singulari tractatu. *De concordia Sacerdotii & Imperii. lib. 2 cap. n. 3.*

15. Ad 1*mam Replicam* Resp. Utique non esse potestatem nisi ab omnipotente, ast non semper *immediatè*. Tametsi enim omnipotens, ministerio hominum vel Angelorum agat; nihilominus tamen manet causa generalis, juxta illud Philosophorum axioma: *Quod primum est in unoquoque genere; illud est causa cæterorum.* Manet (inquam) Deus, causa *immediata* Majestatis *secundùm se & generatim spectatæ*, ùt ùt *regulariter* sit tantùm causa *mediata* ejusdem potestatis, consideratæ cum respectu, ad hanc vel illam individuam personam, quam populus elegit. Huc facit; quòd *Divus Chrysostomus* in hanc rem, tanquam Politicæ *sacræ* peritissimus scripsit, *Homil.* 23. in *Epist. ad Rom.* En! ejus verba: *Non est potestas nisi à Deo. Quid dicis? Ergo omnis Princeps à Deo constitutus est. Istud non dico. Non enim de quovis Principe mihi sermo nunc est, sed de re ipsa, id est: de ipsa potestate. Quod enim Principatus sint, quódque non simpliciter & temerè cuncta ferantur, Divinæ Sapientiæ opus esse dico. Propterea non dicit* [scilicet *Paulus Apostolus ad Romanos*] *non enim princeps est nisi à Deo; sed de re ipsa differit, dicens: non est potestas, nisi à Deo.* Ad 2*dam Replicam.* Resp. Quòd exempla *Saülis* & *Davidis* non probent Regulam, quam adversarii perperàm stabiliunt, sed exceptionem à nostra *Thesi*. Quis enim adeò inter sophos deliret; ut neget, Deum pro suâ voluntate, posse facere immediatè *per se*, quod alioquin ipsi placuit efficere per causas *secundas*, sibi *in esse & operari* decenter substratas. Ad 3*tiam Replicam* Resp. à *Protestanticis Grotii* commentatoribus, & pluries, nedum inofficiosis, sed & improbis Glossatoribus [*Grotius* enim licet *Calvinismo* notatus, his omnibus, mitiore, prudentiore & humaniore ingenio fuit] insulsum duci argumentum, à Regibus laïcis, ad Divum *Matthiam Apostolum*, summósque Pontifices, Christi in terris Vicarios Generales: siquidem Apostolica & Pontificia potestas, utpote tota *supernaturalis*, & proveniens à Deo, tanquam libero collatore; non fuit antecedenter communicata fidelium cœtui seu Ecclesiæ, sed capiti, ab Ecclesia, ductu Spiritûs sancti designando, confertur; adeò, ut non tantùm *in se*, sed etiam in ordine ad subjectum Monarchicum, fluat immediatè à Christo, neque antecedenter ab Ecclesia, limitari minuísve possit, quod totum secus se habet in potestate summa laïcali, prout

prout prolixiùs demonstrat *Suarez in defens. fidei Cathol. lib. 2. cap. 3. n. 5.* Ad *4tam Replicam* Resp. Patres Synodi Parisiensis *Anno* 829. nihil aliud dicere voluisse, aut saltem non potuisse aliud in rei veritate significare, quàm quòd Reges meminisse debeant; Regna etiam *patrimonialia*, non tam esse hæreditates Antecessorum, circa quas habeant absolutam potestatem disponendi, quàm beneficium Dei à majoribus propagatum, & ideo juxta institutionem Divinam, Dei ipsius nomine, ad salutem & felicitatem subditorum, probè administrandum fore. Atque hic utiq; fuit scopus, Patrum dictæ *Synodi*. Scio quidem, quosdam Gallos altiùs cristam attollere, atque contendere, ipsorum Regi præprimis divinitus collatam esse summam potestatem, & ideo jactitare: Regem *Galliæ*, NUNQUAM MORI. Verùm hujusmodi Scioli & gerrones, quod blaterant, minimè penetrant. Cæterum, quia teste *Bodino, de Republ. lib. 1. c. 8. & 9.* contra *Hottomanum in Franco-Gallia c. 6. & 7.* constat, à temporibus *Carolingorum*, Galliæ Regnum semper *successivum* extitisse; ideo natum in *Gallia* proverbium: *Regem nunquam mori.* Unde Mariæ, *Henrici IV.* uxori, intellectâ nece mariti, â Francisco *Ravaillaco*, cultri ictu, perempti, altùm exclamanti: *Helas! le Roi est mort. Brulardus* Cancellarius, respondit: *Vôtre Majesté m'excusera; les Rois ne meurent point en France.* Quò insinuare volebat, proximum inibi agnatum succedere. An autem successio isthæc sit *hæreditaria*, seu *hæreditas paterna*; an verò *legitima*, hoc est: an *virtute legis regni* deferatur; quæsitum fuit; & *Bodinus, loc. cit.* hoc posterius affirmat, inquiens: *Le Royaume de France n'est point deferé par succession paternelle, mais bien, en vertu de la loy du Royaume.* Vid. *Limnæum ad Capitulat. Caroli V. pag. 40. & seqq. Monsieur du May. Etat de l'Empire, Dial. 2. part. 1. pag. 89.*

16. Phrasi *Grotianâ* loquendo, subjectum Majestatis, est duplex; aliud *commune* seu *essentiæ*; aliud *proprium*, seu *existentiæ*. *Commune* est civitas, quæ est cœtus perfectus liberorum hominum, juris fruendi, & communis utilitatis causâ, sociatus. Subjectum *proprium*, est persona una pluresve, pro cujusque Gentis legibus ac moribus. Sicut enim subjectum commune visûs, est corpus; proprium verò, oculus; ita summæ potestatis subjectum commune, est civitas, proprium verò, unus vel plures, in quos, nullâ sibi reservatâ parte, summum Imperium, civitas transtulit. Vid. *Grot. lib. 1. cap. 3. §. 7.* Imperantes itaque sunt subjetum Majestatis *existentiæ* proprium, quia in his, Majestas existit, & per illos omnia in civitate, proprio nomine disponuntur & diriguntur. Vocatur autem hoc subjectum, ideo *proprium*; quia ab eo, Respublicæ denominantur, & à se invicem differunt. Siquidem; si unus habet Majestatem; vocatur *Monarchia*; si plures; *Aristocratia*; si omnes; *Democratia*. Si unus & plures, vel unus & omnes, vel unus, plures & omnes; *Respublica mixta.*

17. Jam ponderemus quæstionem, an Majestas dispertienda sit in *realem* & *personalem*? sive; an præter Majestatem *personalem* Regi aut Principi competentem, admittenda sit alia *realis*, ipsi populo, civitati, communitati, vel Regno, originaliter & primitivè conveniens? *Grotius loc. cit.* & ex eo *Hornius, lib. 2. politic. cap. 1. Bœclerus. Instit. Polit. lib. 2. cap. 1. pag. 95. Puffendorf. lib. 7. cap. 5. §. 16. & seqq.* Omnino rejiciunt illam Majestatis divisionem, Majestatémque realem, tanquam *Chymæricam* explodunt. Argumenta conglobata istorum Authorum, sunt hæc: 1. Quia omne primum & summum, debet esse solum. 2. Quia in *Democratia*, hæc plu-

pluralitas ostendi non potest. 3. Quia jura Majestatis *realis*, à juribus Majestatis *personalis* diversa non dantur; & simulátq; à Civitate transit in personam Imperantis; desinit esse *realis*: sicut, dum desinit esse personalis, iterum fit realis, & à Deo, ad quem revertitur tanquam ad suam causam efficientem proximam & solam; populo iterum confertur. Ita *Vitriarius* ad *Grotium. lib.* 1. *cap.* 3. §. 23. Ubi Observa: quòd *Vitriarius* nedum *Grotio*, sed sibi ipsi oppositus, ad probandum; non dari Majestatem realem à personali distinctam, §. 29. *pag. mihi* 23. hallucinetur his verbis: *Populus nunquam concessit potestatem Regi quam nunquam habuit, sed solus Deus: & populus liber Regem sibi eligendo, inter manus Dei, à quo proximè accepit, eam resignat, qui postquam à populo Rex est electus, eam* Regni confert. Ubi vides, qualiter *Vitriarius* in his paucis verbis, sit *antilogus*. Populus juxta ipsum, nunquam habuit potestatem, & tamen illam à Deo proximè acceptam, intra manus Dei resignat, & Deus deinde prævià hac resignatione, rursus illam Regi electo confert potestatem. Posséiné quis doctiùs delirare? Præterea, [inquit ibidem *Vitriarius*] *Rex est Dei Vicarius, non populi. Ergo à Deo, non à populo accipit suam potestatem. Grotius*, qui ejusdem quidem, non tamen constanter, opinionis fuit, prudentiore & politiore procedit pede, atque ab inconvenientiis & Reipublicæ turbinibus facilè exoriri natis; tum etiam *à possibili*; multò saniùs & probabiliùs argumentatur. Hæc enim *sententia* (quæ contendit ubique & sine exceptione, summam potestatem esse penes populum; ita, ut ei Reges, quoties imperio suo malè utuntur, & punire & coërcere liceat) inquit, *quot malis causam dederit, dare etiamnum possit, penitus animo recepta, nemo sapiens non videt*. Dein (prosequitur *Grotius*) *licet homini cuique, se in privatam servitutem, cui velit addicere, ut & ex lege Hebræa, Exod.* 21. *cap.* 6. *& Romana* (puta: si quis 20 annis major, ad participandum pretium se venumdari passus sit) *apparet. Instit. de jure personar.* §. *servi autem.* Quidnî ergo populo, *sui juris*, liceat se unicuipiam, aut pluribus ita addicere; ut regendi sui jus in eum planè transcribat, nullâ ejus parte retentâ? Neque dixeris: id minimè præsumi (seu non esse credibile, populum, huc & eò usque descensurum) Non enim jam quærimus, quid in dubio præsumendum sit, sed, quid jure fieri possit. Quò facit, quòd, ùt idem *Grotius* observat; multæ existere possint causæ, cur populus totum jus imperandi à se abdicet, aliique tradat, puta: quia in periculum vitæ aut salutis adductus, alio modo, quàm imperium alteri offerendo, se defendere vel extricare non potest; aut, quia inopiâ pressus, aliter habere non potest copiam, unde se sustentet: qua ratione Ægyptii fame coäcti, se & omnia sua, Regi vendidisse leguntur, *Genes.* 47. ℣. 13. & *Campani* olim necessitate pressi, populo Romano se subjecerunt, & quidem, teste *Livio lib.* 7. *c.* 31. hac formula: *Populum Campanum urbémque Capuam, agros, delubra Deûm, divina humanáque omnia, in vestram P. C. ditionem dedimus*. Adde: quod quidam populi eo sint genio, ut regi, quàm regere rectiùs nôrint: item, quòd interdum is sit civitatis status, ut videatur, nisi sub libero unius imperio, salvus esse non posse, quod de Romana, qualis erat Cæsaris Augusti ætate, multis prudentibus visum fuit. Profectò *Tacitus, lib.* 1. *c.* 9. scribit, non aliud discordantis patriæ remedium fuisse, quàm, ut ab uno regeretur; atque adeò pacis causâ, omnem potestatem in unum conferri debuisse. Præterea; ùt arguit *Grotius*, & ex illo *Vitriarius*: justo bello, sicut dominium privatum, ita & imperium

rium civile, seu jus regendi, aliunde non dependens, seu absolutum, acquiri potest. Possunt quoque Proceres *arte* vel *marte*, exclusâ plebe, jus regendi Civitatem sibi vindicâsse, in *Aristocratia* nempe *mera*, ut hodie *Venetiis*. Quinimò nulla Respublica adeò popularis unquam reperta fuit, in qua non aliqui aut valde inopes aut externi, tum verò fœminæ & adolescentes, à deliberationibus publicis arceantur. His rationum momentis, *Grotius* probabilem reddit sententiam suam, qua reprobat, Majestatem populi ***realem***, atque in confirmationem opinionis suæ, adducit sacræ Scripturæ textus, quibus Rex dicitur ***unctus super populum***, ***super hæreditatem domini*** *&c.* quibus inquam insinuari videtur, quòd Rex ita subditum teneat populum, ut ab illo judicari vel puniri, etiam ob gravissima delicta, non possit. Idipsum ulterius persuadet, ex textu §. *sed & quod. Instit. de jure naturæ, Gent. &c.* Ubi dicitur populus Romanus, omne suum imperium, omnémque potestatem, in unum caput transtulisse: item ex veterum Philosophorum effatis; quibus indicatur; Reges à solo Deo judicari & puniri posse.

18. Ut distinctè & accuratè loquamur; ac genuinam veritatem, à palliata falsitata discernamus: Supponendum 1mò. Cardinem difficultatis, non consistere in hac quæstione: num ***regulariter***, ***ordinariè*** & ***sine exceptione***, summa potestas maneat penes populum, ut ei Reges, quoties imperio suo male utuntur, coërcere & punire liceat? Hoc enim nemo, nisi insanissimus, affirmaverit. Quæstio igitur sic proponi & intelligi debet; an videlicet populus liber, qui sibi Regem, Senatum Magistratum, Status Provinciales, Ordinésve elegit, ut ab illis regeretur, penésque illos sit summa reipublicæ potestas, si major & senior pars censeat, eam formam regiminis hîc & nunc esse perniciosam (veluti si manifestò appareat, Regem degenerâsse in tyrannum; Senatum despoticam & subditis exitialem sibi arrogâsse potestatem; Status seu Optimates quosdam, cum hostibus conspirâsse, in interitum reipublicæ *&c.*) An tunc inquam populus liber, possit Regem, Senatores, Statúsve punire, & aliam regiminis formam introducere? sicut Romani fecerunt, expulso *Turquinio*; & *Athenienses*; imperio populi ad ***quadringentos*** translato, & iisdem postea quadringentis, cùm tyrannicum imperium exercuissent, exilio aut morte punitis, teste *Justino. lib. 5. cap. 3.*

19. Supponendum 2dò. Ut seditionibus, tumultibus, bellísque intestinis, occasio & ansa præripiatur; in dubio semper præsumendum esse, quòd Rex aut Magistratus, ex rationibus sibi, non vulgo, notis, justè imperet, procedat & agat. Quinimò populum duriora & extraordinaria onera & gravamina potiùs patienter ferre debere, quàm in legitimi Regis caput insurgere; Persona enim Regis, sancta, cunctis videri debet & inviolabilis.

20. His suppositis, cum *Limnæo* & aliis, verosimiliùs dicimus: præter Majestatem ***personalem*** summo Reipublicæ Capiti competentem, admittendam quoque fore Majestatem ***realem***, quam malumus vocare ***originariam***, ***potentialem***, ***habitualem*** vel ***extraordinariam***, utpote, non nisi in casu extremæ necessitatis, ***jure naturali*** duntaxat exercendam. In primis hanc sententiam probo ex ipso *Grotio*, qui invitis dentibus, pluries fateri cogitur, penes populum, Rege etiam electo, mansisse isthanc potestatem. Sic *lib. 1. De J. B. & P. cap. 3. §. 7. n. 2.* affirmat; penes plures populos, perfectum cœtum constituentes, & unum caput habentes, remanere Majestatem, & hujus rei certum exinde depromit indicium

dict. §. 7. *n.* 2. quòd extinctâ domo regnatrice, imperium, ad quemcunque populum, seorsim revertatur. Qua ratione autem ad populum reverteretur imperium, si is omni prorsus jure exutus esset. Profectò, si populus translato semel in Regem vel Optimates imperio, *nullam sibi partem*, ùt ipse loquitur, reservâsset, etiam *in potentia*, & pro casu extremæ necessitatis; non reverteretur potiùs regnum, extinctâ domo regnatrice, ad populum, quàm ager venditus, mortuo emptore ejúsque hæredibus, ad venditorem; quod quam absurdum foret asserere, nemo non capit. Unde miror, quod *Grotius*, vir adeò in politicis versatus, fortè ad aucupandam exteri Regis (ad quem, necessitate pressus, confugerat) gratiam, tantoperè cespitare, & insignis eruditionis suæ famam labefactare potuerit, ut regi indefinitam, irrevocabilem, & impunibilem adscripserit potestatem, etiam in casu, quo interitum populi & regni machinatus fuerit.

21. Argumenta *Grotiana*, licet primo obtutu appareant persuasiva; vim tamen suam ad instar nivis vel pruinæ, orto sole veritatis, amittunt. Percurramus singula. Potest (inquit) 1*mò*. Privatus se alteri in servitutem addicere. Ergo & populus potest se serviliter Regi subjicere. *Respondeo*, TOTUM *concedendo*; & eos, qui spontaneè se in servos dedidére, duræ servitutis jugum subire debere. Quæro autem, quinam populi, nativæ suæ libertatis immemores, hoc, saltem in Europa, fecerint? Non certè *Germani nostri*, Horum enim Principes, Electores Serenissimi, & aliis exteris Regibus non multum dissimiles, hodiedum è natione *Germanica*, eligunt *Regem Romanorum*. Qua de re, videri meretur *Vitriarius. Instit. jur. publ. lib.* 1. *tit.* 10. *&* *tit.* 13. *per tot.* cum *inibi notatis.* & quanquam Reges *Galliæ* & *Hispaniæ*, Monarchæ sint & audiant; nemo tamen, ni fallor! sensatus dixerit: illorum etiam Regnorum Ducibus, Principibus, Paribus curiæ, Grandibus, Parlamenti selectis Regni Senatoribus; nil omnino juris relictum, Si Rex [quod Deus avertat] in tyrannum apertè degeneraret, in Paganismum, Judaïsmum, vel Hæresin regno exitialem *&c.* laberetur. De Turcarum, Tartarorum aliorúmque barbarorum populorum Regibus tyrannicè imperantibus, non vacat hîc loqui. Sicut enim alia juris naturalis dictata non sequuntur; ita circa modum gerendi imperium, prorsus obbrutuerunt & humanitatem excusserunt. Si cum *Grotio* arguas 2*dò*. Potest populus se Regi addicere in servitutem. Ergo, eô ipsò amittit omne jus, se in libertatem aut securitatem vindicandi. *Resp. Neg. conseq.* Quia nequidem servi propriissimè dicti, in casu extremæ necessitatis, quo de vita ipsorum agitur, illud naturale jus amiserunt. Unde *Athenis*, servus crudeliter habitus sine culpa sua; poterat dominum *in jus vocare*, & per judicem cogere, ut mitiori domino venderetur, quod ipsum Romæ rescripsit *Antoninus Pius*, ùt liquet ex §. 2. *Instit. De his, qui sui vel alieni juris sunt.* Vide quæ supra, in hanc rem scripsimus *cap.* 2. *à n.* 91. Ubi verò tale remedium juris civilis cessat; nemo prohibetur recurrere ad remedium naturale, quod est, aut fuga, aut vis contra vim. Præcipuum argumentum ex *Grotio* sic efformari potest 3*tiò*. Sicut bello justo acquiri potest dominium rerum privatarum; ita & dominium civile, seu imperium independens in personas. Jam verò, si hoc factum fuerit, populus nullum jus habet, bello victorem, utcunque tyrannus evaserit, puniendi, aut se in libertatem vindicandi. Ergo. *Resp.* Tametsi plus liceat in populos bello subactos, quàm in illos,

illos, qui spontanea voluntate Regem creaverunt; equidem, quòd Rex in bello victos & deditos, extrema quæque possit; neutiquam asserendum. Quò facit; quòd, ùt mox dictum, privati domini, ultra modum sævire non possint, de jure Civili, in servos; cui simile est, quòd & eodem jure, *prodigis* interdicatur administratione bonorum; & *furiosi*, sint in tutela agnatorum, ex ratione; quia expedit, ne quis re sua malè utatur. At [*inquies*] Magistratus in rebus privatorum, habet dominium *eminens*, non populus, in bona Regum. *Resp.* Omnes bonos Principes, cum *Trajano*, *Hadriano* & *Antonino* semper confessos fuisse, quòd idem illud dominium *eminens*, ingruente justâ necessitate, populo competat in bona Principum. *Adhæc*, observandum; quòd vox *dominium*, non importet jus peræquè & qualitercunque *abutendi* re, ac *utendi*, modis, legibus aut moribus, permissis. Primum enim falsum esse apparet, jure etiam *Gentium*, non *civili* tantùm, in hominibus sub dominium venientibus. Nam, qui & bellò victi, se dedidére, servi facti sunt, *ut servarentur*, *non*, *ut occiderentur capti*, siquidem hoc tacitè pacti sunt, ut duriore quidem conditione, & libertate amissâ, *vita tamen salvâ*, tractarentur. Proinde, si absque nova legitima causa trucidandi essent; jure naturali, vitam suam quovis modo defendere possent. 4*tò*. Sic argui potest ex eodem *Grotio*. Si in Rebuspublicis, quidam, ùt: inopes, externi, tum fœminæ & adolescentes, à deliberationibus arceantur; non est ullum jus populo in acta Principis. Atqui *&c.* Ergo. *Resp. Neg. sequelam majoris*. Et certè, si ulla unquam, hæc saltem, tantò viro politico indigna est *illatio*. Palmare enim est discrimen inter istos & reliquum populum. Diffiditur enim *egenis*, ob paupertatem, sæpe turpia meditantibus; *exteris*; tanquam minus sollicitis de bono civitatis; *fœminis* verò & *adolescentibus*, tanquam rerum gerendarum imperitis & defectu prudentis judicii laborantibus; quæ de populo generatim, dici non possunt. *Præterea*; nos versamur in *hypothesi* & casu extremæ necessitatis, quo scilicet ob tyrannidem Principis, vita & salus populi periclitaretur; quo eventu, æquè egeni, exteri, fœminæ & adolescentes, ac alii divites, incolæ, mares & adulti, sibi consulere possent. Porrò, passus, quos *Grotius loc. cit.* §. 8. *n.* 8. ex S. Scriptura, & authoribus tum Græcis tum Latinis, accumulat; aut explicant jus Regum, aut patientiam suadent subditis duriora patientibus. Re enim penitiùs consideratâ, clarum evadit, quòd populus ampliorem potestatem Regi nec dederit, nec dare potuerit, quàm ipse habuit; non habuit autem jus, seipsum extinguendi aut in corpus suum injustè sæviendi; proinde nec Regibus, hujusmodi jus concedere potuit. Deinde; potestas major, data est Regibus, ad conservationem & salutem populi, non ad ejus perniciem & interitum. Unde potestas, quæ in perniciem populi usurpatur, non est jus regium, sed tyrannis, & iniquitas. Itaque textus à *Grotio* adducti, illud potissimùm insinuant, propter eximium illud jus, multa Regibus etiam injusta, impunè permitti, multáque etiam dura, ferre debere populum; quia, aut abhorret à seditione, aut modum se vindicandi reperire non potest; non verò probant; nullo casu, ne post ultima quidem tyrannicæ crudelitatis exempla, jus esse populo, se liberandi. Nec Obstat: quòd Rex sit supra populum, & populus jubeatur subesse Principi. *Nam* & Consules Romani, supra populum, fuerunt; nec tamen ipsis cuncta licuére. Quando autem Christus

Luc. 22. ℣. 25. dixit: *Reges Gentium aliis dominari*; solùm indigitare voluit: illos esse superiore gradu, & dignitate eminentiore; Apostolos autem & fideles novæ legis, non debere esse ambitiosos, sed humiles, prout apparet ex contextu *ibid.* Orta enim contentione inter discipulos, quis eorum major habendus esset; docuit illos humilitatem, dicendo: quòd, qui major est, pro minore, ex virtute humilitatis, se reputare debeat. Multò minùs ad rem facit illud *Horatii*: *lib.* 3. *Od.* 1.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos, imperium est Jovis.

Nemo enim dicit, non timendum esse Regis imperium; nemóque negat; non esse potestatem *mediatè* scilicet vel *immediatè*, nisi à Deo ter optimo maximo; sed hoc dicunt viri cordati, non adulatores Regum, nec Pseudopolitici; quod cœtus populi, non sit grex *ovium*, quas pro libidine, liceat impunè occidere; sed *hominum* ad imaginem Dei conditorum, & animâ rationali atque immortali, præditorum; qui nôrint, sibi nihil esse carius, suâ salute; & Pastorem, qui in lupum degeneravit, haud esse tolerandum. Si ad nauseam usque RECANTES ex §. 6. *Inst. De J. N. G. & C.* quòd populus Regi, & in ipsum, omne imperium suum & potestatem contulerit. Nihil omnino proficis; quia populus, tyrannicum imperium, nunquam ab authore naturæ, concessum habuit, multò minùs, alteri conferre potuit. Justum, populus, Deo authore probatum transtulit in Reges imperium, quod utique populus citra extremæ necessitatis casum, repetere non potest, sed quid inde? Pono; quòd homini libero, in quem mihi potestas nulla est, gladium donaverim; ísque gladius desierit esse meus, nónne, si is gladio isthoc, ad se, vel me perdendum utatur; eundem ipsi, jure naturali, extorquere possum & debeo? Neque plus EVINCES, si cum *Grotio*, ex *Plutarcho*, dicas: *Reges imperium habere*, *non modo ex legibus*, *sed & in leges*, & eos teste *Herodoto*, pro libitu cuncta facere posse, ita ut nemini rationem reddere teneantur. Nemo enim sapientûm, Regi aut populo (in *Statu Democratico*) aliam asseruit potestatem, quàm, ut pro re nata, alias atque alias leges ferre, & priores, si inutiles appareant; abrogare possit. Unde in *XII. Tabb.* scriptum continebatur: *Quod postremò populus jussit*, *jus esto.* Siquidem, sicut rogabatur lex, ita & abrogabatur, antiquabatúrque. Nemo verò, *indefinitam* Regibus facultatem attribuit, justas & populo salutares conculcandi leges, aut tyrannidem exercendi. Etsi igitur Reges, alteri factorum suorum rationes reddere non cogantur; quia Magistratum ordinarium, coram quo conveniri possint, non habent; malè tamen exinde intuleris, eos omnia súsque déque vertendi, licentiam habere; neque à populo puniri posse, si extremè illicita, in perniciem Reipublicæ machinati fuerint. Nam & in Carthaginensium libera Republica, Imperatores à reddendis rationibus immunes erant, ante constitutum Senatum *centum Senatorum*; qui tamen, teste *Justino*, *lib.* 19. *cap.* 2. Rempublicam invadere aut opprimere pertentantes, capiebantur, & in crucem agebantur. Quò facit, quòd teste *Gronovio* ad *Grotium loc. cit.* in ipsa *Hollandia*, quædam sint Collegia, quæ rationem nemini reddunt, absque hoc, quòd Regia fulgeant authoritate, aut judicum severitatem effugiant. si atrociori in maleficio deprehendantur. *Adde:* quòd olim senatus Romanus, qui summam potestatem Regibus dederat; nihilominus *Neronem* ea potestate abutentem condemnaverit, ut dirissimo supplicio puniretur, prout *Suetonius*

nius refert *cap.* 49. Id quod & aliis ejusdem crudelitatis Imperatoribus fecisset, si semper vires habuisset.

22. Pressim contrahamus cætera *Grotii* argumenta. 1*mum* sit; quòd populus apud *Æschynum* sic Regem affatus sit.

Tu res populi, túque urbs tota es,
Non judiciis subditus ullis,
Regni solio fultus ùt arâ;
Unóque regens cuncta arbitrio.

2*dum* sit: quòd populus Regi semel constituto summam potestatem adimere non possit, exemplo mulieris, quæ viro semel electo, semper parére necessè habet. 3*tium:* Si jure belli, partum imperium; populus devictus & deditus, nihil potest in Regem, quacunque ratione deliquerit. 4*tum:* Non est universaliter verum, quòd omne regnum, eorum, qui reguntur, causâ, comparatum sit; nam, quædam regimina, sunt regentis causâ, ùt *dominicum*, id est: *herile.* 5*tum*: Esto omne regnum, populi causâ, constitutum foret; non tamen sequitur, populum esse superiorem Rege. Nam & *tutela*, pupilli causâ, reperta est; & tamen tutela est jus ac potestas in pupillum, nec pupillus est tutore superior. Neque est (inquit *Grotius*) quòd *instet* aliquis*:* tutorem, si malè rem pupillarem administret, amoveri posse, adeóque & circa Regem, idem jus esse debere; Nam (*ait*) in tutore hoc procedit, qui superiorem habet*:* at in imperiis (quia processus in infinitum non datur) in aliqua persona aut cœtu, consistendum est, quorum, scilimperantium, peccata, quia superiorem se judicem non habent, Deus *Jerem.* 25. ℣. 12. sibi peculiari curæ esse testatur qui ea aut vindicat, si ita opus judicet, aut tolerat, in pœnam aut explorationem populi. Ut optimè populum hortatus fuerit *Tacitus. lib.* 4. *Hist. cap.* 74. *Quomodo sterilitatem aut nimios imbres, & cætera naturæ mala, ita luxum & avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt, donec homines; sed neque hæc continua, & meliorum interventu, pensantur.* & *Gregorius. Episcopus Turonensis*, Regem *Francorum* sic affatus legitur [*Hist. lib.* 5.] *Si quis de nobis, ô Rex! justitiæ tramites transcendere voluerit, à* TE *corripi potest: si verò* TU *excesseris, quis* TE *corripiet? loquimur enim* TIBI; *sed, si volueris; audis: si autem nolueris, quis* TE *damnabit, nisi is, qui se pronuntiavit esse justitiam? Ratio*: quia non obtingit alicui imperium, sine Dei cura speciali; &, ùt scripsit *S. Irenæus, lib.* 5. *cap.* 24. *Cujus jussu, homines nascuntur, hujus jussu & Reges constituuntur.* Unde in Constitutionibus *S. Clementis. lib.* 7. *cap.* 16. sic habetur: *Regem timebis, gnarus à Domino electum*

23. *Ad* 1*mum* Resp. cum *Miltono. cap.* 5. ejus operis, & *Gronovio* ad *Grotium, loc. cit.* falsum esse, quòd populus simili formulâ allocutus fuerit Regem, scilicet *Danaum*, quia verba ista ponuntur ibidem in personis fœminarum peregrinarum & supplicum, quæ rogabant in tutelam suscipi & defendi contra Ægyptios, eas classe persequentes. Ubi, ùt refert *Miltonus*, ipse Rex supplicantibus respondit: se inconsulto populo, id facere nec velle nec posse. Unde (inquit *Gronovius*) magnus est error summorum virorum (*Grotii* scilicet & *Salmasii*) ex sententia fœminarum peregrinarum & suppliciter humillimeque blandientium, colligere jus Regis, & quidem apud populos Græcos, qui nunquam Reges potestate abutentes, tolerârunt. Ad 2*dum* Resp. Vitiosum à *Grotio* peti principium, ùt *Dialectici* loquuntur. Hoc enim ipsum controvertitur, quod pro ratione decidendi, assumitur; an videlicet populus, collatam semel Regi potestatem (si is pactis sive expressis sive tacitis non stet, sed

ſed perniciem regni & populi machinetur) revocare nequeat? id quod nos aſſerimus, exinde nullatenus diminuendo legitimam Regum authoritatem, quaſi verò Rex, auræ populari deſervire & omnimodè indiſcretis ſæpe & exorbitantibus populi cupiditatibus obſequi deberet. Hujuſmodi enim inſulſis, de fæce plebis, homoncionibus dici poſſet, quod *Antigonus* apud *Juſtinum,lib.* 28. *c.* 3. reſpondiſſe fertur: *Ipſi Regem quærant, cui imperent.* Ingenui enim & cordati Principis eſt, non nimis indulgere inſolenti & ſæpe laſcivienti plebi, exemplô *Auguſti Cæſaris*, de quo *Suetonius,cap.* 42. Unde, ſi veteres politici ſcripſerunt; de imperio ſolum Deum judicare poſſe; indigitare duntaxat voluerunt, juſtum & generoſum Principem, imperitæ multitudini plebis haud cedere, nec metuere debere ſeditiones, aut conſpirationes plebejorum, otioſorum & depravatorum hominum, queîs urbes hiſce temporibus,quàm maximè redundare ſolent: & hoc veriſſimum eſſe ultrò profitemur. Sed alia eſt ratio de tyranno manifeſto, de quo noſtra procedit hypotheſis. Quod de muliere virum ſibi adoptante,adducit exemplum, *Grotius*, ſatiùs ipſemet uxoratus, præteriviſſet. Quæ enim uxor ita ſubdita viro dignoſcitur, ut pati debeat, ſe à viro injuſtè flagellari, torqueri, occidi? Cur utroque jure, introducta & moribus probata divortia [non quidem, ùt Heterodoxi perperàm contendunt, inter Chriſtianos, Matrimonii conſummati *vinculum dirimentia*; ſed thori cohabitationiſve, pro re nata diſtractionem permittentia?] Cur inquam mulier, ne adulterium quidem viri, aut conjugalis debiti denegationem, ejúſque coëundi impotentiam ferre tenetur? Igitur, dum dogmaticè & diſtinctè veritatem exponere, non verò Principibus, in damnationem eorum, aſſentari debemus; non oportet *æquivocè* uti vocabulo *ſuperior*, & reipsâ decipere eos, quos erudire oportet. Utique Princeps & Magiſtratus quivis *reſpectivè*, eſt populo ſuperior; verùm, ſicut Caput *phyſicum* non præeminet corpori, ut illud premat, affligat & perimat; ita multò minùs, capiti *morali*, populi voluntate præſtituto, conceſſum intelligi ſanâ ratione poteſt, ut inſanè & inhumaniter in populum deſæviat. Taceo; quòd caput *morale* vel *artificiale*, corpus prægravans, ſine corporis interitu, tolli poſſit, ſecùs quàm caput *phyſicum* & *naturale*, quo dempto, corpus mox vivere deſinit. Unde *M. Antonino Philoſopho* & Imperatori optimo ſimilis Princeps, non ſtomachabitur nobis, ſi ita ratiocinemur: Populus liberâ voluntate conſtituens ſupra ſe Regem, eíque omnem dans poteſtatem, cum pacto tacito vel expreſſo gubernandi Rempublicam, juxta leges, ſi non humanas, ſaltem naturales & divinas *poſitivas*, & quidem in omnium & ſingulorum ſalutem; is populus jus habet Regem ſuum, qui in tyrannum, hoſtem & everſorem Reipublicæ degeneravit, exauthorandi & puniendi. Atqui *Tarquinius*, *Romanorum* olim *Imperator*, *Wenceſlaus*, *Bohemiæ Rex*, *Divi Joannis Nepomuceni improbiſſimus ſuffocator &c.* Ergo &c. Ad 3*tium* Resp. Juriſperitis & Theologis *moralia* tractantibus notum eſſe diſcrimen inter *veros*, & *quaſi-contractus*, item inter *coactos* & *voluntarios*, ſpontanea voluntate initos, & qualiter porrò in unaquaque ſpecie, obligentur contrahentes etiam cum Principe, utpote, qui in contractibus, *jure* privatorum *naturali*, cenſetur. Notum itidem eſt, quòd in hominibus juſto bello ſubactis, coacta voluntas etiam ſit voluntas, poterant enim victi, cum *Lacone* illo, apud *Senecam*, *Epiſt.* 77. potiùs velle fortiter mori,

mori, quàm servitutis perpetuæ jugum subire. Verùm, si satiùs duxerint, duriores pati legum conditiones, quàm trucidari, & vitam non recuperandam, semel amittere, suo *fato*, fors & perversitati suæ, adscribere debent, si duriora exantlare debeant; quanquam, si his promissa vitæ venia non servaretur; jus naturæ integrum maneat, sicut sæpiùs dictum. Ad 4*tum* RESP. Juxta sanæ rationis *synderesin*, falsum esse; quòd imperia etiam bello & victoriis parta, in solam vincentium utilitatem vertenda sint. Non enim duntaxat sola superficies externa, neque victoris fastuosi immoderata intentio spectanda est; sed quid Deus & natura postulet. Profectò; si justo pióque bello certatum est adversus populum injuriosum & vicinis intolerabilem; ipsi etiam victo prodest, privari effreni libertate, quâ in bonorum offensam, abusus fuit; perinde ac furioso extorqueri gladium proprium, utile & laudabile habetur. Unde victor ipse, si vir bonus est, ejus animi esse debet, cujus erant prisci Romani, *qui*, teste *Sallustio*, *victis nihil quidquam, præter injuriæ licentiam, eripiebant.* De cujusmodi victis cecinit *Rutilius Numatianus* [*vers.* 64.]

Profuit injustis, te dominante capi.

Quòd, si injusto bello, oppressus populus, Provincia subacta; tunc pro consolatione occinere licet illud *Lucani*:

Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni.

Taceo, quòd tunc multò minùs, Victor sibi, in sui solius utilitatem usurpare queat Imperium. Ut proinde rectè sic argueris: Cùm omne regnum, ex natura civitatis seu communitatis, populi magìs, quàm Regentis causâ comparatum sit; consequens est; naturæ quoque convenientiùs esse (ubi scilicet Regentis & eorum, qui regendi sunt, salus simul consistere nequit; puta: per regentis detestabilem & alioquin incorrigibilem culpam) ibi æquiùs esse, submoveri tyrannum, quàm pessumdari populum. Vide supradicta *n.* 19. ex quibus etiam eruitur RESPONSIO ad 5*tum Grotii Replicatorium*, ast nequaquam *peremptorium argumentum.* Paucis: Nos nequaquam in *thesi* contendimus, regulariter ac ordinariè loquendo, populum Regibus aut Magistratibus esse superiorem; sed duntaxat asserimus; in *hypothesi*, populo competere jus naturale se defendendi contra intolerabiles superioris injurias. Cæterum; quia per Magistratum ordinarium non potest coërceri vel amoveri tyrannus, ùt potest tutor maleversans in pupilli personam vel bona; ideo extraordinariâ opus est viâ, qua populus sibi consulat. Etenim, inter quos, ob deficientem judicis authoritatem, judicio nequit lis terminari; inter illos, jus naturæ, bellum geri, permittit. Neque ideo, ùt *Grotius* arbitratur: processus in infinitum datur; dempto enim aut domito tyranno, periculum & oppressio cessat. Imò, ne tyrannidi concedatur processus in infinitum, ideo populo crudeliter presso, non est abneganda naturalis defensio. Quòd, si *Grotius* non agnoscat processum in infinitum, in quibusdam regnis, quæ ipse fatetur fuisse *reddendæ rationi obnoxia*; cur hujusmodi processûs infinitatem, in nostra hypothesi statuit? Scimus ex *Cicerone, Philip.* 1. sublatâ per *M. Antonium* dictaturâ, *quæ jam vim Regiæ potestatis obsederat*, ùt loquitur ibidem *Tullius*, non licuisse *Romæ* creare Magistratum, à quo provocare seu appellare ad populum non liceret, nec tamen exinde *Grotius* intulit processum in infinitum. Cur igitur pro nostro casu, longiùs prospexerit; non invenitur ratio. Porrò; licet Deo, peculiari curæ sit, peccata Regum punire; ideo tamen in extremo periculo, non est ademptum jus naturale, neque hoc ibidem

dem insinuat *Jeremias*, sed minatur ibidem Deus; ubi impleti fuerint *septuaginta anni*, tum se visitaturum Regem *Babylonis*, nempe per *Cyrum*. Jam verò, cùm in arbitrio Dei positum sit, velitne Tyrannum plectere per extraneum Regem, an verò per proprium populum iniquè oppressum; quis ideo dixerit: populo præreptum esse jus illud naturale, *quia* Deus alio modo punire possit tyrannum? Quod ex *Tacito* adfertur, non tam præcepti, quàm consilii est ad quosdam, qui luxum & avaritiam dominantium ægrè ferentes, facilè majora mala sibi accersere possent. Deinde sterilitatem, aut nimios imbres, cæteráve mala ita ferimus, ut equidem quodcunque in promptu est, aut suppetit remedium, adversus ea quæramus. Denique *S. Gregorius Turonensis*, solùm ibi præpotentiam Regum indicat, non verò excludit jus populi. *Quis te corripiet*? (inquit) nempe quis Magistratus ordinarius, per quem privatus quisque corripi potest. Addit: *nisi is, qui se pronuntiavit esse justitiam*. Rectissimè. At inde non sequitur, Deum debere semper fulmen de cœlo mittere, aut tali præcisè modo, punire peccata Regis; cùm id pro beneplacito suo, possit facere, interdum per extraneos hostes; interdum etiam per proprium Regis populum, prout utriusque exemplum prostat 1. *Reg.* 2. 3. & 4. Neque Obest, quòd à *Jove* sit summus honos, ùt ait *Homerus. Iliad. lib.* 1. Nam, ùt egregiè observat Magnus Pater *Augustinus lib.* 5. *De Civit. Dei cap.* 21. *Qui Vespasianis, vel patri vel filio suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo, & ne per singulos ire necessè sit; qui Constantino Christiano, ipse Apostatæ Juliano* nempe Majestatem seu imperium contulit. Hac de re ex professo dogmatizantem, pleniùs auscultemus illuminatissimum Doctorem. *Non tribuamus* (inquit) *loc. cit.*) *dandi regni atque imperii potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cœlorum solis piis; regnum verò terrenum, & piis & impiis, sicut ei placet, cui nihil injustè placet .... Ille igitur unus verus Deus, qui nec judicio, nec adjutorio deserit genus humanum, quando voluit, & quantum voluit, Romanis regnum dedit*. Nihil igitur pro *Grotii* & ejus sequacium opinione facit; quòd imperia nemini obtingant *sine speciali Dei providentia*. Non enim ideò magis cuncta licent imperantibus. Dein; ne morbi quidem, pestilentiæ, diluvia, incendia, naufragia, sine Dei obtingunt providentia. An nec hæc mala ideo pertimescenda sunt? Sic, dum Deus in populi correptionem, sinit tyrannum imperare; non ideo laudandus aut exculpandus est crudeliter imperans; sed exacto tempore, quod *pœnæ* populi præfixit, idem Deus mittit illi Moysen, aut alium ipsi eatenus similem, qui educat ipsum de servitute. Porrò; dictum *Clementis Papæ*, mortales erudit & monet: Regem nedum bonum, sed etiam malum, timendum esse; ex quo bene sequitur: Regem etiam tyrannum manifestum atque humani generis hostem, diu tolerandum, nec facilè extrema remedia arripienda fore, etiam ex hac ratione: quod sæpe, dum malus pellitur, pejor succedat, & titulus libertatis, in duriorem servitutem vertatur. Confer *Joannem Justinum Schierschmid*. in *Elementis juris naturalis, socialis & gentium*. §. 529. *corollario 2do*.

24. Ad obviandum lusui verborum, quem quis in vocibus: *tyrannus* & *populus*, cavillationis ergò instituere posset; Observandum 1mò. Quòd hìc per tyrannum, non intelligamus Principem jure regnantem, qui per se aut per ministros, humanitus peccet; qui sit in aliqua parte imperii rigidior, durior, morosior, aut: qui

qui privatim libidini, aliisque vitiis coram Deo abominabilibus deditus sit, salvo Reipublicæ statu: sed *vel eum*; qui Rempublicam, factione, armis, malis artibus, sine lege & authoritate illorum, penes quos, potestatem deferendi jus est, exclusis itidem illis, ad quos de jure, imperium pertinet; occupârit, &, ut plerumque fit; per vim & scelera administret, populúmque emungat; *vel eum*; qui legitimo quidem jure imperium tenens, equidem ruptis societatis humanæ repagulis, ad instar *Phalaris*, *Tiberii*, *Caligulæ*, *Neronis*, in ea vitia prorumpit, quæ securitatem populi, Reipublicæ salutem, jura Procerum, leges fundamentales regni, in quas juravit, súsque déque vertere, & ultimum exitium causare, nata sunt. OBSERVANDUM 2*dò*. Nomine *populi*, hìc non venire colluviem aut fœcem plebis, aut factionem turbulentorum homoncionum conspiratione validam, quæ *sua* sunt; non, quæ Reipublicæ communem salutem respiciunt, unicè intendentem: non (inquam) homines inertes, obæratos, egentes, scurras & depravatos, aliena diripere & abligurire meditantes; sed bonos & moratiores in civitate vel Regno, majorem & sinceriorem partem omnium Ordinum vel Statuum, Principes Optimatum, ac plebis etiam Tribunos, integro statu, fortunâ, & vitæ honestioris moribus probatos; quibus cordi sit, Rempublicam salvam subsistere, qui ultima porrò servitutis & sævitiæ exempla perpessi, nullam aliam superesse videant viam expediendæ salutis.

25. Finaliter (ne quis primo obtutu, & re nòn nisi superficietenus perspectâ, nostram livido dente carpat sententiam) lectorem monuerim, quòd, ùt resipiscens *Grotius loc. cit.* §. 9. *n.* 2. loquitur, *bonitas & malitia actûs, præsertim in civilibus, quæ sæpe obscuram habent disceptationem*, id est: *Interpretationem ambiguam*; *apta non sint ad partes distinguendas. Rectè* enim vel *perperàm agere*, non est idonea mensura determinandæ potestatis, neque ejus dividendæ aut transferendæ modus generalis & regularis, præsertim in administratione rerum civitatis aut populi, ubi sæpe maturissimo consilio *decreta*, pro pessimis, in popinis & conventiculis jactitantur, prava verò & inconsulta *conclusa*, pro saluberrimis venditantur. Profectò, qui cunctis bonus & justus videatur, nasci primùm debet, quia, ùt est in veteri proverbio: *Ne jupiter omnibus placet.* Ex hactenus dictis

26. INFERES contra *Patrem Schwartz*, & quem citat *Patrem Suarez*, summam potestatem *secundùm se*, non tam à facto humano, vel gentium jure, quàm à jure naturæ, jussúque divino, *immediatè* descendere. Qui enim societatem in paradiso inter marem & fœminam præcepit, is & fœminam viro parére jussit. Quod multò magis de liberis, intuitu parentum, ex eadem naturali lege, sancitum intelligitur. Cùm igitur ad societatem tendat natura, tendit quoque ad perfectiorem societatis speciem, qualis est civitas. Jam autem civitas, ut sit perfecta; id est non *corpore* solùm, sed & *spiritu* ac *anima* quadantenus constet; imperio informari debet. Asserti nostri veritas clarior evadet, si naturalem Decalogi legem, de honorandis parentibus, recolamus. Profectò Divinum illud mandatum, naturâ Magistrâ, ita apud Ethnicos receptum & intellectum fuit; ut *parentum* vocabulo, omnes significarentur, qui aliis provisu imperióve præsunt. Cui tamen non refragatur, quòd, ùt supra dictum, à facto hominum profectum sit; quòd talis vel talis regimis forma introducta sit. Vide infra *n.* 96.

27. Pariter probare non possumus eos,

 qui

qui non nisi in remedium corruptæ naturæ, imperii necessitatem agnoscunt. Profectò, si primævam sanctitatem retinuisset homo, non minùs tamen imperandi parendíque ordine usus fuisset, quàm societate, quæ sine tali ordine, homine indigna esset. Si REPONAS; hominem, si non peccâsset, spontè fecisse, quæ facienda fuissent, adeóque nullâ vi, nulláque coactione, quam imperium importat, opus fuisse. RESP. Verum esse, quòd imperium etiam in invitos exerceatur, ast non in illos tantùm, sed etiam in promptissimè obedientes, ùt patet in Angelis bonis divinam voluntatem lubentissimè exequentibus. Sicut igitur non sequitur, in morigeros nullum esse imperium, eò quòd in civitate *oderunt peccare boni*, *virtutis amore*; ita nec rectè illud asseritur, quod quidam in oppositum statuunt.

28. Vereor etiam, ne minùs accuratè differamus; si cum *Ferdinando Vasquez*, & aliis, quos sequitur *Pater Schwartz*, *part. 2. tit. 1. Instit. jur. publici. universalis. pag. m. 91.* dixerimus: imperium esse à jure naturæ *non præcipiente*, sed *suadente* duntaxat; quanquam enim ratio naturalis suadeat imperandi & parendi ordinem in societate vel civitate; inde tamen non rectè arguitur: quòd suadeat *tantum*, & non insuper præcipiat. Magìs à vero deviant, qui commemoratis civitatum imperiorúmque, quibus vis initium dederit, exemplis, totam de jure quæstionem, cum facto humano confundere aggrediuntur. Esto enim plerisque imperiis, *vis* dederit originem; priùs tamen fuerunt constitutæ civitates, cum ordine imperandi & parendi, quàm eis vis inferretur, & libertas adimeretur: neque unus, multos subigere potuit, antequam substiterit inter multos societas, cujus viribus aliquis utens, aut quæ suis ipsa viribus freta, aliis populis vim inferret. Tenendum igitur est: imperium, seu ordinem imperandi & parendi, esse à Deo & lege naturæ; esto facti humani sit, quod hîc & nunc, sub tali vel tali forma, justè & legitimè exerceatur, vel etiam iniquè usurpetur.

29. Objectum seu materia *circa quam* versatur Majestas, sunt res, quæ summæ potestati subjiciuntur, quas *Lampadius. De Republica Germ. part. 1. §. 15.* divisit in *sacras* & *profanas*, & *has* subdivisit in *civiles* & *bellicas*. Verùm; quia summa potestas extendit se circa res varias, item circa personas & actiones; ideo non adeò proclive est, objecti ejus *adæquati* partes singulas enumerare. Unde quidam subsistunt in generali divisione, partes singulas subticentes, & quasi in carcere concludentes. Nos hac in parte, *Grotium* imitantes, dicimus: Majestatem, seu summam potestatem versari vel circa *universalia*, condendo leges sacras vel profanas, prout scilicet Majestas est sacra, vel merè profana; non verò, ùt heterodoxi volunt, quòd Rex sit simul Pontifex, aut regi competat *per se* potestas circa sacra, (hoc enim commentum satìs refutavimus *lib. 1. cap. 14. à n. 18.*) vel circa *singularia*, eáque vel *directè publica*; cujusmodi sunt, vel *actiones*, puta: *pacis*, *belli*, *fœderum &c.* vel *res*, ùt: *dominium eminens*, *vectigalia &c.* aut *privata*; puta; negotia privatos homines concernentia, circa quæ in controversiis, jus decerni debeat. De his singulis summæ potestatis partibus, videri merentur, qui specialiter de juribus Majestatis tractant.

30. Ad discernendum, quis reverà Majestate, seu summâ potestate gaudeat; cavendum est; ne ambiguo nominis sono, aut rerum externarum specie decipiamur. Quanquam enim in rigore loquendo *Principatus* & *Regnum*, sive: *Rex & Princeps* dis-

differant; videmus tamen hæc vocabula sæpe pro *synonymis* accipi. Sic, ùt refert *Tacitus*, apud veteres Germanos; Principes, Regio titulo insignes erant, qui tamen duntaxat præerant *authoritate suadendi*, non *potestate jubendi*; ècontra Romani Imperatores, postquàm palàm, & sine ulla dissimulatione, regnum liberrimum seu absolutissimum tenuerunt; Principes tamen vocari non recusabant. Taceo; quòd & quarundam liberarum civitatum temporariis moderatoribus, Regiæ Majestatis insignia, etiam hodiedum, attribuantur; ùt patet in Duce *Venetiarum*, cui attribuitur coróna & titulus *Serenitatis*. Si

31. PETAS: num discrimen summi Imperii, & Imperii *summo minoris*, hauriendum sit ex diversitate modi quo defertur? RESP. Multos quidem contendere, quòd împeria *successione* delata, sint *summa*; summis verò *minora* sint, ad quæ *electione* perventum sit. Ast id universim & regulariter, verum non est; quia ad potestatem Monarchicam, nihil interest, successione, an electione, delatum fuerit imperium. Quinimò successio non dat *formam* imperio, sed tantùm est veteris imperii continuatio; siquidem *jus familiæ*, in primo electo cœptum & radicatum, succedendo continuatur; adeóque, quantum prima electio tribuit; tantum defert successio.

32. Hîc disputari solet: num *perpetuitas*, sit Majestatis proprietas? An verò dari possit Monarcha temporarius? *P. Ignatius Schwartz, loc. cit. pag. m.* 90. Problematicè hanc tractat quæstionem, & lectoris arbitrio relinquit, quid sentire voluerit. Ante Resolutionem *Notâsse* juvabit; quòd aliud sit, de re ipsa, *quò ad substantiam & quidditatem*, loqui; aliud *de modo rem habendi*. Eadem enim res seu species rei. v. g. Ager ab uno haberi potest pleno jure *proprietatis* seu dominii, ab altero, non nisi jure *usufructuario*; ab uno in perpetuum; ab alio ad tempus. Hoc prænotato, RESP. Absolutè loquendo; dari posse Monarcham *temporarium*. Ratio *Grotiana* est; quia, sicut tempus non est mensura jurium privatorum, ita nec jurium publicorum, proinde nec summæ potestatis; sed in moralibus, rerum natura, ex operationibus, colligenda est. Quare, quæ facultates eosdem effectus habent; eodem nomine nuncupandæ, & ejusdem naturæ, reputandæ sunt. Exemplum demonstrativum habemus in regno *fideicommissario*, eâ lege alicui delato; ut: si fratri vel agnato nascatur filius; *huic* regnum restituat. Talis, enim qui nascituro hujusmodi filio regnum restituere porrò debet; ante ejus nativitatem, verè Majestatem habet, quia omnia in civitate independenter ab aliis, proprio nomine disponit, neque ipsius actus, ab ullo mortalium, irritari possunt; & dum regnum porrò restituit; à nullo homine superiore cogitur, sed fidem, quam defuncto Regi dedit, exsolvit.

33. Alia, quæ in confirmationem hujus rei, adfert *Grotius* exempla de *Dictatoribus* olim *Romanis*, Item de Administratoribus & Curatoribus regni; idonea non sunt, ut argumenti vicem tenere possint, ùt bene observârunt *Horn. lib.* 2. *c.* 10. §. 3. *Conringius*, *de regno* §. 4. *Zieglerus de jure Majest. l.* 1. *c.* 1. §. 41. & *Boëclerus ad Grot. lib.* 1. *c.* 3. §. 11. Profectò *Dictaris* potestas à Regio imperio non tantum *tempore* differebat, sed & ipso instituto & formâ rei. Nisi enim abusivè, impropriè, & analogicè, *Summum Imperium*, Majestatémve accipiamus; *Dictatoribus* Romanis neutiquam competiit summum imperium, de quo tamen unicè hîc quæstio est. *Dictatura* enim *Magistratus* erat, cujus quantacunque potestas, à *summa* semper dependet, cujus vices, pro modo com-

commissæ potestatis, præstat. Unde non illud tantùm spectari debet, quantum *Dictatori* commissum sit, sed *à quo*, & *in quantum* sit commissum. Demus, primis *Dictatoribus*, ùt refert *Livius Hist. lib.* 3. *c.* 20. plenam, sine exceptione, potestatem, à qua non licuerit provocare, concessam fuisse; inde tamen nondum conficitur; summum & absolutum imperium fuisse penes *Dictatorem*. Esto enim populus Romanus aliquando *inappellabilem* Dictatori concesserit judicandi potestatem (qualem & modò, in Imperio nostro *Romano-Germanico*, Serenissimi Principes Electores habent, exceptis certis casibus, de quibus vide *Vitriarium illustratum. Instit. jur. publ. lib.* 3. *tit.* 8. *lit. b.* (equidem populus Romanus) idem est de Imperatore nostro *Romano-Germanico*) non privavit se supremâ judicandi potestate, cujus vices alteri fiducialiter commisit. Credidit enim populus Romanus, & apud nos Imperator Germanus, *argumentô* Aureæ Bullæ, *cap.* 10. & 11., eos, qui ob singularem industriam (explorata ipsorum gravitate & vitæ integritate) ad hujusmodi Dignitatis fastigium elevantur, haud aliter judicaturos esse pro sapientia & recta conscientia sua, quàm ipse foret judicaturus, argumentô *l. unic. ff. de Officio Præfecti Prætorio*. Quid (inquam) si totius regni administrationem Rex aliquis commiserit *Triboniano*, ùt *Pharao* delegaverat *Josepho*? Anne *Triboniani* vel *Josephi*, à quibus etiam sit provocare interdictum, potestas; an verò delegantis authoritas considerabitur?

34. Historiæ *Livii*, *lib.* 6. *c.* 38. & *lib.* 8. *cap.* 33. Item *lib.* 32. *c.* 11. & 23. ac 25. inhærendo, fidémque hujus authoris contemporanei, sequendo; hîc cum *Boëclero* observamus; quòd etsi ab initio, adversus *Dictatorem Romanum* non valuerit provocatio (eò quòd vice populi, Magistratum gesserit) postea tamen ex *Plebescito*, quin & *Senatûs consulto*, quêis formula mandati, *Dictatori* præscripta legitur; ab ejus sententia appellare concessum fuerit. En! productis *Livii* de provocatione à *Dictatore ad populum*, verbis, *Bodinus lib.* 1. *de Republ. cap.* 8. Sic discurrit: *Quibus verbis planum fit*, Dictatorem *neque Principem, neque Summum fuisse Magistratum, ùt plerique putârunt, sed* Curatorem, *quem nostri*, Commissarium *vocant: nec aliud ei tributum fuisse, præter curationem belli gerendi, aut seditionis sedandæ, aut Reipublicæ constituendæ, aut Magistratuum creandorum, aut clavi figendi*. Minus probant *thesin* propositam, quæ *Grotius* de Administratoribus aut Regni Curatoribus, adfert; constat enim illos, alienum jus tractare, non *suum*, actúsque ipsorum irritos reddi posse, vel à populo, vel à Rege.

35. Cùm dixerimus, *modum habendi summum imperium*, distinguendum esse ab ipso imperio; hinc non otiosè *quæsiveris*: an *summitas* imperii subsistere possit, sine habendi plenitudine? *Grotius lib.* 1. *de J. B. & P. cap.* 3 §. 14. Certum esse ait; non modo plerque *imperia summa*, non plenè haberi, sed & multa *non summa*, haberi *plenè*, ut: *Ducatus*, *Marchionatus* & *Comitatus*: quæ propterea faciliùs, quàm regna, vendi vel testamento relinqui possunt. Igitur; *Majestas*, seu Imperii *summitas* subsistere potest, sine habendi, seu exercitii *plenitudine*. Quò facit; quòd Augustissimo Imperatori nostro *Romano-Germanico*, utique competat Majestas, summa dignitas, reverentia & authoritas, nullo etiam Imperii Principe existente, qui eundem non recognoscat pro Domino & Imperii Capite; vocant enim eum, *Clementissimum Cæsarem & Dominum suum*, atque ab eo in genua prostrati, feuda accipiunt. Vide *Samuel. Stryck. in fin. Examinis Feudal.* Cui tamen

men non obest; quòd solus non exerceat omnia jura *Majestatica*, sed in quibusdam indigeat concursu & consensu *Statuum*; prout hodie Imperator nullas leges universum imperium obligantes, solus, sine *Statuum* consensu ferre potest. Confer *Vitriarium Illustratum. Instit. jur. public. lib.* 1. *tit.* 7. *De Capitulationibus*. Consule quoque *Bœclerum. Instit. politic. lib.* 3. *cap.* 8. *pag.* 191.

36. Consequenter hîc QUÆRI potest: An imperium desinat esse *summum*, si imperaturus, Deo aut subditis aliqua promittat? RESP. Si Deo aut subditis promittat solùm observare ea, quæ sunt juris *Divini*, *naturalis*, aut *Gentium*; ad quæ omnes Reges, sine speciali promissione, aliunde obligantur; summum imperium, nec diminutum nec ademptum, neque aliis communicatum intelligitur. Verùm, si promittat se in exercendo summo imperio, certas regulas observaturum; videndum; an promissio tantùm cadat in exercitium actûs. v. g. *Nolo gerere bellum, sine communicato cum regni Statibus consilio*; & summum adhuc manebit imperium penes solum Regem. An verò promissio cadat etiam *directè* in ipsam facultatem; v. g. *Nec volo, nec possum gerere bellum, nisi de consensu Statuum*; tunc enim *summum* quidem manet imperium, sed solus non retinet, quia facultatem communicat cum *Statibus* regni; adeóque, si contra *priùs promissum* faciat; actus tantùm erit *injustus*, Si *contra posterius*; erit etiam *nullus*, propter defectum facultatis. Ita ferè *Grotius loc. cit.* §. 16. *n.* 1. & 2. & ex illo *Vitriarius*.

37. Itaque, si Princeps promiserit aliquid, quod ad jura Majestatis pertineat, sive partes summi imperii concernat, v.g. se non laturum leges, non gesturum bellum, nisi de sententia *Ordinum*; tunc videri potest, partem summi imperii, aliis communicâsse, neque summam potestatem integraliter retinuisse, quod secus est, si promiserit, juraveritve aliquid, non ad ipsum jus imperii, sed ad modum imperandi utendive illo jure, pertinens. An autem Princeps hoc vel illud fecerit, ex ipsa promissi vel jurisjurandi formula, item ex locutionis argumento hauriendum est. Multùm enim interest, *facultatem imperandi* promittendo jurandóve restringat determinétve Princeps, an verò voluntatem suam *liberè* declaret. Potest enim, imò fieri plerúmque solet, ut Princeps absolutus, juret; se jus sine ambitione & odio, dicturum; consuetudines patrias non neglecturum; bonorum civium consilio usurum; & generatim omnia facturum; quæ ad Reipublicæ salutem & incrementum conducibilia videbuntur; nec tamen ideo imminutum censetur summum imperium. Nec OBEST: quòd jurans, se hoc vel illud facturum, vel non facturum, videatur sibi adimere facultatem aliter faciendi. Nam id quidem verum est, loquendo *in genere moris*; quantum scilicet ad officium & Religionem jurantis attinet, quatenus quis id facere non posse dicitur, quod sine Divini Numinis offensione fieri non potest: fallit autem, si de summa potestate, quasi *physicè* & secundum existentiam loquamur. Summa enim hæc civilis potestas, non nisi expressâ formulâ diminuitur, puta: aut illam alteri communicando, aut ex parte abdicando. Ut: si quis ita juret: hanc partem potestatis ego solus non exercebo, sed socios agnoscam hos illósve; aut: si quid præter promissa fecero, judicabunt & punient me illi istive. *Priore* enim modo communicâsse videtur Majestatem; *posteriore*, in eventum, abdicâsse. Qui enim puniri & judicari potest, non videtur habere Majestatem, nisi, quod bene notandum; Princeps Religiosissimus,

fissimus, ex fiducia justitiæ suæ, ultrò alterius arbitrio sese submiserit, non ut ab eo, tanquam superiore, judicetur & puniatur; sed, ut iniquitatis aut erroris convictus, in se puniat & emendet, quod malè gesserat. Hac ratione, nî fallor, Rex Hispaniæ in Belgicis Provinciis, olim contra se, voluntariè Tribunal quodpiam instituit, ex quo tantum abest, ut Majestatem suam diminuerit, ut è contra, illam magis venerabilem reddiderit. Hoc ergo rectè dixeris, & verum manet; quòd, si summa potestate præditus, aliquid ex animo promiserit; *naturaliter* obligetur coram Deo, cui omnis mortalium potestas subdita est; verùm, quò ad civilem obligandi rationem, non suppetit humana facultas, quæ hujusmodi obligationem exequatur, & exposcat promissa ab invito. Fieri enim nequit, ut quis sit & maneat summâ fulgens potestate, postquàm cum civibus super aliqua imperii parte contraxit, iisque ita strictè se obstrinxit, ut invitus cogi queat. Quocirca; qui hæc duo convenire & in una sede morari fecerit, id quod fieri nequit, fecerit, & quæ intelligi non possunt, dixerit. Cæterùm; argumentum, quod *Grotius loc. cit.* ab exemplo familiaris & maritalis imperii deducit, parum, imò nihil probat, quò ad propositum. Alia enim est ratio potestatis Regiæ, & summæ cicilis; alia potestatis maritalis, non summæ, familiaris & œconomicæ. Quinimò omnium Theologorum & Canonistarum judicio, si quis cum sponsa ita contrahat, ut se alteri adulterandam tradat, conceptionem prolis impediat; alteri post certum tempus nubat &c. non efficitur maritus, eò quòd ejusmodi conventiones repugnent substantiæ Matrimonii, ac convellant (ùt Theologi loquuntur) bonum *fidei*, *prolis*, & *Sacramenti.*

38. Sub incudem juvabit revocâsse verba *Grotii. loc. cit. n. 2. Fatendum tamen* (inquit) *id ubi fit, arctiùs quodammodo reddi imperium, sive obligatio duntaxat cadat in exercitium actûs, sive etiam directè in ipsam facultatem ..... Neque inde sequitur, ita promittente, superiorem dari aliquem*; nullus *enim hic actus hoc* [scilicet secundo] *casu, non redditur* ex vi superiore, *sed* ipso jure. Ubi Observandum 1mò. Obligationem cadere in exercitium actûs, quando v. g. Rex jus habet, tributa aut vectigalia exigendi; sed ad certum quendam modum tantùm, aut in certo genere rerum. Obligationem autem cadere directè in ipsam facultatem, quando Rex pro imperio, nullum potest tributum vel vectigal exigere, sine consensu populi vel ordinum. Observ. 2dò. Ex tali promissione non sequi quidem, quòd alius, cui promissio facta, evadat superior; sequi tamen; promittentem eatenus non manere superiorem, adeóque actum *nullum* esse, *ob defectum facultatis*, sive ob abdicatam in tantum facultatem superioris, de qua quæstio erat.

39. Subjicit ibidem *Grotius n. 3.* Varia exempla Regum absolutorum, qui tamen ad multarum rerum observantiam obstricti fuerint. Sed, ne confusè & intricatè loquamur; identidem pensitandum est; quomodò Rex scilicet obligetur; an per modum voluntatis liberè declaratæ, & sine imminutione summi imperii; an per modum facultatis ademptæ, sive diminutæ summæ potestatis. Utriúsque enim generis exempla prostant. Principis etiam jurata promissio, ex *forma* & *fine* libranda est. Alius enim jurat, ut Princeps fiat; ita, ut nisi jurato hæc & ista prævie promiserit; Princeps fieri & esse nequeat. Alius autem jurat, ut jam factus Princeps, & talis mensurus; licet non juraret. Priore casu, jusjurandum est *conditio sine qua non:* in altero casu, ad

ad solemnia delati Principatûs refertur.

40 Quæstionem aliam movet *Grotius. loc. cit n.* 4. Quid nempe judicandum sit, si additum fuerit*: ut Rex regno cadat*, *si fidem fallat*? Respondétque *: nec sic quidem imperium desinere esse summum*, *sed* habendi modum *esse imminutum per conditionem*, *atque imperium hujusmodi evadere non absimile* temporario. *Sic* (inquit n. 5. *fundus*, *qui fideicommisso tenetur*, *id. est : qui aliquando alteri restituendus est*, *est quidem fundus noster*, *non minùs*, *quàm*, *si pleno dominio possideretur* ; *sed habetur amissibiliter*, *possessione scilicet non perpetua*. Verùm, si lex *commissoria*, in ipsa regni delatione, à populo adjiciatur; non video, quomodo Rex sit exemptus à judicio populi, cui vigore istius clausulæ, competit potestas cognoscendi, an Rex fidem fefellerit ? Non video (inquam) quid multum differat casus iste, ab altero; quem *Grotius* infra §. 17. ponit, ubi scilicet additum: quòd Rex promissa non servans, cogi aut puniri possit.

42. De Majestate *profana*, ejus subjecto *existentiæ*, aliisque eò pertinentibus, sat hactenus actum esse reor; adeóque jam properandum est ad Majestatem *sacram*, ut de ejus *existentiæ subjecto* dispiciamus, ac perpendamus quæstiones, quas Heterodoxi, hac in parte, movent, & nos Catholicè resolvere debemus, ut scopum *Ethicæ* nostræ *Christianæ* assequamur.

43. Majestatis definitionem supra *n.* 1. & 2. hujus *capitis* dedimus & exposuimus. *ibid. n.* 5. Majestatem generatim acceptam divisimus in *Sacram* seu *Ecclesiasticam*, & in *profanam*, *sæcularem*, seu *civilem*. Prima igitur quæstio esse posset; an detur Majestas *Sacra* super terram? &, supposito, quòd detur; an distincta & separata sit à summa potestate laïcali seu civili? Neminem sanè inter illos, qui Christianorum nomine gloriantur, adeò insipidum & dementem esse arbitror, ut Jesu Christo, & Deo Incarnato, dum pro salute nostra, inter homines in terra conversatus fuit, neget, in sensu rigorosissimo, Majestatem competivisse sacram; Hoc autem supposito, sic argumentor: Christus ascensurus in cœlum, alicui certæ & determinatæ personæ, vices suas & vicariam potestatem demandare debuit; tum quia instituit regnum *Monarchicum*, utpote perfectissimum ; tum quia Ecclesia est ovile, domus, regnum, exercitus, corpus: Ovile autem nequit esse sine certo & determinato Pastore, eóque unico, nec domus sine Patrefamilias, nec regnum, sine Rege; nec exercitus sine Imperatore; neque corpus sine capite unicissimo ; Atqui Vicaria potestas, quam Incarnatus Dei Filius, Divo Petro [& in ipso, omnibus ejus successoribus] *Matth.* 10. & 16. Item *Joan.* 21. dedit, est summa, absoluta, perpetua, legibus humanis soluta, & à nemine mortalium dependens: ergo rigorosissimè est *Majestas sacra*. Vide affatim dicta *lib.* 1. *cap.* 14. *à n.* 18. *usque ad* 38.

44. Obgannias, dicásque, inde quidem evinci, *Petro* Apostolo, à Christo summam *circa Sacra*, fuisse datam potestatem, sed inde non concludi evidenter, quòd pari authoritate & facultate divinitus muniti sint *Petri* successores. *Contra* est. Ecclesia non potuit manere *acephala*, sed in ea vigére & permanére debuit summa potestas circa sacra; adeóque, cùm Divus *Petrus*, Christo, post ascensionem ejus in cœlum, surrogatus, & summa isthac potestate donatus, morte prohiberetur in finem usque mundi permanere; evidenter & necessariò concludi debet; quòd alius semper & alius, pari jure & potestate divinitùs præditus, Divo Petro Apostolorum Principi, succedere debuerit. Hanc prorsus indubitabilem sequelam

lam agnoſcens *œcumenici Concilii Florentini* Sacer cœtus, ſancivit hiſce formalibus: *Definimus Sanctam Apoſtolicam Sedem & Romanum Pontificem, in univerſum orbem, tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum, Succeſſorem eſſe S. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium.* Quod ipſum antea definivit Concilium *Nicænum 1mum, can. 6.* & *Nicænum 2dum, Act. 2. can. 2.* quibus Conciliorum ſancitis, conſonant textus apertiſſimi, juris Canonici in *cap. Quanto. De tranſl. Epiſc. cap. Solitæ. De Majorit. & Obed.* & *Extrav. Unam ſanctam. eod. tit.* inter *communes.* Sed & juris Civilis ſuffragatur authoritas, profitetur enim Imperator *Juſtinianus* longè ante *Lutheri, Calvini* aliorumque inter ſe diſcordantium *Sectariorum* modernorum tempora, ſe agnoſcere in Romano Pontifice, *cæleſte arbitrium. l. 1. Cod. De Summa Trinit.* Unde inter illos, quibus mens non omnino depravata eſt, vix dubitabit aliquis, an in Eccleſia Chriſti, detur Majeſtas Sacra, vel: an ea competat Divi *Petri* legitimis ſucceſſoribus? Porrò quæſtionem, An poteſtas ſumma *circa ſacra*, diſtincta ſit à laïcali Majeſtate? & num *Rex*, ſit ſimul *ſummus Pontifex*; ſolidè reſolutam invenies, *lib. 1. cap. 14.*

45. Oppones. Non *Petro* quà *Petro*, ſed quà gerenti figuram Eccleſiæ, dixit Salvator: *Tibi dabo claves &c.* atque ita docet *Auguſtinus, tract. 50. in Joan.* inquiens: *Petrus quando claves accepit, Eccleſiam Sanctam ſignificabat.* Ergo Eccleſiæ univerſali, data eſt ſumma poteſtas, reſidens penes omnes Epiſcopos; adeòque Status Eccleſiæ eſt *Ariſtocraticus*, non *Monarchicus.* Resp. Ex eodem Magno Patre *Auguſtino, tract. 124. in Joan.* Divum Petrum *propter Apoſtolatûs ſui primatum, figuratâ quadam generalitate*, Eccleſiæ geſſiſſe perſonam, ſicut Princeps pangendo fœdus, figurat & repræſentat totam Rempublicam. Sicut autem ſummus Princeps Majeſtate pollet civili & profanâ; ita & *Petrus* totam Eccleſiam Chriſti repræſentans, tanquam ſummus Vicarius, *ſummam* circa ſacra, conſecutus eſt poteſtatem. Atque per hoc refutatur argumentum, quod nobis opponit *Obſtraët. De locis Theologicis. tom. 2. Diſſert. 5. pag. mihi* 448.

46. Instabis. Chriſtus *Lucæ 22.* noluit unum Apoſtolorum, cæteris prædominari, ſed id proprium eſſe dixit Regibus Gentium. *Reges Gentium* (inquit) *dominantur eorum*, vos *autem non ſic; ſed, qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator.* Ergo nec *Petrus*, nec ullus Apoſtolorum ſucceſſor, ſupremam & independentem in alios habet poteſtatem. Resp. Noluiſſe quidem Chriſtum, ut unus Apoſtolorum, ad inſtar *tyranni*, cæteris, pro lubitu imperaret; non tamen ſuſtuliſſe primatum & majoritatem, quam *Petro* dedit; ſed duntaxat juſſit; ut, qui *major* reverà eſt, ex humilitatis virtute, fiat *ſicut minor.* Quo ſenſu dixit Divus Pater *Auguſtinus* in Regula: *Ipſe autem qui prælatus eſt vobis, non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſerviente, felicem.*

47. Dices. Unius corporis, non eſt, niſi unicum caput; ſed myſtici Eccleſiæ corporis, caput eſt Chriſtus, *1. Corinth. 3.* Ergo. Resp. Unius corporis myſtici, non eſſe niſi unum caput vel *inviſibile, Divinum* & omnium creaturarum ſupremum; vel *viſibile, humanum*, & *ſubordinatum inviſibili divino capiti*; non autem, quaſi per divinum inviſibile caput, quod eſt Chriſtus, excludatur caput humanum & viſibile, quod eſt ſummus Pontifex. Unum caput *morale*, alteri ſubordinari poſſe docet Apoſtolus *1. Corinth. 11. ℣. 3.* inquiens: *Volo autem vos ſcire, quod om-*

omnis viri caput, *Christus est*: *caput autem mulieris*, *vir*, *Caput verò Christi*, *Deus*. Quidnî igitur Christus jam in cœlis regnans, habere possit Vicarium generalem, qui *militanti* in terris, præsit Ecclesiæ, tanquam corpori *mystico?*

48. Replicabis. Spiritus S. plures constituit *regere Ecclesiam Dei*. *Act*. 20. Ergo non attribuit uni primatum & supremam potestatem, alias iste posset dici Episcopus universalis, quòd *Gregorius Magnus*, *lib*. 4. *indict*. 13. *epist*. 32. *ad Mauritium Imperatorem*. item *Epist*. 36. & 38. *blasphemum* reputavit. Resp *Dist*. Spiritus S. constituit plures *uni subordinatos*. Concedo. *Nulli subordinatos* Neg. Noluit autem *S. Gregorius* nuncupari Episcopus *universalis*, hoc sensu; quasi in se solo sit potestas Ordinis Episcopalis, & quasi non haberet alios Coëpiscopos, potestate *Ordinis* sibi æquales, perinde ac Divus *Petrus* habuit coäpostolos, sibi in hac potestâte pares. Quod verò Papa, id est: *Pater patrum*, quò ad potestatem jurisdictionis & supremi regiminis, sit *universalis* Ecclesiæ *Episcopus*, definivit *Pelagius II. in Constit*. 1. quæ incipit: *Manifesto*. ac refertur *tom*. 1. *Bullarii Romani*. Habet enim *Papa*, pro Diœcesi sua, totum orbem. *cap*. *Ad honorem*. *De Authorit*. & *usu Pallii*. éstque Ordinarius Ordinariorum. *can*. *Cuncta per mundum*. *caus*. 9. *quæst*. 3. *Glossa*, *in cap*. *cum nullus*. ℣. *in eadem*. *De temporib*. *Ordinand in* 6. habens concurrentem potestatem cum omnibus Ordinariis. *can*. *cit*. *Cuncta per mundum*. *cap*. *ult*. *De foro compet*. & *cap*. *Si eo tempore*. *De election*. *in* 6. Ita, ut ex omnibus mundi partibus, liceat ad Papam appellare, omisso etiam medio. *Can*. *Ad Romanam*. *caus*. 2. *quæst*. 6. Quique potestatem suam non ab hominibus, sed immediatè à Deo habet, prout aliquoties ostensum, & rursum pro superabundanti, infra *n*. 60. demonstrabimus

49. Urgebis. SS. Patres passim ajunt, omnes Apostolos, & signanter *Paulum* habuisse parem potestatem cum *Petro*. Ergo. Resp. Hanc esse cantilenam, quam à *Gallis*, Galliâ extorribus, didicerunt miseri quidam, alioquin non indocti Pastores *Batavi*, qui Ecclesiæ *Ultrajectinæ* jura sustinere & defendere volentes, per adoptatas à proscriptis hominibus sententias, nedum Romanæ Curiæ, sed & toti Europæ, se de *Janseniana* aut potiùs *Quesnelliana* hæresi suspectos, quin & condemnabiles reddidére. De his infra redibit sermo. Interim ajo: SS. Patres intelligi debere, *de potestate Ordinis* & facultate prædicandi Evangelium ubique terrarum, cum omnimoda quidem jurisdictione in alios, ast salvâ ipsorum subordinatione ad *Petrum*. Nec mirum est, quòd *Paulus* speciali ratione æquiparetur & jungatur *Petro*; Id enim fit, tum *quia* plus cæteris Apostolis laboravit; tum quia, *Petrum* constanter & inseparabiliter adjuvit in fundanda Ecclesia Romana. Ex quo prodiit stylus Bullarum, quibus Romanus Pontifex, meritis horum *individuorum* Apostolorum confisus, mandare, prohibere, dispensare, & summi Pastoris munera, explere solet.

50. Quid (Inquies) Adhuc sub judice lis est, an *Petrus* unquam fuerit *Romæ?* Resp. Si hoc in dubium revocare velis, nulla in orbe valebit fides *historica*; quia nihil ita Sanctorum etiam Patrum testimonio roboratum est; quàm hujus historiæ veritas. En! *S. Hieronymus*. *lib*. *De Scriptoribus Ecclesiast*. sic scribit: *Simon Petrus*, *post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ*, secundo Claudii anno, *ad expugnandum Simonem Magum*, *Romam pergit*, ibique viginti quatuor annis, *Cathedram Sacerdotalem tenuit*, usque ad ultimum annum Neronis, *id est*, decimum quartum ejus imperii. Id quod colligitur

ex *Epistola* 1. *Petri cap.* 5. ibi: *salutat vos Ecclesia, quæ est in* Babylone *collecta.* Ubi per *Babylonem* intelligitur *Roma*, tunc adhuc propter idolorum multitudinem & confusionem, vera *Babylon*, teste Magno Patre *Augustino*, *lib.* 18. *De Civit. Dei. cap.* 21. sub *init.* ubi sic habet: *Ne multis morer, condita est Civitas* Roma, *velut altera* Babylon, *& velut prioris filia Babylonis, per quam, Deo placuit, orbem debellare terrarum.* Hanc veritatem idem Magnus Pater manifestiùs demonstrat *Epist.* 105. ubi à Divo *Petro* usque ad *Anastasium* enumerat Pontifices, qui *Romæ* successivè Cathedram tenuêre; adeóque *Epist.* 162. asseveranter dixit: *In Ecclesia Romana semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Adde, quæ S. *Maximus* Episcopus scripsit *Homiliâ* 5*tâ. de SS. Apostolis Petro & Paulo. In quo* (inquit) *tandem loco Martyrium pertulerunt? In urbe Roma, quæ principatum & caput obtinet nationum: scilicet, ut ubi caput Superstitiones erat, ibi caput quiesceret Sanctitatis, & ubi Gentilium Principes habitabant, illic Ecclesiarum Principes morerentur.*

51. Obsistes. Si *Petrus* fuerit viginti quatuor annis *Romæ*, cur *Paulus* ad Romanos scribens, *Petri* non meminit? Imò 2. *Ad Timoth. Romæ* scribens, ait: *omnes me dereliquerunt.* Non enim est credibile, *Paulum* derelictum fuisse à *Petro*, si hic fuisset *Romæ*. Resp. *Paulo* ad Romanos scribente, *Petrum* ex concilio Hierosolimitano, cui cum *Paulo* & aliis Apostolis, interfuerat; necdum tunc fuisse *Romam* reversum, & ob hanc causam, salutatis aliis, *Romæ* existentibus, *Petri* non meminisse, quippe, cui coram, sat supérque locutus fuerat. Igitur *Paulus* ibi conqueritur se derelictum ab omnibus, qui authoritate suâ ipsum tueri potuissent apud Cæsarem, quod non poterat *Petrus* absens. Cæterùm, ex antiquissima historia Ecclesiastica. Scimus, quòd Divus *Petrus* primùm quidem Antiochiæ sederit, ordinato tamen pro se, & inibi relicto *Evodio*, Romam transtulerit Cathedram Pontificiam, ac eò venerit, anno. post passionem Christi, *decimo tertio*, secundo anno Imperii *Claudii* Cæsaris, inibique 25. annis; id est: usque ad annum à passione Domini 36*tum*; Neronis verò 14*tum*, Evangelium prædicaverit, Simonem Magum profligaverit; tandémque à Nerone, capite in terram verso, cruci affixus fuerit. Confer *Chapeaville* in Gestis Pontificum *Tungrens. Traject.* & *Leodiens. Tom.* 1. *cap.* 4. *pag.* 7. ibi in *Annotationib.*

52. Replicabis iterum 1*mò.* Si Romano Pontifici competeret summa judicandi potestas, posset ad ipsum ex omnibus mundi partibus, judicialis interponi appellatio; sed hoc negant Concilia; præsertim illud *Carthaginense* cui interfuit *Magnus P. Augustinus.* Ergo. 2*dò.* Si, ùt asseritur, summum Pontifici Romano datum esset imperium; posset omnes Sacros Canones abrogare & Patriarchas, Metropolitanos & Episcopos totius mundi pro libitu deponere: Sed hoc non. Ergo *&c.* Ad 1. Resp. *Neg. mi.* Non enim Concilia negant, aut in dubium vocant jus Pontifici assertum, sed eundem *rogant*, ut propter locorum intercapedinem & appellantium facta invertentium versutiam, tam facilè non admittantur appellationes *ultramarinæ*, atque hoc ipsum est, quod rogabat *Divus P. Augustinus*, ùt patet legenti ejus Epistolas ad Innocentium & Bonifacium Pontifices. Ad 2*dam Replicam* Resp. *Negando* utramque *Sequelam*, Tum, *quia* plerique sacri canones, sunt, aut juris *naturæ*, aut *Divini positivi*, aut illi omnino affines & conformes; de quibus meritò dixit *S. Martinus Papa* 1. *Epist.* 9. *Canones Ecclesiasticos solvere non pos-*

possumus, qui defensores & custodes canonum sumus, non transgressores. Atque inter hos canones etiam sunt illi, qui præscribunt formam deponendi Episcopos; ut proin illos, non possit deponere pro lubitu. Tum *quia*, licet ex rationabili causa, possit Pontifex abrogare vel alterare canones, qui sunt *juris purè Ecclesiastici*; causâ tamen rationabili non subsistente, vi, non quidem *coactivâ*, sed *directivâ*, tenetur se illis conformare, argumentô deductô, à communi sententia, quam Theologi tradunt, agentes de legibus. Hæc, ut pleniùs intelligas & argutias citati authoris *Obstraët* pleniùs detegere queas.

53. Observabis: quòd in summo Pontifice (idem cum proportione est de Imperatore, vel alio summo Principe) duplex reperiatur potestas; una scilicet *Ordinaria*, quæ scilicet sequitur ordinem *juris positivi*, & regulatur secundùm limites dispositionis illius: Altera *extraordinaria*, *absoluta* sive *suprema*; quæ & *plenitudo potestatis* appellatur; secundùm quam *Papa* est supra omne jus positivum humanum, docente *Divo Thoma. Quodlibeto* 4. *art.* 14. cui, cum agmine Theologorum, adstipulantur *Geminianus consil.* 53. *circa Princip. Fagnanus in cap. ex parte. n.* 4. *De convers. conjugat.* Et hæc potestas talis ac tanta est, ut non recipiat interpretationem *restrictivam*, ùt loquitur *Baldus*, in *cap. Nisi cum pridem. n. 6. De renuntiat.* Itaque Doctores, de hac plenitudine potestatis loquentes, concorditer statuunt; Romanum Pontificem, pro utilitate Ecclesiæ ac ovium sibi concreditarum salute, posse dispensare in omni jure Ecclesiastico, ùt patet ex *cap. Proposuit.* 4. *De concess. præbend.* ubi Pontifex inquit: *Qui secundùm plenitudinem potestatis*, de jure *possumus* supra jus *dispensare.*

54. Hanc assertionem, Doctores prorogant etiam ad *Canones Apostolorum*, illos videlicet, quos Apostoli tanquam Ecclesiæ moderatores condiderunt, ùt puta: *de jejunio Quadragesimali*, *observantia Dominicæ*, *De subeundis pœnitentiis*, per Canones Apostolorum, in reos certorum criminum, sancitis, & hujusmodi. prout colligitur ex *can. Presbyter. Dist.* 82. junctâ *Glossa* ibid. ✝. *Apostolorum.* Dixi: *quos tanquam Ecclesiæ moderatores &c.* Siquidem inter omnes convenit, quòd *Papa* nequeat dispensare in illis Canonibus Apostolicis, quos Apostoli, non tanquam Ecclesiæ Prælati & Rectoros, primùm condiderunt; sed, jam à Christo Authore acceptos, velut ministri Ecclesiæ, promulgârunt atque observandos tradiderunt: ùt puta: *De Baptismo parvulorum*; *De confirmandis baptizatis*; *De indissolubili vinculo Matrimonii consummati*, & hujusmodi. Confer *Suarez lib. 6. De legib. cap.* 14. *n.* 2. *Azor. part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 15. *q.* 4. *Layman. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *n.* 3.

55. Addidi supra *n.* 53. *Pro utilitate Ecclesiæ.* Nam summo Pontifici, potestas data est à Domino, *in ædificationem, non in destructionem*, ùt loquitur Apostolus, 2. *Corinth.* 10. & 13. Unde, licet *Papa* absolutè queat; non tamen decet, eum semper uti plenitudine potestatis. *Hostiensis.* in *cap. Super eo. n.* 4. & *ibid. Fagnanus. n.* 18. *De Bigamis non ordin.* Sed eum præ oculis habere oportet utilitatem Ecclesiæ, oviúmque concreditarum salutem; ne, si secus fiat; non tam dispensatio, quàm dissipatio dici mereatur. Quanquam nefas sit, quidpiam sinistri, temerè suspicari de summa sede, quæ à nemine judicatur, & de cujus judicio disputare non licet. *can. Si quis.* §. *Qui autem.* & *can. nemini. caus.* 17. *q.* 4. & cujus Statutum sic reputari debet, ac si de ore

ore Dei, vel *B. Petri* esset prolatum. *can. Sic omnes. Dist.* 19. & *cap. Inter corporalia. De transfat. Episc.* junctâ *Glossâ ibid.* ỳ. *Divina.*

56. Ex dictis, deducunt Canonistæ, quod Papa non possit dispensare contra universalem Statum Ecclesiæ. *Arg. can. Etsi illa. caus.* 1. *q.* 7. & notat *Glossa* in *cap. Proposuit.* ỳ. *Dispensare. De concessione Præbend.* Quod ipsum tamen *Abbas Panormitanus ibid. n.* 14. rectè limitat & intelligit; si, ex tali dispensatione seu immutatione, *non decolaretur Status Ecclesiæ.* Quocirca, si ex hujusmodi immutatione, non decolaretur Ecclesiæ Status, sed subsit rationabilis causa mutationis faciendæ; tunc indubitatè asserendum; quòd Papa possit circa unum alterúmve punctum, alterare non tam *Statum*, quàm *Statutum* universalis Ecclesiæ. Sic in *cap. Non debet. De consang. & affinit.* in Concilio generali sancivit, ut consanguinitas & affinitas, quæ olim in *quinto*, *sexto* & *septimo gradu*, Matrimonium contrahi prohibebat, imò contractum dirimebat; deinceps, ultra quartum gradum non constituat impedimentum; quod ipsum, in Concilio *Tridentino* renovatum, cum addita reformatione circa impedimentum, *publicæ honestatis*, & *cognationis spiritualis*.

58. Quòd Episcopi non possint *regulariter* loquendo, dispensare, quò ad Sacros Canones, Constitutiones Apostolicas, aut Decreta Conciliorum Generalium; liquidò constat, ex *can. Nulli caus.* 25. *q.* 1. *can. Institutiones. caus.* 25. *q.* 2. *cap. Quod super.* 9. *De maj. & obed. cap. penult. & ult. De filiis Presbyt.* junctâ *Glossa* in *cap. Cum dilectus.* ỳ. *Ætate. De elect.* Ex ratione; quòd dispensatio sit actus jurisdictionis; Episcopus autem, utpote inferior respectu summi Pontificis vel Conciliorum generalium, nihil possit. Dixi *regulariter*. Dantur enim *specifici* casus, quibus, Episcopis, in jure data reperitur dispensandi facultas. Casus istos indagare poteris ex *cap. penult. De Electionib. cap. At si.* §. *fin. De judiciis. cap.* 1. *De filiis presbyt. in* 6. *cap. Cum eo. De Electión. in* 6. juncto Concilio *Tridentino. sess.* 24. *cap.* 6. *De reformat.* Confer *Barbosam. part.* 2. *De officio & potest. Episc. Allegat.* 33. *n.* 22. *Felinum* in *cap. At si.* §. *De adulteriis. n.* 1. *De judiciis. Rebuffum. in praxi Benefic.* §. *De dispensatione. n.* 30. *Pirbing* ad *tit. De offic. judicis ordin. n.* 87. *Navarrum* in *Manuali. cap.* 21. *n.* 21. Sed

58. Hic incidit quæstio, quid dicencendum: si quis, puta, *Papa* vel Episcopus (idem servatâ semper proportione, est, de *Imperatore*, vel alio judice subalterno) sine causa rationabili, dispenset in lege videlicet merè humana? Resp. 1mò. Si ipse legislator aut ejus successor ita dispenset; *validè* quidem, sed *illicitè* agit. Ratio *primi* est; quia, sicut obligatio legis *in fieri* dependet à voluntate legislatoris; ita & *in conservari*; proinde, sicut potuit legislator ab initio, personam aliquam vel certum casum, lege suâ non comprehendere; ita deinceps illam, vel illum, ab ejus obligatione eximere non prohibetur. Ratio 2di est; quòd sine rationabili causa dispensans, non tam dispensator, quàm bonæ disciplinæ dissipator videatur, Vide Concil. *Trident. sess.* 25. *De reformat. cap.* 18. Resp. 2dò. Si inferior absque legitima causa, dispenset in lege superioris, circa quam alioquin, superioris indultu, dispensare valeret; nedum *illicitè*, sed & *nulliter* & *invalidè* agit. *Ratio*: quia in tantum inferior dispensare potest in lege superioris, in quantum id ipsi indultum: non est autem credibile, quòd superior concesserit inferiori facultatem pro libitu suo dispensandi & temerè legem suam infringendi. Ergo. Confer

fer

fer *Reiffenstuel. in Theolog. morali. tract. 2. dist. 4. n. 16. & seq.*

59. Ne ulteriùs digrediamur; putem, satis demonstratum esse, quòd Papæ seu Romano Pontifici, *primatialis* & *majestatica* competat potestas *sacra* circa sacra, id quod Magnus *P. Augustinus Epist. 265.* Ad *generosum*, ex continua successione, ad sua usque tempora, probat his verbis: *Petro successit* Linus, *Lino* Clemens, *Clementi* Anacletus: ..... *Damaso* Siricius, *Siricio* Anastasius ... *In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur .... In illum autem ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium, qui nunc eandem Cathedram tenet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subscripsisset; nihil præjudicaret Ecclesiæ.* Si jam consequenter

60. Petas: Num hæc summa potestas spiritualis, Papæ competat, & data sit immediatè à Deo? Resp. Ita docere omnes Ecclesiæ Patres, prout fusè contra Hæreticos demonstrat *Bellarminus lib. 2. De Romano Pontifice, cap. 17. & seq.* Christus enim ipsemet immediatè commisit Divo *Petro*, & *in Petro* omnibus ejus legitimis successoribus hanc potestatem. *cap. solitæ. 6. De majorit. & obed.* Atque idipsum clariùs expressum habetur in Extravag. *Unam sanctam. De majorit. & obed. inter communes.* Ubi de hac Ecclesiastica potestate sic legitur: *Est autem hæc authoritas (etsi data sit homini & exerceatur per hominem) non humana, sed potiùs divina, ore divino*, Petro *data, sibique suisque successoribus, in ipso, quem confessus fuit* petra *firmata* : *dicente Domino ipsi Petro*: Quodcunque ligaveris *&c.* Consonat textus notabilis in *cap. Quanto. 3. De translat. Episcop.* Unde *S. Gregorius Magnus. lib. 4. Epist. 32. ad Mauritium. Cunctis* (inquit) *Evangelium scientibus liquet, quòd beatissimo & omnium Apostolorum Principi Petro, Dominica voce, totius Ecclesiæ cura, commissa est.* Atque hoc ipsum *Obstraët loc. cit. §. 2.* invitis dentibus, cum tota Ecclesia *Gallicana* fateri cogitur, licet *quæst. 2 §. 1.* contendat Generale Concilium esse supra Papam.

61. Quamobrèm non mirandum, quòd celebratâ semel canonicâ electione, præstitóque in eam Cardinalium consensu, Romanus Pontifex absque alia confirmatione, imò etiam ante suî consecrationem, mox habeat authoritatem regendi Ecclesiam universalem. *can. In nomine Domini. Dist. 23.* & *Extravag. Quia nonnulli. De sent. excom.* Inter *communes.* Quod secus est in aliis Episcopis & Prælatis inferioribus, qui ante obtentam confirmationem, non habent jus administrandi. *cap Nôsti. 9. cap. Qualiter. 17. De election. & cap. Avaritiæ. 5. eod. in 6.* Idque, ex ratione disparitatis; quia scilicet Prælati inferiores, recognoscunt superiorem in terris, suámque potestatem, non *immediatè* accipiunt à Deo, sed mediante summo Pontifice, à quo vocantur *in partem sollicitudinis*, non *in plenitudinem potestatis. Can. Qui se scit. caus. 2. q. 6.* ac proinde indigent superioris confirmatione.

62. Hactenus dicta, ùt vides: procedunt de summa Pontificis potestate *spirituali*, non de illa temporali, quam Papa exercet in ditionibus temporalibus, quas mero jure humano, videlicet ex donatione *Constantini Magni*, & aliorum Imperatorum & Regum, possidet.

63. Adhuc (inquis) magnoperè disputatur; An *Constantinus Magnus*, hanc reapse fecerit donationem; aut, si facta fuerit *de facto*; an *jure* fieri potuerit? quod utrumque negant *Vitriarius. Instit. jur. publ. lib. 2. tit. 4. §. 4. Bœclerus. in Not. imperii. lib. 2. cap. 2. Carpzovius, Ad Legem Regiam Germanorum cap. 7. sect. 6. n.*

n. 18. & 19. ac alii passim *Sectarii*, contra quos omnes, classici Authores Catholici tradunt; quod *Constantinus Magnus*, Imperator zelo Catholicæ fidei motus, desiderans Sedem Romano-Apostolicam, temporali quoque adjutorio & Majestate splendescere; insignem illam ac munificentissimam *Beato Sylvestro I.* Papæ, ejúsque successoribus, donationem fecerit, qua *annuentibus omnibus Satrapis*, *consentientéque toto Senatu*, interalia imperialia jura, Romanam urbem cum tota Italia, in quantum imperio tunc suberat, concesserit in perpetuum. Id quod

64. *Probatur* in primis ex *can. Constantinus.* 13. & 14. *Dist.* 96. Ubi instrumentum hujus donationis refertur. Et quanquam apud Scriptores *Sæculi IV.* mentionem imperialis istius munificentiæ haud reperiri, contendant aliqui; reverà tamen non destituitur authoritate & testimonio antiquissimorum gravissimorúmque Patrum, *Damasi* scilicet Pontificis, *SS. Isidori*, *Bernardi*, *Hieronymi* & ruraliorum summorum Pontificum, in *can. cit.* & *Clementina* 1. ℣. *Porrò. De jure jurando.* ubi demonstrant: *Carolum Magnum*, *Henricum II. Othonem IV.* & *Fredericum II.* donationem à *Constantino* factam confirmâsse & innovâsse. Vide *can. Ego Ludovicus.* 30. *Dist.* 63. ubi *Ludovicus* Romanorum Imperator sic personat: *Statuo & concedo per hoc pactum Confirmationis nostræ, tibi Beato Petro Principi Apostolorum & per te Vicario tuo Domino* Paschali *Summo Pontifici & universali Papæ & successoribus ejus in perpetuum, sicut à Prædecessoribus nostris, usque nunc, in vestra potestate & ditione tenuistis & disposuistis; Romanam civitatem cum Ducatu suo & suburbanis &c.* Hujus etiam donationis tenorem de verbo ad verbum refert, *Albericus De Rosate.* in *l.* 1. §. *In initio. n. 6. ff. De Offic. Præfecti urbis.* & in *Lateranensi* Ecclesia conservari tradit *Paulus Grisaldus.* in *Decisionib Catholicæ fidei. Verb. Imperator. n.* 2. cámque donationem ab Hæreticorum cavillationibus, tum rationum, tum authoritatum cornucopiâ, defendunt & comprobant Cardinalis *Turrecremata*. *De potestate Ecclesiæ. lib.* 2. *cap.* 42 *Corsetus. in tractatu. De potestate Regia. quæst. fin. n.* 3. *Hieronymus de Monte. De finibus regundis. cap.* 11. *n.* 11. & *seq. Covarruvias, lib.* 4. *Var. resol. cap.* 16. *n.* 8. *Mantuanus. Observ.* 100. *Melchior Canus. De locis Theologicis. lib.* 11. *cap.* 5. *Alphonsus de Mendoza, in quodlib. q.* 4. §. 4. *vers.* 5. *Navarrus, in cap. Novit. De judiciis. n.* 77. *Menochius, Consil.* 149. *n.* 39. *Molina, De justitia. tract.* 2. *Disp.* 25. Cardinalis *Bellarminus. in controvers. fidei. Tomo II. lib.* 2. *De translatione Imperii. cap.* 3. & denique Cardinalis *Baronius*, *ad annum Christi* 324. quem *Vitriarius* loco supra *cit.* falsò in suam trahit partem, siquidem præfatus Cardinalis ibidem *pag. mihi* 267. & *sequentibus*, laboriosè & operosè demonstrat, quòd *Eusebius Pamphili*, Episcopus *Cæsareæ Palestinæ*, Arianorum Antesignanus, in gratiam *Constantis* Imperatoris, pariter Arrianâ labe infecti, primus scripserit; *Constantinum* non fuisse *Romæ*, à Beato *Sylvestro*, sed *Nicomediæ*, anno ætatis suæ, 63. ab *Eusebio Nicomediensi Episcopo Ariano*, baptizatum, quam fabulam *Baronius* loco *cit.* vel exinde detegit: quòd prælaudatus *Constantinus*, diu ante mortem, cum *Persis* & aliis certaturus, ne *lixam* quidem voluerit, nisi undâ Baptismatis tinctum, proficisci in hostem; tum ex eo; quòd Ecclesiæ orationibus, communioni Paschali, & Conciliis Patrum, sæpe interfuerit; quod Catechumenis non erat permissum. Unde (pergit *ibid. Baronius*) *dum D. Ambrosius, in Oratione habita in funere Theodosii, as-*

asserit: Constantinum; in vitæ ultimo penè articulo baptizatum, inductus fuit per mendacia præfati Eusebii, cujus fidem obiter secutus fuit. Et quomodo tantis encomiis *Constantinus* à Latinis Græcisque Patribus celebratus esset, si ab *Ariano*, in articulo mortis, baptizatus fuisset? Nec obest, quòd in Chronico *Hieronymi* dicatur *Constantinus* in extremo vitæ suæ tempore, ab *Eusebio Nicomediensi Episcopo* baptizatus, & in *Arianum* dogma declinâsse. Nam ℞*det* ibidem *Baronius* hæc non à S. *Hieronymo*, sed ab alio quodam corruptore, addita fore: cui argumentô est; quòd ipse *Hieronymus* agens contra *Vigilantium*, sanctarum reliquiarum cultum spernentem, probet; *Constantinum* reliquias *SS. Andreæ*, *Lucæ & Timothei*, transtulisse *Constantinopolim*, quod sanè non fecisset, nisi probè Catholicus fuisset. *Causa igitur erroris est* (prosequitur *Baronius*) *negligentia Librariorum aut malitia scriptorum, qui loco* Constantis, *qui reverà Arianus fuit*, Constantinum *posuerunt.* Quò minùs verò dubitare queas de veritate eorum, quæ à *Constantino* gesta sunt; lege eundem *Baronium*, *loc. cit. pag. mihi* 273. *& seq.* ubi articulatè refert; quas Pientissimus ille Imperator, per septem dies, quibus in albis erat post Baptismum, pro Christiana Religione leges tulerit, quibus privilegiis Romanam Ecclesiam honoraverit, quas Basilicas ædificari curaverit; quásque porrò donationes in honorem Apostolorum *Petri & Pauli*, Romæ fecerit. Unde nequaquam audiendi sunt *Lambetius*. in fine *Tomi V. Bibliothecæ Cæsareæ. Papebrochius. Tom. V. Act. Sanctor. mensis May. in vita Constantini Magni*, qui contra suprà citatorum Patrum fidem Historicam, imò contra *S. P. Augustinum* mox verbotenus allegandum, contendunt: *Constantinum* propediem moriturum, *Ni. A. Hochkitchen, Ethic. Christ. Pars II.* *comendat* ab *Eusebio*, *Episcopo Ariano*, baptizatum fuisse. Facessat etiam *P. Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson*, recens scriptor ex Ordine *PP. Prædicatorum*, qui *Tomulo* 1. *suæ Historiæ*, absque ullo verisimili fundamento, in dubium vocat, quæcunque inter *Constantinum* Imperatorem & *Sylvestrum* Papam, intercessisse, ab aliis classicis Scriptoribus, referuntur, ùt: Baptizationem prædictam, donationem urbis Romæ, curationem Imperatoris à lepra, & id genus alia. Et sanè author iste, sibi manifestè contradicit, dum asserit: *Constantinum* vidisse in sole, vexillum crucis, cum Epigraphe: *In hoc vince.* atque eundem hoc crucis trophæo animatum, profligâsse *Maxentium* in ponte *Milvio*: deinde ob hanc partam insignem victoriam, totis viribus defendisse & latissimè propagâsse Christianam Religionem; multa in gratiam Christianorum antea oppressorum, tulisse Edicta, quibus, ablatas Ecclesias, iis restitui jusserit: fidem Christianam, in toto imperio, liberè promulgari mandâsse: omnes subditos suos è densissimis, quibus immersi erant Idololatriæ tenebris, ad splendidissimam fidei Christianæ lucem reducere maximoperè studuisse; falsorum Deorum delubra vel obserari, vel omnino everti præcepisse: Diei *Dominicæ* celebrationem, in toto Romano Imperio, edixisse: magnificentissimas extruxisse basilicas; debitam Episcopis authoritatem asseruisse ac vindicâsse: ad componenda inter Christianos enata dissidia; sæpe arbitrum egisse: Sepulchrum Christi Domini, *Jerosolymis* detegere meruisse, ibidémque in oppido *Bethlehem*, nobilissimum templum exstruxisse. Quæ omnia (ut de *Helena* Matre ejus Religiosissima, nihil dicam) quomodo vera essent, si *Constantinus*, usque ad extrema vitæ suæ tempora, fuisset *Gentilis*, aut *Cathecbumenus*,

menus, & tandem ab Episcopo *Ariano* baptizatus? Videat ergo citatus *Amat de Graveson*, quàm inopis sit judicii, dum *Tom.* 1. *secul.* 4. *pag. secundùm impressionem Romanam*, *mihi* 243. imprudenter, ne dicam scandalosè in dubinm vocat, baptismum *Constantini*, à S. *Sylvestro* Papa collatum, id quod Ecclesia fatetur in lectionibus *secundi nocturni* in festo illius Sancti. Sanè & suam prodit ignorantiam Canonum, quibus id disertè asseritur, ùt liquet ex dictis. Porrò totius Historiæ fides evidenter stabilitur ex Magno Patre *Augustino*, Vicino istorum temporum teste. En accuratissimus ille temporum evolutor & veritatis indagator [*Anno salutis* 413. quo libros viginti duos, *De Civitate Dei*, conscribere cœpit, & *anno* 415. absolvit, ùt notant in *Præfatione* in *Tomum VII.* Monachi ordinis S. *Benedicti*, è congregatione *S. Mauri.*] *lib.* 5. *De civit. Dei. cap.* 25. sic scribit: *Nam bonus Deus, ne homines, qui eum crederent propter æternam vitam, colendum, has sublimitates & regna terrena, existimarent posse neminem consequi, nisi Dæmonibus supplicet, quòd hi spiritus in talibus multùm valerent; Constantinum Imperatorem non supplicantem Dæmonibus, sed* ipsum verum Deum colentem, *tantis terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet: cui etiam condere civitatem* [*scil.* Constantinopolim] *Romano Imperio sociam, velut ipsius* Romæ *filiam, sed fine aliquo Dæmonum templo simulacróque concessit .... sed rursus, ne Imperator quispiam, ideo Christianus esset, ut felicitatem.* Constantini *mereretur, cùm propter vitam æternam quisque debeat esse Christianus.* Jovinianum *multò citiùs, quàm* Julianum *abstulit*; Gratianum *ferro tyrannico permisit interimi, longè quidem mitiùs, quàm Magnum* Pompejum *colentem veluti* (videlicet *veriùs*) *Romanos Deos.* Ex quibus *Augustini* verbis liquidò colligitur: *Constantinum* nec in finem vitæ suæ distulisse Baptismum, neque ab Episcopo *Ariano* baptizatum fuisse, id quod certè Hæreticorum malleus & Arianorum debellator indefessus, non ignorâsset. Quamobrèm meritò reprehendendus est *P. Carolus Renatus Billuart*, qui *Tom.* 3. *cursûs sui Theol. Digressione 2dâ. pag. mihi* 568. & *seq.* Quorundam Neotericorum criticorum sententiam secutus, ex *Papebrochio*, *Antonio Pagi*, *Natali Alexand. Tillemontio*, & *D. Fleury* evincere nititur, quòd *Constantinus Imp.* non fuerit *Romæ* à *S. Sylvestro*, sed *Nicomediæ*, ab *Eusebio* Episcopo *Ariano* baptizatus. Siquidem ex errore isto, *Protestantes* varias conclusiones *in jure publico* derivant peræquè falsas, ac statui Romanæ Ecclesiæ injuriosas. Profectò, si fatus Pater *Billuart* perpendisset, quæ Correctores Romani notârunt ad *can. Constantinus. cit.* adeò imprudenter non fuisset secutus sciolorum quorundam temeritatem; neque in dubium vocare ausus fuisset veritatem ab antiquis & fidedignissimis Patribus: *Anselmo*, *Deudedit*, *Usuardo*, *Adone*, *Leone IX.* & aliis affertam. Si

65. Opponas cum Authore *Notarum* ad *Vitriarium*, *lib.* 2. *Instit. jur. publ. tit.* 4 *litt. A.* Donatio *Constantini magni* refertur sub rubrica Palea, quæ vox denotat figmentum aliquod, canonémque istum, cui adjecta est, fore nullius momenti & quadantenus *Stramineum*. Resp. Si canones *palea* inscripti, fabulosi & commentitii forent; certè Pontifices, illos dudum è corpore juris dudum expunxissent. Noveris igitur illa *Capitula*, quæ *palea* inscribuntur, fore additamenta quædam, à quodam *Cardinali*, volente sibi totius operis structuram vendicare, adjecta; quæ *Gratianus* Monachus ordinis *S. Benedicti*, *Decreti* compilator, agnoscens de

de suo non esse grano; *paleas* vocavit: qua de re confer *Anacletum Reiffenstuel.* in *Proœmio Juris Canonici universi. à n. 94.*

66. Insurgunt turmatim Novatores ferè omnes, inter quos moderatior est *Grotius.* Non potuit [*ajunt*] Imperator in damnum Imperii, tam amplas facere donationes, quia in sua Coronatione jurat; se honorem & Imperii jura servaturum illæsa & illibata, adeóque isthæc donatio, suppositô, quòd facta fuerit, nedum *inofficiosa* & *illicita*, sed & *invalida* fuit. *arg. cap. Intellecto. De jurejurando.* *Respondent* Orthodoxi omnes, in donatione per Imperatorem *Constantinum* liberrimè imperantem, & nullis *Capitulationibus* adstrictum (ùt modò sunt, Imperii nostri *Romano-Germanici* Imperatores) factâ Romanæ & Apostolicæ Sedi, minimè posse considerari grave Imperii præjudicium; tum quia, si plura dent Imperatores Deo, multò majora ab eo recipient, ùt eleganter ait textus, in *Authent. De non alienandis rebus Ecclesiæ. §. Si minùs collat* 2. Quinimò, quod Ecclesiis donatur, redditur Deo, à quo omne bonum & donum optimum provenire, Apostolus docuit. Quamobrèm, cum David 1. *Paralip. cap. ult.* dicere potuit *Constantinus*: *Tua sunt omnia Domine, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Tum quia terras, quas donavit, præcedentium Principum tyrannide, fuerant occupatæ, & jure gladii, per *Constantinum* acquisitæ; adeóque illas, velut rem sibi pleno jure propriam, Ecclesiæ donare potuit. Tum denique quia *Constantinus*, ingentibus beneficiis à Deo acceptis, scilicet in curatione lepræ, victoriâ contra *Maxentium*, *&c.* Divinitus permotus est ad donationem illam faciendam, considerando: quòd oporteret Ecclesiam Romanam diu afflictam, temporalium etiam bonorum subsidio refocilari & muniri.

67. Obsistunt: Saltem solus *Constantinus* dismembrare non potuit Imperium. *Resp. Transeat* hoc [quod cum bono fundamento negari potest de illa parte, quam proprio *Marte*, Imperator acquisivit, sicut Constantinus sibi subegerat *Italiam*] & *Nego suppositum*; quia donatio præfata, non à solo *Constantino*, sed cum consensu, aut saltem præscitu *Satraparum*, *Optimatum*, *Senatûs*, & *Populi Romani*, solemnissimè facta est, ùt probat textus, in cit. *can. Constantinus.* & in *cap. Fundamenta. De Election. in 6.* Jam verò nemo dubitare potest, quòd populus, qui summum Imperium in unum caput contulit, *l. 1. ff. de Constit. Princip.* Illud quoque consentiente Principe, in alium transferre potuerit. Nam *omnis res*, *per quascunque causas nascitur, per easdem & dissolvitur*, ùt habet regula juris Canonici.

68. Replicant: Cæsares, nomen Romani Imperatoris constanter retinuerunt, & sæpe protestati fuêre contra donationem à *Constantino* factam Ecclesiæ. Ergo Pontifex nequidem præscriptione longissimi temporis, se tueri potest. Resp. Datô, quòd *Constantini* successores, eo tempore, pro Imperium apud Græcos residebat, quodam colore, conqueri potuerint de effusa Imperatoris liberalitate; minimè tamen querulari potuerunt Imperatores *Germani*, ad quos *à Græcis*, non *per Græcos*, sed *per Romanum Pontificem*, Imperatoria Majestas translata est. *Cap. Venerabilem. de Election.* & fusè refert *Navarrus* ad *cap. novit. de judiciis. n. 3. & 124.* ac fusissimè *Cardinalis Bellarminus*, per integrum Tractatum, *De translatione Imperii Tom. I.*

69. Redeundo ad Sacram Summi Pontificis Majestatem, contra quosdam *Gallos* contendentes Summum Pontificem Romanum, duntaxat esse primum inter alios Episcopos *sibi pares*; Notanda sunt in-

insignia verba præstantissimi *Gersonis* olim *Cancellarii. Parisiensis*, qui *lib. de Stat. Eccles. consid.* 1. sic perorat: *Status Papalis Institutus est à Christo supernaturaliter & immediatè tanquam Primatum habens Monarchicum & Regalem in Ecclesiastica Hierarchia, secundùm quem statum unicum & supremum, Ecclesia militans dicitur* una *sub Christo, quem statum quisquis impugnare vel diminuere, vel alicui Ecclesiastico Statui particulari coæquare præsumit; si hoc pertinaciter faciat;* HÆRETICUS EST, SCHISMATICUS, IMPIUS ATQUE SACRILEGUS. Nec sufficit dicere [inquit idem præclarissimus & pientissimus Author, *lib. de auferib. Papæ. Consid.* 20.] habemus Papam *Christum*: sufficit, ut credamus in eum. *Nam talis unio ad Christum, etsi sit necessaria, non tamen usquequaque sufficit, ut in ea stemus, non procurando, quantum in nobis est, unionem alteram, ad unum Vicarium Suum in terris, de quo constat Ecclesia.* Gersonem sequitur *Sorbona Parisiensis*, quæ *Anno* 1535. in litteris ad Regem *Franciscum* scriptis, ita loquitur: *Firmiter tenendum est, Hierarchiam Ecclesiasticam, quam Politiam Ecclesiæ non nulli vocant, non solùm Sanctam esse, sed etiam jure Divino institutam; cujus Hierarchiæ Ecclesiasticæ, eodem jure Divino, Monarchica potestas est Papalis, cui quilibet fidelium subesse dignoscitur.* Refert hæc *Mauclerus* Doctor *Sorbonicus. part.* 4. *lib.* 8. *cap.* 6. Idem Scriptor ibidem refert; qualiter *Lutheranis* professionem fidei suæ *Francisco I.* offerentibus, instante Rege iisdem *Lutheranis* reposuerit *Sorbona: An velint confiteri, Ecclesiæ caput visibile sub Christo Divinitus constitutum fuisse? An Sanctum* Petrum, *dum viveret, & post ejus obitum, in pari dignitatis supremæ gradu, Romanos Pontifices illi successisse; ingenuè profiteri & agnoscere velint?* Unde & inter articulos *Luthero* oppositos, hic erat *vigesimus tertius: Certum est, unum esse, jure Divino, Summum in Ecclesia Christi militante Pontificem, cui omnes Christiani parére tenentur.* Qualiter eidem definitioni inhæserit *Sorbona, Anno* 1554. videre licet, apud *Petrum Aurelium*, in scripto, cui Titulus: *In octo causas spongiæ præambulas &c. pag.* 123. & *seq.* Facultas itidem *Parisiensis* censuravit hunc ex erroribus *Hus* depromptum, & à *Marco Antonio de Dominis*, in ejus *libro primo, cap.* 12. *n.* 5. adoptatum articulum, videlicet: *In Ecclesia non dari unum caput Supremum & Monarcham, præter Christum: suam Ecclesiam per multos ministros, sine uno isto Monarcha mortali, regere perfectè & gubernare, est doctrina Catholica, à S. Patribus egregiè explicata & confirmata.* Hunc inquam articulum, hac censurâ, meritissimè notavit: *Hæc propositio est hæretica, quò ad singulas partes.* Confer *Franciscum Rothomagensem Archiepiscopum, Apol.* 1. *lib.* 1. *Duvallium*, in opere contra *Vigorium. Bail. Tom.* 1. *in Apparatu ad Summam Conciliorum.* Item *Habertum, in lib. de singulari primatu Petri.* Scholæ *Parisiensi* consonat venerabilis Clerus *Gallicanus*, in Declaratione, quam de Ecclesiastica potestate edidit 19. *Martii* 1682. Ubi infulati Patres sic præfantur: *Ecclesiæ Gallicanæ Decreta & libertates, à Majoribus nostris, tanto studio propugnatas, earúmque fundamenta Sacris Canonibus & Patrum Traditionibus nixa, multi diruere moliuntur; nec desunt, qui earum obtentu, Primatum Beati Petri, ejúsque Successorum Romanorum Pontificum à Christo Institutum, iisque debitam ob omnibus Christianis obedientiam .... imminuere non verentur.* Audiamus porrò *Natalem Alexandrum*, qui *Parisiensium* & Saniorum *Galliæ* Doctorum nomine, sex sequentia *Divi Thomæ* pronuntiata, in opusculo *adversus errores Græcorum*, pro certissimis dogmatis, tenenda asserit:

1.

1. *Romanus Pontifex Successor Petri, & Christi Vicarius, est primus & maximus omnium Episcoporum.*

2. *Summus Pontifex in tota Ecclesia*, [S. Thomas, in totam Ecclesiam] *universalem prælationem obtinet.*

3. *Romanus Pontifex habet in Ecclesia plenitudinem potestatis.*

4. *S. Petrus est Christi Vicarius, & Romanus Pontifex S. Petri Successor in eadem potestate ei à Christo collata.*

5. *Ad Summum Pontificem pertinet, quæ fidei sunt, determinare.*

6. *Subesse Romano Pontifici, est de necessitate salutis.* Secundùm præscriptam à *Pio IV.* Pontifice Maximo Professionis fidei formulam, totius Orbis Christiani reverentiâ consecratam: *Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram agnosco, Romanóque Pontifici, B. Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro.*

" Etsi verò [prosequitur *Natalis Alexander*] in aliis capitibus, quæ salvâ fide ,, Primatûs, *Jure Divino*, Romano Pon- ,, tifici convenientis, inter Catholicos, ,, salvâ etiam pace fraternæ Charitatis, ,, more Christiano, modestéque discep- ,, tantur; utrum scilicet Concilium Oe- ,, cumenicum sit Romano Pontifice Su- ,, perius? Utrum Romanus Pontifex in- ,, consultâ Ecclesiâ, & nullo ipsius acce- ,, dente consensu, sit infallibilis? *&c.* à ,, plerísque exterarum Gentium Theo- ,, logis, Gallicani Doctores dissentiant; ,, nihil propterea de observantia erga Se- ,, dem Apostolicam, & S. Petri in ea Suc- ,, cessores, remittere censendi sunt, aut ,, ejusdem Sanctæ Sedis imminuere Ma- ,, jestatem." Ita pro *Gallis* perorat dictus *Natalis Alexander* in *Hist. Eccles. sæculi XI. & XII. Dissert.* 8. & ex eo *Obstraët, Tom.* 2. *de locis Theologicis. Dissert.* 5. *q.* 1. Hîc NOTA Quòd Pater *Natalis Alexander* Ordinis FF. Prædicatorum, Doctor Parisiensis, in sua Historia Ecclesiastica sæculi *XI. Dissert.* 11. *art. IX.* Scandalosè, falsò, & temerariè effutiverit: *S. Gregorium VII.* Papam, contra Patrum Doctrinam, imò contra Verbum Dei, sibi primùm attribuisse exauthorandorum Regum potestatem, adeóque doctrinam ejusdem S. *Gregorii Papæ*, quam in sua Epistola Decretali tradit, esse falsam, erroneam, periculosam, invidiosam, singularem; sacræ Scripturæ & traditioni dissentaneam, meritò à S. Facultate *Parisiensi damnatam*: *falsa ipsi documenta subministrata fuisse, vel potiùs undequaque corrasa: eundémque porrò fuisse Sacro textu abusum.* Has impudentissimas, falsas & sacrilegas *Alexandri* assertiones, ejúsque argutias solidè & operosè refutavit egregius *Pater Franciscus d'Enghien* ejusdem Ordinis *FF. Prædicatorum*, *S. Theol. Licentiatus Lovaniensis*, in Libro, cui Titulus: *Authoritas Sedis Apostolicæ pro S. Gregorio Papa VII. vindicata.* Cæterum, quòd Romanus Pontifex per *indirectam* potestatem, ex gravissimis & legitimis causis, possit exauthorare Reges Christi fidem professos; probant *Baronius* ad Annum 800. *n.* 10. *Bellarminus lib.* 5. *de Rom. Pontif. cap.* 8. *Sylvius*, 2. 2. *q.* 60. *art.* 1. *dub.* 5. *Malderus* 2. 2. *q.* 1. *art.* 10.

70. Vereor autem, ne Doctores Gallicani, tum inter se, tum à reliquis Catholici Orbis Episcopis & Doctoribus, dissentientes, plus nimio detrahant Pontificiæ *supremæ* in universalem Ecclesiam Authoritati, quam *Majestaticam* esse; ipsi ultrò fateri debent. Et quæ amabò! hæc sit Papæ à Deo immediatè collata Majestas circa Sacra in omnes Christi fideles, in magnos & parvos, in Ecclesiasticos & Laïcos; si Papa sit Concilio Oecumenico inferior,

inferior, si Christi oraculo constitutus omnium ovium universalis Pastor *ovibus*, obedire, non vero oves, vocem *Pastoris* Divinitus constituti, audire teneantur: aut; si caput supremum in terris, à membris sibi subordinatis, Authoritatem, & in rebus dogmaticis ad fidem atque salutem æternam spectantibus, definiendi infallibilitatem, nancisci debeat? Fallor, aut plures Gallicani Doctores [non enim omnes ita sentiunt, út liquet ex mandato Episcopi *Montispessulani* de 1ma *Julii* 1742. contra quod insolenter & temerariè scriptitavit *Carolus Episcopus Antissiodorensis* in Opusculo, cuì titulus: *Lettre de Monseigneur l'Eveque d'Auxerre, à Monseigneur l'Evêque de Montpellier, à l'occasion de ce, que ce Prelat dit de lui, dans son Mandement, en date, du* 1. *Juillet* 1742.] sibi manifestè contradicunt, aut saltem libertatum suarum prætextu, se ita implicant; ut non videam; quid respondere possint Hæreticis Papæ Authoritatem repudiantibus, & & eidem tam plenitudinem potestatis circa Ecclesiæ moderamen, quàm supremam de fidei quæstionibus judicandi facultatem abnegantibus. Petrus de Marca, *Archiepiscopus Parisiensis* octo Scripsit libros *de Concordia Sacerdotii & Imperii*. In his libris, multa præclara congessit, & deduxit de Summi Pontificis suprematu & potestate supra Concilium: fatetur etiam in *prolegomenis. pag. mihi* 17. quòd Romanus Pontifex in rebus Ecclesiasticis, supremam authoritatem per Gallias semper exercuerit à tempore, quo fides Christiana illic invecta fuit; equidem ad tuendas libertates Ecclesiæ Gallicanæ; tantoperè extollit Regis Galliæ potestatem, ut afferat: sine illius approbatione, ratificatione & consensu, ne Summi quidem Pontificis Rescripta, Decreta vel Constitutiones, executionis vim obstinere, ullúmque robur habere. Vide Authorem istum *lib.* 3. *cap.* 17. *n* 1. 5. & 6. quo posteriore loco dicit: quòd Concilii *Basiliensis* Decreta, legis publicæ vim non habuerint; donec Regiâ lege firmata fuerint: &, quòd Concilii *Tridentini* definitiones fidei, Edicto Regio admissæ fuerint, Decreta verò *disciplinæ*, non serventur; nisi quatenus eorum sententia in Constitutiones Regias transcripta est. *Hoc jure* (inquit) *expendorum Canonum, usa est Ecclesia Gallicana in Conventu Bituricensi, à Carolo VII. Rege Francorum, indicto.* An hoc autem sit docere, asserverare, & contestari, *quòd Romanus Pontifex supremam, in spiritualibus, habeat potestatem in omnes Christi fideles: quòd ipse à nemine judicari; nec judicium ejus, ab ullo homine reformari possit*; Item: *quòd Papa sit universalis Ecclesiæ caput, adeóque & Ecclesiæ Gallicanæ, quæ illius est membrum*. An [inquam] illa cohæreant & subsistere possint cum prætensis libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ; non facilè explicatu est. Prodiit non ita pridem, scilicet *anno* 1747. *Avenione* insigne opus bipartitum, cui titulus: *De Suprema Romani Pontificis Authoritate, Hodierna Ecclesiæ Gallicanæ Doctrina*. In hoc opere singulari, à Theologis Romanis [inter quos eminet Eximius & Doctissimus noster *Joannes Laurentius Berthi*] approbato & laudato, Author operosè & nervosè, demonstrare nititur; quòd vetus & moderna Ecclesia Gallicana semper tenuerit, docuerítque; *penes Romanum Pontificem è Cathedra loquentem, & fidei morúmque articulos definientem, absque concursu Concilii Generalis, residere infallibilitatem veritatis seu veracitatis.* Hoc argumentum Author iste Anonymus, à capite ad calcem operis sui, æque eleganter ac eruditè prosequitur, ac Ecclesiam *Gallicanam* à calumniis aliorum validissimè vindicat; atque ab eo omnem sequioris doctrinæ suspicionem

pror-

prorsus amolitur, quinimò *Tomo 2do. lib.* 4. resolvit argumenta, quæ ad labefactandam Germanam Gallorum Antistitum, de Pontificia *inerrantia* doctrinam, adduci solent. Ubi *cap.* 4. *pag. mihi.* 144. ostendere nititur: quòd Galliarum Antistites, Ecclesiæ suæ Gallicanæ *libertates* tantoperè tuentes, nequaquam exinde obscurent, sed magìs suam illustrent, atque declarent de Pontificia infallibilitate, sententiam. Hoc ut ita sit, animitus exopto; quanquàm, ùt supra insinuavi, *Petrus de Marca*, latiùs Ecclesiæ Gallicanæ libertates extendere videatur quàm ut cum suprema infallibili & inappellabili Romani Pontificis authoritate consistere possint. Hoc ipsum, Author Anonymus observâsse videtur. Unde ad firmandum propositum suum, *Tom. 2. lib. 1. cap. 8. pag.* 221. dicit, *Petrum de Marca*, in opusculo *manuscripto*, in Bibliotheca Regia asservato, mentem suam his verbis expressisse *Num.* 31." Hæc opinio (quæ „ videlicet infallibilitatem, Romano Pon„ tifici asserit) est illa, quam unicè His„ pania, Italia, aliæque omnes Christia„ nitatis Provinciæ docent; ita ut illa „ (quam sententiam Parisiensium Do„ ctorum vocant) ad classem eorum opi„ nionum revocanda sit, quæ solùm to„ lerantur . . . . Authoritas infallibilem „ sententiam, in causis fidei, pronun„ tiandi, est Romanis Pontificibus, om„ nium universitatum consensu, acquisi„ ta, exceptâ tamen *antiqua Sorbona*. „ Imò hoc quoque tempore, hanc de in„ fallibilitate Pontificis sententiam, in „ ipsa *Sorbona* doceri videmus; Nam „ duodecimâ Mensis *Dec. anno* 1660. in „ Sorbona, publicè hæc Thesis defensa „ est, videlicet: *Romanus Pontifex con„ troversiarum Ecclesiasticarum est consti„ tutus judex à Christo, qui ejus definitio„ nibus indeficientem fidem promisit.*" & infra *n.* 34 *circa finem.* de Doctoribus *Galliæ*; " pars major non solùm Theolo„ giæ, sed etiam juris Doctorum, com„ muni opinioni adhæret, utpote funda„ mentis nixæ solutu difficillimis, ridétque „ antiquæ Sorbonæ opinionem." Perpensis hisce verbis ex opusculo manuscripto *Petri de Marca* depromptis E.mus *Sfondratus* in suo opere inscripto: *Gallia vindicata. Differt.* 4. §. 2. *n.* 12. *pag.* 785. *edit.* 1702. sic prosequitur: " Vides Doctis„ simum hunc virum fateri, sententiam „ de infallibilitate Pontificis, esse om„ nium universitatum Christianitatis, „ imò omnium ferè Doctorum universi„ tatis Pariensis, *exceptâ antiqua Sorbona*, „ imò hujus opinionem à reliquis deri„ deri. Ut verò intelligas, quid nomine „ *antiquæ Sorbonæ*, de Marca intelligat; „ sciendum est: Collegium *Sorbonicum* „ fuisse à quodam *Roberto Sorbon* (qui „ S. *Ludovico* Regi à Sacris Confessio„ nibus & Eleëmosynis erat) *anno* 1253. „ fundatum, quo tempore in Ecclesia „ Gallicana sententiam de R. Pontificis „ infallibilitate viguisse, jam supra mon„ stratum est. Sequenti postea sæculo, „ hoc est: *anno* 1373. inflammari cœpit „ diuturnum illud & obstinatum Schis„ ma, quo nihil funestius Ecclesiæ: & „ quia nulla in Pontificibus spes erat il„ lius extinguendi, imò istorum ambi„ tione, magìs magísque accendebatur; „ cogitatum fuit de inducenda majore „ aliqua authoritate, cui Pontifices ob„ temperare tenerentur: ea verò à *Ger„ sone*, *Almaino*, aliisque paucis in Con„ cilium collata est; Id enim oportunum „ credebant evertendis in futurum Schis„ matibus, si videlicet aliqua in Ecclesia „ potestas esset, quam etiam ipsi Ponti„ fices revereri tenerentur. *Vetus* ergo „ *Sorbona*, tempore Constantiensis & „ Basileensis Conciliorum, vigebat: „ con-

„ constabátque, ùt dixi, *Gersone*, *Almaino* illorúmque Discipulis. Imò, si „ quando inter Pontifices, Regésque „ Galliæ, dissidium aliquod oriretur; mox „ in Parisiensi Universitate, ab aliquo „ Doctorum, hæc Gersonis *Machæra* „ expromebatur terrendo Pontifici. Ita „ sub *Sixto V.* sub *Julio II.* & *Alexandro VII.* factum est. Hæc ergo est „ vetus Sorbona, quam à plerisque „ Theologiæ & juris in Gallia Doctoribus irritam esse; *Marca* testatur." Hæc *Marca*, Hæc E.mus *Sfondratus*. Sed utinam in descriptæ *veteris Sorbonæ* errorem, non forent lapsi quidam Scioli nasutuli, summo Pontifici etiamnum oblatrantes.

71. Miratus sum versutiam eorum etiam prô dolor Sacerdotum, qui Galliâ expulsi aut profugi, damnatos in orbe Catholico errores, in confœderatas Belgii Provincias invexerunt, & Ecclesiæ Archiepiscopali *Ultrajectinæ*, à *Salboldo Vosmero*, tempore persecutionis conservatæ, à legitimis verò ejus successoribus [*Rovenio*, sub titulo Archiepiscopi *Philippensis*, *anno* 1620. *Bruxellis* consecrato; *Torrio*, sub *tit.* Archiepiscopi *Trallensis*; *Cazio*, rursus sub *tit.* Archiepiscopi *Philippensis*; & *Neercasselio*, sub *tit.* Ecclesiæ *Castoriensis*, nedum consentiente, sed & perurgente Romanâ curiâ, inauguratis] eo quo licuit modo, restauratæ, *Jansenismi*, aut [veriùs] *Quênellismi*, infamem notam inusserunt. Tenebriones isti, insciis, invitis, imò reclamantibus quibusdam præclaris illic Pastoribus Catholicis, nedum à definitione Apostolicâ, per Bullam *Unigenitus* promulgatâ, sed & ab inappellabili summi Pontificis sententia, provocârunt ad futurum Generale Concilium, jactitantes: Pontifice supremo, superius esse Concilium. Adeò effrontes sunt homonciones isti, ut è sug-gestis spargere non vereantur: se arctissimè adhærere doctrinæ Sanctorum *Augustini*, *Thomæ Aquinatis*, *Bernardi* & aliorum classicorum Patrum. Nolim hìc recapitulare ea, quæ alias, ex Epistolis Divi *Patris Augustini*, ad summos, pro tempore, Pontifices devotissimè exaratis; tum ex ejusdem in Africa gestis, alias excerpsi, & obcæcatis hominibus istis ob oculos evidenter posui: sed pro nunc, brevitatis gratiâ, provoco ad *Angelicum* ejus discipulum, *Thomam Aquinatem*. En! hic 2. *2dæ. quæst.* 1. *art.* 10. ex professo probat; quòd ad summum, *solúmque* Pontificem spectet, ordinare symbolum, seu fidei, *magis scilicet explicitam, professionem*; cùm ejus sit *finaliter determinare, ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussâ fide teneantur*. Idipsum tradit Doctor *Angelicus*, *in opusc. contra impugnantes Religionem. cap.* 3. his verbis: *Quicunque dicit: non esse obediendum his, quæ per Papam statuuntur, in Hæresin labitur*. Unde *in opusc. contra Græcos* demonstrat; quòd, *subesse Romano Pontifici*, *sit* de necessitate salutis. Doctori *Angelico* ad amussim consonat Doctor *Mellifluus*. „ Oportet [*inquit Epist.* 190 *ad Innocentium Papam*] ad vestrum referri „ Apostolatum pericula quæque ac scandala emergentia in Regno Dei, ea „ præsertim, quæ de fide contingunt. „ Dignum namque arbitror, ibi resarciri damna fidei, ubi non possit fides „ sentire defectum. Hæc quippe hujus „ prærogativa Sedis. Cui enim alteri „ aliquando dictum est: ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua? „ Ergo quod sequitur, à Petri successore „ exigitur: & tu aliquando conversus, „ confirma fratres tuos." Idipsum S. ille *Clarævallensis* Abbas, & præstantissimi Ordinis *Cistertiensium* Fundator, altiùs repetit, *lib.* 2. *De consideratione*.

Ad

Ad *Eugenium Papam*, inquiens: " Tu es,
„ cui claves traditæ, cui oves creditæ
„ sunt. Sunt quidem & alii, cœli janitores & gregum Pastores; sed *Tu* tantò gloriosius, quantò & differentius utrumque, præ cæteris, nomen hæreditâsti. Habent *illi* sibi assignatos greges, singuli singulos; *Tibi*, *universi* crediti ... nec modò ovium, sed & Pastorum *Tu unus* omnium Pastor. "

71. Non meretur autem attendi, quòd in Conciliis: *Constantiensi* & *Basileensi*, Pontifex Romanus, Generali Concilio, subesse jussus sit, & decisum legatur: Concilium esse supra Papam. Constat enim Acta istorum Conciliorum, quò ad illam partem, nunquam à legitimo & indubitato Pontifice confirmata, sed potiùs positivè reprobata fuisse; adeò, ut *excommunicati* censeantur, qui à summo Pontifice, appellare præsumunt ad Concilium Generale.

72. Catholica itaque & verissima doctrina est, quòd nullum Generale Concilium, pro legitimo & œcumenico, habitum sit unquam; nisi fuerit authoritate Romani Pontificis, celebratum & confirmatum. Vide *can. Regula.* & *can. Multis. Dist.* 17. ac signanter textum perspicuum in *cap. Significâsti.* 9. *De Election.* ibi: *Cùm omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ authoritatem & facta sint, & robur acceperint, & in eorum Statutis, Romani Pontificis patenter excipiatur authoritas.* Qui hac super re, genuinè & catholicè, pleniùs erudiri cupit; pervolvat, non Neotericos, Gallico stylo, in ipsa Gallia, proscriptos libellos; sed classicos, toto orbe celebres scriptores v. g. *Navarrum. Consil.* 1. *n.* 4. *Ad Tit. De Constitutionib. Bellarminum. lib.* 1. *De Conciliis. cap* 6. & 7. item: *lib.* 2. *De Romano Pontifice. cap.* 17. & *seq. Zoësium, ad cit. Tit. juris Canonici. De Constitutionib.* & *Franciscum Sylvium, lib.* 4. *Controvers. quæst.* 2. *art.* 6. & 7. item: *lib.* 5. *q.* 1. *art.* 8. & 12. & novissimè, nostrum *Piette part.* 1. *Quæst.* 1. §. 2. Profectò ipse Imperator Justinianus *Novellâ* 131. *cap.* 2. *De Ecclesiast. titul. & privileg.* pientissimè falsus est: quòd, sicuti *Roma* sortita est legum originem; ita & Pontificatûs apicem, ibi esse, non sit dubitandum: item; Romanam Ecclesiam, esse omnium Ecclesiarum *primam*, & Romanum Pontificem, esse omnium Sacerdotum *primum*. Quamobrèm, etiam Romana Ecclesia, passim vocatur *universalis*, accepto nomine, pro ea Ecclesia, quæ continet sub se universas, quæque sola, singulari privilegio dignitatis, cæteris est prælata, eo modo, quo Deus dicitur *universalis*, quòd universa sub ejus dominio contineantur. Vide *Covarruviam. lib.* 4 *var. resolut. cap.* 14. *n.* 11. Hinc Romano Pontifici tanquam Christi Vicario, debetur omnis honor & reverentia, nedum à Clericis, sed & laïcis, cujuscunque sint ordinis. *can. Suscipimus. Dist.* 10.

73. Etsi igitur quidam, vel minùs æquo in Sedem Apostolicam affecti animo, vel jurare coacti in verba Magistri, mordicus sustineant; Concilium Generale esse supra summum Pontificem; contrarium tamen omnino asserendum est, cum Divo *Thoma.* 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. & aliis classicis Authoribus, quos citat *Felinus* ad *cap.* 1. *n.* 24. *De constitutionib.* Quò facit textus in *can. Nunc autem. Dist.* 21. & *can. Aliorum. caus.* 9. *quæst* 3. Ubi prima Sedes, à nemine judicatur, sed reservatur, Dei judicio, ut nequeat dici subesse Concilio, licet generali; quòd, ùt supra dictum, sine summi Pontificis authoritate & confirmatione, nec legitimè congregatur, nec vim habet obligandi, ut necessè sit; Romanum Pontificem, esse Concilio majorem,

jorem, cùm à minori, vel pari, non rectè mutuemur authoritatem: quod ipsum esse manifestum superioritatis argumentum, tradit *Baldus* in *l. Imperialis. Cod. de legib.* Unde *Abbas Panormitanus*, *in cap.* 4. *de Election. n.* 2. ait, Potestatem quidem Papæ & Ecclesiæ toti esse à Deo datam; Papæ tamen tanquam capiti esse attributam, & ad ejus dispositionem, debere corpus moveri; saltem in iis, quæ sunt juris *positivi*, cùm non possit Pontifex articulum fidei tollere, aut novum inducere. Quo sensu capiendum, quod habetur in *can. Sunt quidam*, & *can. Contra. caus.* 25 *quæst.* 1. Quinimò, hæc Catholica veritas liquidò definita est in Concilio *Lateranensi* sub *Leone X. sess. XI.* ubi Decretum Concilii *Basileensis*, quo Pontifex subjiciebatur Concilio Generali, revocatur. Confer *Bellarm. d. lib.* 2. *cap.* 13. Junge Prælaudatum Patrem *Piette, loc. cit.* & *part.* 3. in *Dissertatione de Bulla* UNIGENITUS. Si ergo

74. QUÆRITUR: Num Concilium possit sancire Decreta, quibus ipse Pontifex obstringatur? RESP. Nequaquam. Non enim fertur lex, nisi à superiore; Concilium autem Pontifice non est Superius. Quò expressè facit, *Primò*: quòd habetur in *dict. cap.* 4. *de Election.* Nulla Concilia præfigere legem Romanæ Ecclesiæ, nec posse quemquam, contra eam, levare suum calcaneum. *Secundò*: Textus in *can. Papa. Dist.* 40. ubi Papa à nemine mortalium judicari, aut redargui dicitur. Facit &, quod habet *Bellarminus loc. cit. cap.* 18. Pontificem, non posse se sententiæ *coactivæ* Conciliorum subjicere. Confer *Zoësium loc. supra cit. n.* 8. & 9. ubi *n.* 20. cum communi *DD.* resolvit; Pontificem, etiam in re gravi, absque Cardinalium consensu, posse ferre leges, seu Constitutiones condere; eò quod potestas Pontificis, sit absoluta, haud dependens à purpuratorum cœtu, prout supponitur ex variis locis juris Canonici. *can. cuncta. caus.* 9. *quæst.* 3. *Can. sunt quidam. caus.* 25. *quæst.* 1. Si

75. QUÆRAS: Quam authoritatem habeat Romanus Pontifex in decidendis fidei & morum quæstionibus? RESP. Habet non solùm *Supremam*, sed & *infallibilem* authoritatem. Ita docent nedum *Augustiniano-Thomistæ* & *Scotistæ*, sed & saniores *Canonistæ* & *jurisperiti*, contra quorundam Gallorum altercationes, quas in unum congessit, & nuper, non absque gravissimo scandalo, *Idiomate Gallico*, divulgavit *Carolus Episcopus Antissidorensis* in epistola sua, ad Episcopum *Montis Pessulani*, ubi cum *Quesnellistis*, seu *Anti-Constitutionariis* (qui videlicet Bullam *Unigenitus* impugnant & rejiciunt) contendit: in decernendis fidei & morum dogmatibus, judicium Summi Pontificis, non fore infallibile, *nisi accedat suffragium & approbatio totius Ecclesiæ*. En verba ipsius: *part.* 1. *n.* 22. *pag. mihi* 19. & *seq. l'Eglise est infallible, lors qu'elle juge. Mais elle ne juge point, & les jugemens, qu'on lui attribue, ne sont pas les jugemens de l'Eglise. La direction du S. Esprit est fondée sur les promesses, & ces promesses infallibles & immuables sont faites selon nos principes, à l'Eglise universelle, & non pas au Pape en particulier, ni à tel & tel Evêque pris separement... Ces promesses y s'accomplissent sûrement, dans un Concile General & libre, qui represente l'Eglise universelle, & dans lequel elle est assemblée.... les mêmes promesses s'accomplissent dans l'Eglise dispersée, lorsque le Pape ayant prononcé le premier sur la doctrine, son jugement est adopté & munie d'un consentiment universel, reel & veritable, & que tous les Pasteurs se reünissent à leur chef dans la profession des mêmes verités & dans la condemnation des mêmes erreurs.* Quæ verba Latinè reddita, sic *malè* sonant:

nant: "Ecclesia est infallibilis, quando
,, ipsa judicat.... Verùm; illa non judicat, & judicia quæ ipsi attribuuntur,
,, non sunt Ecclesiæ judicia. Directio Spiritûs S. fundata est super promissis, &
,, ista promissa infallibilia & immutabilia, juxta nostra principia, facta sunt
,, Ecclesiæ universali, & non Papæ in
,, particulari: neque tali & tali Episcopo
,, seorsim sumpto.... Ista promissa ibi
,, explentur certò in aliquo Concilio Generali & libero, quod repræsentet
,, Ecclesiam universalem, & in quo ipsa
,, sit congregata.... Eadem promissa explentur in Ecclesia dispersa, quando Papâ primùm pronuntiante super doctrinâ, judicium ejus adoptatum & munitum est consensu universali, reali & vero, & quando omnes Pastores se reüniunt suo capiti in professione earundem veritatum, & in condemnatione
,, eorundem errorum." Ita prô dolor! dogmatizando, hallucinatur fatus Episcopus. Sed

76. Contra est 1mò. Quia *Petro*, ejúsque Successoribus, dictum est à Christo, quòd sit *Petra* fidei; neque hæc promissio ad suffragium consensúmque totius Ecclesiæ in Concilio Generali congregendæ, restricta fuit.

Contra est 2dò. Christus rogavit, ne deficeret unquam *Petri* fides necessaria ad confirmandos fratres: & hæc oratio utique fuit efficax, respectu omnium *Petri* successorum. Atqui verò, si fides, id est: infallibilis authoritas decidendi quæstiones fidei, in *Petri* successoribus dependeret à consensu & suffragio reliquorum Orbis Episcoporum; non *Petrus*, sive Pontifex, confirmaret fratres suos, sed ab his confirmari deberet. Ergo &c. Vide omnino nostrum egregium Patrem *Piette* in *Elucidatione Difficiliorum Theolog. Quæstion. part. 1. quæst. 1. §. 2. pag. 12. & seq.*

Contra est 3tiò. Omnes Christi fideles tenentur summo Pontifici tanquam Vicario Jesu Christi ac Rectori universalis Ecclesiæ obtemperare in iis, quæ fidem & mores concernunt; Ergo credere debent, quòd ipse ex Cathedra, id est; tanquam Vicarius Jesu Christi, loquens ad omnes fideles, non possit proponere doctrinam falsam.

Contra est 4tò. Si Romanus Pontifex, seorsim à Concilio Generali, definiendo *ex Cathedra*, non foret infallibilis Regula, aut Regulator fidei; non esset Ecclesiæ sufficienter provisum de judice controversiarum *animato*: multa enim oriuntur circa fidem & mores, diffidia; quæ seorsim à Conciliis Generalibus, utpote, non nisi rarissimè, & cum maxima ac penè insuperabili difficultate, congregandis; omninò decidi debent. Jam verò, Ecclesiæ sufficienter provisum esse debet de judice controversiarum *animato*; igitur, hic judex debet esse infallibilis in decidendis controversiis fidem & mores attinentibus.

77. Atque hæc fuit continua Ecclesiæ praxis, ut ortæ Hæreses, & neò nati errores, Sedis Apostolicæ judicio, etiam seorsim à Conciliis, priusquàm adolescerent, suffocarentur in cunis (confer R. P. *Ranst.* in præclaro de Hæresibus opusculo, *Trajecti* apud Dominum *Lekens* nuper impresso) istique judicio, semper adhæsit Ecclesia Catholica, ùt liquet ex actis in *Africa*, tempore Divi Patris *Augustini*, id quod sanè factum non fuisset, si SS. Patres censuissent, Pontificiæ Sedis judicium, non fore infallibile. Et quis nescit, vivente *Magno Patre Augustino*, damnatam fuisse Hæresin *Pelagianam*, per *Innocentium I.* & *Zosinum?* Errores *Berengarii*, per *Leonem IX.* & *Nicolaum II.? Abailardum* per *Innocentium II. Gilbertum Porretanum*, per *Eugenium III.*

Alios itidem errores & errones, à *Pio V. Urbano VIII. Innocentio X.* aliisque subsequentibus Pontificibus) quorum judicium, *ùt infallibile*, suspicitur & suscipitur in ipsa etiam *Gallia*, ubi quidam, in sequiorem viam abierunt) proscriptos & anathematizatos fore? Jam supra *n.* 71. ex Doctoribus *Angelico* & *Mellifluo* ostensum fuit, quòd semper, graviores controversiæ, in quæstionibus, fidem aut morum dogmata concernentibus, ad supremum & indefectibile Sedis Apostolicæ judicium, deferri consueverint. Quin & *S. Hieronymus*, in quæstione: *De tribus Hypostasibus*, quæ dudum Orientales torsit Episcopos, haud satis fidens *Antiocheno* Patriarchæ, ad *Damasum* Pontificem, sic fertur scripsisse: *A Pastore, Ovis subsidium flagito. Decerne, si placet; non timebo tres* Hypostases *dicere: si jusseris.* Nunquid confidentia ista fuisset temeraria, si Divus *Hieronymus* non credidisset: judicium *Damasi*, præ cæteris esse infallibile? *Adhæc*, si pro dirimendis fidei controversiis convocari semper deberet Concilium Generale; interea diuturno sæpe tempore, in bivio hæreret Ecclesia, essentque fideles, *sicut parvuli fluctuantes*, desolati & derelicti à spiritu veritatis sibi promisso.

78. Dices cum *Carolo Antissiodorensi*, & ejusdem halitûs *Gerronibus.* " Si Ecclesia aut major ejus pars, in Concilio Generali, Papæ definitionem acceptaverit; tunc tuti sumus, quòd omnia necessaria adhibita fuerint; puta: maturum examen, discussio impartialis, Spiritûs S. invocatio; ab omni metu vel coactione libera determinatio. *&c.* Sed

Contra est 1mò. Quia hoc esset infallibilitatem tollere à Pontifice, & eam collocare in majore, quæ dignosci non potest, parte Ecclesiæ acceptantis. Quinimò, cùm nihil magìs dubium esse possit, quàm, an major pars Ecclesiæ universalis per totum orbem dispersæ, consenserit; nihil quoque magìs incertum esset: quàm; an id, quod *ex Cathedra* Pontifex definivit, sit fide tenendum? Quo certè nil absurdiùs, dici potest, à viro infulato.

Contra est 2dò. Quia juxta cerebrinum principium Adversariorum, summi Pontificis definitio, non foret majoris ponderis, quàm hominis privati opinio; hæc enim, si ab Ecclesia universa vel majori ejus parte adoptetur vel acceptetur; pariter infallibilem fidei larvam præferret; quod non tam insipidum, quàm impium videri debet viro orthodoxo. Tametsi enim ea, quæ v. g. Divus *Pater Augustinus*, vel *Doctor Angelicus* scripsit: *de gratia, de libero arbitrio, de prædestinatione &c.* pro fidei dogmatibus celebrentur; nemo tamen dixerit: ideo ea esse fidei dogmata, quòd isthæc Divorum Patrum asserta, sint vulgò, ab Ecclesia universali approbata & ratificata; sed; quia primitus per summos Pontifices, & novissimè etiam per *Benedictum XIII.* authenticam nacta sunt authoritatem. Dixêre enim, aut dicere saltem potuerunt Pontifices Romani, quòd dixit Imperator *Justinianus*: *Omnia nostra facimus, quibus authoritatem nostram impertimur.* Si crambem recoquens

79. Obgannias cum *Antissiodorensi Carolo: Infallibilitas est concessa toti Ecclesiæ. Ergo non Pontifici, seorsim ab Ecclesia.* Resp. 1mò. *Distinguendo Antecedens.* Est concessa toti Ecclesiæ, per Pontificem, *quà Caput* gubernandæ. *Conc.* seclusâ gubernatione *Papæ*, *Neg.* Resp. 2dò. *Concedendo totum.* Non enim Pontifex seorsim ab Ecclesia, sed, *ùt Caput illius*, est infallibilis. Est autem Caput illius; dum, quà Pastor & Doctor universalis, hoc est: *ex Cathedra*, ad omnes.

nes Christi fideles loquitur, *præcipiendo*, *prohibendo*, *Anathematizando &c.* Quòd, si ad nauseam usque

Occeras: Infallibilitatem non esse concessam, nec convenire *uni* tantùm membro. Resp. Non convenire *uni* tantùm membro qualicunque, bene verò illi & *tali membro*, quod est *caput Ecclesiæ* ac *Petra veritatis.* Si ergo animal es rationale, illud saltem cape; quòd, licet totus homo sit rationalis; rationis tamen usus, in solo resideat capite; proindéque, licet infallibilitas sit concessa toti Ecclesiæ; usus tamen infallibilitatis resideat in solo Capite, & per illud *privativè* exerceatur. Quò facit; quòd spirituale summi Pontificis Regnum à Christo stabilitum, non sit *Aristocraticum*, vel *Democraticum*, sed *Monarchicum*, ad similitudinem Regni Dei in cœlis perpetui; proinde summa & inappellabilis Ecclesiæ *militantis* potestas, *Architectonicè* (ùt loquitur Doctor *Angelicus*) resideat in primo & summo Vertice ac Rectore Universalis Ecclesiæ; id, quod cum Sanctis Patribus, semper docuit, & etiamnum ubivis docet universa nostra Schola *Augustiniano-Thomistica*, consonante scholâ *Schotisticâ*.

80. Objiciunt adhuc *Anticonstitutionarii*: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, circumdatus est infirmitate. Ad Hebræ.* 5. Ergo potest errare. Resp. *Dist. conseq.* Ergo potest errare, ùt homo privatus, *Conc.* Ut summus Pontifex, seu Caput Ecclesiæ, & Vicarius Christi, sub qua ratione, nulla est circumdatus infirmitate. *Neg.*

Instant: Secundùm Canones, *Si Papa fiat à fide devius*, potest deponi; sed deponitur, *ùt Papa*: Ergo *ùt Papa* potest à fide deviare & errare. *Resp. Neg. min.* Tum quia propriè non deponitur, sed declaratur; ei, à Deo, ablatam esse potestatem Pontificiam. Tum, quia deponitur ob errorem personalem, quo se reddidit Papatu indignum. Sic Judas *Iscariotes* non prodidit Christum, nec laqueo se suspendit, *quà Apostolus* & Christi discipulus, sed *quà homo perfidus & desperatus.*

Urgent; si Pontifex foret infallibilis: ergo posset fidem nostram extendere pro lubitu in infinitum. Atqui fidei nostræ, nil de novo addi potest. Ergo. Resp. *1mò.* Idem argumentum formari posse de Concilio Generali. Resp. *2dò. Neg. Sequelam.* Tum, quia Pontifex nihil definit, nisi necessitas vel evidens utilitas id exigat. Tum, quia nihil definire potest *explicitè*, quod antea non fuerit revelatum & creditum *implicitè.* Rumina & animo revolve singulas propositiones in Bulla *Unigenitus* proscriptas; & reperies: nullam inibi damnari, quæ antecedenter in *Bajo* & aliis *Novatoribus*, non fuerit condemnata.

Replicant: Si Spiritus S. specialiter summo Pontifici assisteret; Pontifex illam assistentiam experiretur, & dici posset, in quo illa consisteret assistentia. Neutrum autem explicari potest. Ergo. Resp. *1mò.* Idem rursus retorqueri posse de Concilio Generali. Resp. *2dò.* Istam Spiritûs S. assistentiam, consistere *primò*, in efficaci inspiratione, quâ Pontifex moveatur ad consulendum viros doctrinâ & probitate celebres, qui ex scripturis & traditione, rem controversam eruant, ut veritatem sic erutam, Apostolicâ authoritate definiat. *2dò.* In motione voluntatis, quam Deus inclinat in eam partem, quæ vera est, & retrahit ab opposita. *3tiò.* In extrinseca gubernatione, ut Pontifex, morbo, morte, aliisque casibus potiùs impediatur; quàm falsum definiat: ècontra verò, Deo intrinsecus, licet insensibiliter, operante; disponatur, ad definiendum, quod fidei sit consentaneum.

Ex

Ex dictis de summi Pontificis superioritate & infallibilitate.

81. Colliges Atrociter & impudentissimè mentiri *Quesnellistas*, *Jansenistarum* nomine, quasi gloriantes; dum in famosis libellis suis, jactitant: se tenaciter adhærere sententiæ & doctrinæ SS. *Augustini* & *Thomæ Aquinatis*, & sese, in ipsorum doctrina, fuisse *Lovanii* aut alibi educatos, nec unquam vel latum unguem, ab illa discessisse. Nihil enim ex libris & Epistolis Magni Parentis nostri, evidentiùs in oculos occurrit; quàm Romanum Pontificem, esse supremum & infallibilem controversiarum ad fidem moréſque pertinentium, judicem. Id quod & sigillatiùs more Scholasticorum, semper docuit Doctor *Angelicus*.

82. Audiamus utrumque. Primus *Epist*. 166. ait: *In Cathedra unitatis, posuit* (Deus) *doctrinam veritatis.* & *libro*, *contra part*. Donati. *Numerate* (inquit) *Sacerdotes*, puta: summos Pontifices.... *ilia est Sedes Petri*, *quam non vincunt superbæ inferorum portæ*. Vincerent autem Petri Sedem, superbæ istæ portæ, si S. Pontifex è Cathedra loquens, errare posset in decernendis fidei quæstionibus. Huc facit; quòd simulátque Româ venerant Rescripta; videlicet ab *Innocentio I.* adversus *Pelagii* causam, exclamaverit Magnus Præsul *Hipponensis*: *causa finita est*, *error utinam aliquando finiatur*. Verba Magni Patris habentur, *Sermone* 2. *De verbis Apostoli*. ibi: *Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam. Inde etiam Rescripta venerunt, causa finita est &c.* Censuit ergo *Hæreticorum Malleus*, Romanum Pontificem esse supremum judicem controversiarum fidei, ejúsque definitivam sententiam, esse *irreformabilem*, ejus itidem Tribunal, esse *ultimatum*, à quo nulla daretur appellatio. Ubi Nota: quòd ipsimet *Pelagiani* in Africa condemnati, appellârint ad Romanum Pontificem velut ad judicem supremum. Si autem *Augustinus* credidisset, à S. Pontifice ulteriùs provocari potuisse ad Concilium Generale; quo pacto dicere potuisset: *Causa finita est*. Itaque *Pelagius*, qui antecedenter à quibusdam Episcopis *Africanis* protegebatur; omnibus exosus & abominabilis evasit, postquam Apostolicæ Sedis judicio, condemnatus fuit: quin & *Pelagii* asseclæ ab omnibus Orbis Catholici Episcopis anathematizati fuêre, postquam *Zosimus Papa* ad ipsos miserat suam Decretalem, quam omnes incunctanter, tanquam supremum & *finale judicium* subscripserunt. Nec

Obest: Quòd errores *Pelagii* fuerint *manifesti*, & aperta *pernicies* aut *proluvies*, ùt loquitur Divus *P. Augustinus*. Tametsi enim id verum sit, in puncto respiciente peccatum originale; equidem id peræquè intelligi non potest de aliis quæstionibus, per utrumque Africanum Concilium decisis, circa subtilissimam materiam *De gratia*, cùm ipsemet *D. P. Augustinus* pluries ingenuè fateatur, quæstiones illas esse difficillimas, támque abstrusas; ut, ubi adstruitur gratia, scilicet *ab intrinseco efficax*, videatur lædi liberum arbitrium; &, ubi defenditur liberum arbitrium; videatur enervari gratia. Quid? Anne Magnus Pater vim suam collocat in notoreitate *Pelagianorum* errorum, & in damnabilitate apertæ *proluviéi? Nequaquam*; sed in indefectibilitate Rescripti Pontificis, non valentis à fide deviare. Cui argumentô est, quòd *lib.* 1. *Contra Julianum. cap.* 4. loquens de *Innocentio I.* tunc temporis summo Pontifice, sic scripserit: *Non potuit Vir ille Sanctus*, *Africanis respondere Conciliis*, *nisi quod antiquitus Apostolica Sedes & Romana*, *cum cæteris*, *tenet perseveranter Ecclesia*. Adeó que indubitanter *fide* tenendum est. Apostolicæ

stolicæ enim Sedis, tam antiqua atque fundata, certa & clara est Catholica fides, ut nefas sit, de illa dubitare Christianis, inquit AFRICÆ LUMEN *lib. 2. ad Bonifacium. cap. 3. & Epist. 157.*

83. Jam pluries ostendi: Doctorem *Angelicum* scholasticè & methodicè, atque *ex professo* eandem docere veritatem; quia tamen obcæcati, & in malitia sua obdurati quidam Tenebriones, sub ementito bonorum Sacerdotum quorundam mihi notorum nomine, scriptitare, & in vulgus spargere non desinunt, quòd cum *Augustino*, Thomas *Aquinas* censuerit: in determinandis fidei articulis, Concilium Generale, supereminére Pontifici; ideo Lector veritatis amans, mihi ignoscet, quòd pro meo modulo, *S. Thomam* ab hac calumnia vindicem.

En! *S. Doctor* 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. in argumento *Sed contra.* ex professo sic scribit: *Editio Symboli facta est in Concilio Generali: sed ejusmodi synodus authoritate* solius summi Pontificis, *potest congregari ... ergo editio symboli, ad authoritatem summi Pontificis pertinet.* Et ibidem in corpore articuli, sic differit: " Nova editio symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores: ad illius ergo authoritatem pertinet editio symboli, ad cujus authoritatem pertinet *finaliter* determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus *inconcussâ fide* teneantur Hoc autem pertinet ad auctoritatem summi Pontificis, ad quem majores & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur... Unde & Dominus *Lucæ* 22. Petro dixit, quem summum Pontificem constituit: *Ego pro te rogavi Petre! ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Et hujus *ratio* est: quia una fides debet esse totius Ecclesiæ. Quod servari non posset, *nisi quæstio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest*; ut sic ejus sententia, à tota Ecclesia *firmiter teneatur:* & ideo ad *solam* auctoritatem summi Pontificis pertinet nova editio symboli, sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ùt congregare synodum generalem, & alia hujusmodi. " Parili tono differit *Angelicus* Doctor 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. *ad* 3. ibi: " Auctoritas *Universalis Ecclesiæ* in determinandis rebus fidei, principaliter residet in summo Pontifice. Nam juxta c. Quoties. caus. 24. q. 1. quoties fidei causa ventilatur, arbitror omnes fratres nostros & Coëpiscopos, non nisi ad Petrum, id est, ad sui nominis auctoritatem referre debere; contra cujus authoritatem, nec *Hieronymus* nec *Augustinus*, nec aliquis Sacrorum Doctorum suam sententiam defendit. Unde dicit *Hieronymus* ad *Damasum* Papam: hæc est fides Papa beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia: in qua, si minùs peritè, aut parum cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à *Te*, qui Petri fidem & sedem tenes. Si autem hæc nostra confessio Apostolatûs tui judicio comprobatur, quicunque me culpare voluerit, se imperitum vel malevolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit. " Unde idem Angelicus Doctor in *Supplemento. quæst.* 25. *art.* 1. *arg. Sed contra.* in hæc verba concludit: *Ecclesia universalis non potest errare, quia ille, qui in omnibus exauditus est, pro sua reverentia, dixit* Petro, *super cujus confessione, Ecclesia fundata est*; ego rogavi pro Te, ut non deficiat fides tua.

Nemo igitur dubitare potest, quin cum Magno Patre *Augustino*, Doctor *Angelicus* limpidissimè docuerit; & Papam esse supra Concilium Generale; & Definitiones ejus, circà articulos, fidem aut mo-

mores attinentes, infallibilitate, Divinitus esse donatas, ut mirum sit, quòd quidam Doctores *Sorbonici*, etiam nostro ævo, recesserint ab illa sententia, quam Sanctus ille Doctor in *Sorbona* eruditus & graduatus, inibi didicit & nemine reclamante, docuit. Si

84. PETAS: à quo tempore dubitari cœptum fuerit de Pontificis infallibilitate? RESP. Id contigisse sæculo *decimo quinto*, occasione illius magni schismatis, dum nempe tres Pontificatum ambientes, de primatu Ecclesiæ, inter se contendebant. Ante illud enim tempus, nullum invenies Concilium, sive generale sive particulare; imo, ne ullum classicum Authorem Catholicum, qui apertè docuerit: Pontificum decisiones, in materia fidem attinente, esse errori obnoxias, aut: fideles non teneri, illas promptè acceptare. Huc facit: quod *Ruardus Tapperus* Insignis Doctor *Lovaniensis*, natione *Batavus* [qui Concilio *Tridentino* interfuit) *oratione 3tiâ contra Melanctonem* asserit, dicens: *dubitari non posse, nec dubitatum esse unquam quin causæ fidei & morum, ad Papam referendæ sint? An autem in his Papa falli possit, non nisi ab annis centum quinquaginta* [en epocham contrariæ opinionis] *cœptum est controverti .... à tempore enim Concilii* Constantiensis *&* Basileensis, *Doctores quidam, apud solum Concilium œcomenicum, docent esse infallibilis sententiæ privilegium; veteres verò scriptores, Romano Pontifici proprium hoc esse privilegium infallibilis sententiæ*, CONCORDITER, ex scripturis *tradunt*. Hucusque *Tapperus*. Neque *Gerson* & *Major* primitivi authores, oppositæ, jam ubivis (*extra Galliam*) rejectæ opinionis, aliam epocham comminisci potuerunt. *Gerson* enim celebris & pius alioquin scriptor à nobis supra *n.* 69. laudatus, *De potest. Eccles. consid.* 12. sic scribit: " Ante celebrationem Sacro-„ sanctæ hujus Constantiensis Synodi, „ sic occupaverat mentes plurimorum lit-„ teralium magis quàm litteratorum, ista „ traditio, ut oppositorum dogmatizator, „ fuisset de hæretica pravitate vel notatus „ vel damnatus. Hujus rei signum acci-„ pe; quia post declarationem & practi-„ cationem ejusdem sanctæ Synodi, in-„ veniuntur, qui talia passim asserere non „ paveant. " Idem ille magni olim nominis Cancellarius *Parisiensis*, cùm in opusculo alio, nempe *De excommunic.* quæsivisset, licitúmne sit, à Papa provocare ad Concilium Generale? his respondet formalibus: " Dixerunt enim ante Con-„ cilium Generale *Pisanum* & *Constan-„ tiense*, quòd hoc, nullo modo licebat: „ & allegant jura sua pro se valde, ùt eis „ videtur, expressa. Sed constanter nunc „ asseritur, quod est hæresis damnata „ per constitutionem Concilii *Constan-„ tiensis*. " Ita *Gerson*. Audiamus & *Majorem*. En! hic, *cap.* 15. *De Potest. Eccles* simili halitu eructat. " Duo [*inquit*] „ sunt modi oppositi dicendi, quorum „ unus tenet, Papam esse supra Conci-„ lium universale; hunc modum tenue-„ runt aliqui Cardinalium, & tenent com-„ muniter Thomistæ; & *Romæ*, ùt asse-„ ritur; nulli fas est, oppositum tueri. „ Alium modum, semper nostra univer-„ sitas *Parisina*, *à diebus Concilii Con-„ stantiensis*, imitata est, sic, quòd in „ ea, qui prædictam viam tenuerit; in „ campo [*id est: subitò*] cogitur illam „ revocare. " Anne hoc docuit Divus Thomas?

85. Si jam vobis (vos alloquor *Anticonstitutionarios*, vulgò *Jansenistas*, sed veriùs *Quesnellistas*, Cornelius enim Jansenius illius nunquam fuit opinionis, ùt mox demonstrabo] ullus superest agnoscendæ veritatis sensus, nónne invitis dentibus, fateri debetis, tempore schismatis, na-

natam, à Divis Patribus olim, & nunc, Sedis Apostolicæ, quin imò concordi Archi- & Episcoporum: *Hispaniæ*, *Lusitaniæ*, *Belgii*, *Germaniæ*, *Hungariæ*, totiúsque *Italiæ* & finitimorum Regnorum, judicio, reprobatam fore sententiam *vestram*? Anne opinio vestra, non tam per quatuordecim sæcula, & ab Ecclesiæ Christianæ incunabulis, ignorata, quàm à Sanctis Patribus, signanter *Augustino* & *Thoma* impugnata, ac porrò turbatissimo Ecclesiæ tempore exorta, pro vera & orthodoxa Ecclesiæ Doctrina, haberi potest? Quis Hæresiarcharum, ad dementandos Christi fideles, erroréſque suos liberiùs defendendos & promovendos, *Petri* Apostolorum omnium Principis, per successores suos loquentis, authoritatem, non repudiavit, eámque falsis criminationibus non fuit insectatus? Id fecêre *Lutherus*, *Calvinus*, & ante ipsos, *Errones* omnes, quos, per sæcula, recenset *R. P. van Ranst*, in singulari Opusculo: *De Hæresibus*, nuper *Trajecti*, typis *Jacobi Lekens* Impresso: atque idipsum, perfrictâ fronte, faciunt in ultimo agone jacentes *Quesnellistæ*, vulgò *Jansenistæ*. Sed, cur Hæreseon capita, è cerebro suo, hanc parturivêre chymæram? Ideo; quia, admissâ Apostolici judicii infallibilitate, errores suos, priusquàm adolescerent, in cunis suffocandos esse, sciebant. Intelligebant enim; quòd, quamdiu animis fidelium impressa maneret Pontificiæ infallibilitatis idea; Christi gregem dispergere & in devia abducere non possent.

86. Hîc juvat observâsse: quòd cum Carolo *Episcopo Antissiodorensi*, loco *supra, n. 70. citato*, conclament *Quesnellistæ*; Episcopos, extra Galliam, universos, acceptâsse Bullam *Unigenitus*, tanquam fidei regulam, *ex supposito*, quòd summus Pontifex, in determinandis fidei & morum articulis, sit *infallibilis*. Hoc, si ita est; ergo videtis; potiorem saltem Ecclesiæ partem, veteri SS. Patrum, de Pontificia infallibilitate, adhærere sententiæ; adeóque nostram, esse veram totius Ecclesiæ dispersæ, & capiti suo *unitæ* doctrinam. Non minùs enim vobis fatentibus, infallibilis est Ecclesia *dispersa*, quàm in Concilio Generali congregata. ADDE: quòd nequidem in *Gallia*, hoc saltem tempore, multi supersint Episcopi aut Doctores classici, qui Pontificiam impugnent infallibilitatem. Quinimò recentiores quidam Galli, Pontificiæ infallibilitati obluctantes, ultrò fateri coguntur; Concilia Generalia, ut robur habeant, confirmari debere à Romano Pontifice. Jam verò, sic arguo: vel judicium Pontificis confirmantis, vel reprobantis acta alicujus Concilii, est fallibile vel infallibile? Si hoc *secundum*; ergo vosmetipsos proprio mucrone jugulatis. Si *primum*; ergo tam parum certi sumus de articulis in Concilio determinatis, *post*, quàm *ante* Pontificis confirmationem, adeóque fideles circa articulos controversos & dubios, semper in bivio hærebunt & fluctuabunt, quod neutiquam dici potest, ne minùs provisum sit Ecclesiæ Christi, quàm *Synagogæ* Judæorum, in qua summo Pontifici, saltem in iis, quæ ad fidem pertinebant; attributa fuit summa & irrefragabilis, adeóque infallibilis judicandi potestas, ùt colligitur 1mò. ex *cap.* 28. *Exodi*. ℣. 30. ibi: *Pones autem in rationali judicii* DOCTRINAM & VERITATEM, quæ erunt in pectore *Aaron*. 2dò. Ex illo *Deuteron*. 17. ℣. 8. ibi: *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram; & judicum intra portas tuas, videris verba variari; surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus; veniésque ad Sacerdotes Levitici generis &* ad

ad judicem, qui fuerit illo tempore, quærésque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerísque sententiam eorum. Nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille. 3tiò. Ex illo: *lib. 2. Paralip. cap. 17. à vers. 5to.* ibi: *Constituítque judices terræ in cunctis civitatibus Juda... In Jerusalem quoque constituit... Levitas & Sacerdotes & Principes familiarum... præcepítque eis dicens... omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum... ubicunque quæstio est de lege, de mandatis, de cæremoniis, de justificationibus; ostendite eis, ut non peccent in Dominum... Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit.*

Ex quibus Divini eloquii textibus apparet 1mò. apud Hebræos, quadruplex fuisse genus controversiarum: videlicet: *de lege, de mandatis, de cæremoniis & de justificationibus.* Siquidem aliæ oriebantur circa legem *Decalogi*, aliæ circa mandata *moralia*, quæ sunt extra Decalogum, aliæ circa præcepta merè *cæremonialia*, aliæ demum circa præcepta *judicialia*, per quæ scilicet justitia, & pax inter homines conservanda erat. Apparet 2dò. Constitutos quidem fuisse judices in singulis civitatibus, quibus incumbebat controversias hujusmodi dirimere; in controversiis tamen difficilioribus, vel quando subalternorum judicum sententiæ variabant; eundum & provocandum fuisse ad *Sanedrim* sive *Synedrion*, id est collegium 70. *Seniorum*, cui præsidebat Pontifex, & cujus *Synedrii*, finali judicio, sub pœna mortis, acquiescendum erat. Apparet 3tiò. Hebræorum Pontificem, saltem cum *Synedrio* fuisse infallibilem; quia alioquin non *indicássent judicii veritatem*, nec promissio Dei fuisset impleta, neque sub pœna mortis, *synedrii* sententiæ fuisset obtemperandum. *Ratio* est: quia si Pontifex cum *Synedrio* potuisset errare; jam tota *Synagoga* [pro tunc vera Dei Ecclesia] potuisset errare, contra, quàm Deus statuerat pro tempore illo.

Quòd, si autem Pontifex *Synagogæ*, saltem cum suo Jerosolymitano *Synedrio*, erat infallibilis; quidnî multò magis summus Pontifex *Ecclesiæ Christi*, cum suo ordinario Cardinalium concilio, infallibilis sit? Si

87. Dicas: quòd in citato loco *Deuteronomii*, videatur agi de controversiis *factorum* particularibus; *judicialibus*, *civilibus* & *cæremonialibus*; in quibus summus Pontifex cum toto *Synedrio*, utique falli potuit. Neque abs re (Inquies) mandavit Deus, ut nolens obedire sententiæ *Synedrii*, morte puniatur; eò quòd pax & tranquillitas publica postulet, ut sit aliquod supremum, cui acquiescendum sit, Tribunal; ne lites & controversiæ sint in Republica immortales. Resp. *loc. cit.* non tam agi de pura *facti* quæstione, id est; An factum, v. g. *furtum, homicidium &c.* sit à tali vel tali persona patratum, quàm de juris quæstione; puta: utrum factum hoc certum, à tali vel tali patratum, sit legi conforme vel difforme. Quò facit, quòd controversiæ *de lege, de mandatis, de cæremoniis* & *justificationibus*, quæ ad summum Sacerdotem referendæ erant, utique non fuerint *facti*, sed *juris* quæstiones. Esto etiam per falsos testes, in criminali causa, potuerit circumveniri judex; ita, ut sub pœna mortis, equidem summi Pontificis judicio acquiescendum fuerit; eò quòd juxta allegata & probata, *inculpabiliter* processerit; inde tamen haud rectè intuleris;

idem

idem esse in quæstionibus fidem & salutem æternam concernertibus. Neutiquam enim putandum est: quòd Deus voluerit quempiam ideo morte puniri, *quia noluerit* amplecti errores, quos Pontifex docuisset, aut proposuisset credendos.

88. Ad vos revertor, qui cum *Enthusiastis*, Authoribus vestris, identidem, sed semper *damnabiliter*, provocatis ad futurum Generale Concilium, quasi verò interjectâ hujusmodi nefandâ appellatione, *suspensa foret Papæ authoritas, & vos interim, absque conscientiæ scrupulo, ùt ùt Excommunicati, & divinis interdicti; tutò, usque ad Concilii Generalis, fors post sæcula non celebrandi, definitionem, nedum à Sede Apostolica, sed & totius orbis Catholici Episcopis* (unum alterúmve Gallum non considero) *proscriptos errores defendere, fidelibúsque insusurrare possetis?* Quid? An, qui temporum historias, adeò acutè & limatè pervolvistis, invincibiliter ignoratis, quòd ante primum Concilium Generale, quod fuit *Nicænum*, celebratum *anno* 325. plurimi Hæresiarchæ, & errores infiniti, fuerint condemnati? Hac de re præprimis legi meretur Magnus Pater *Augustinus*, *lib. De Hæresibus.* Item *Epiphanius*, *Hieronymus* cum aliis Sanctis Patribus, ex quibus utile & singulare opusculum suum conflavit, *R. P. Van Ranst Ordinis Prædicatorum.*

89. Candide Lector! supra tibi promisi ostendere, quòd *Cornelius Jansenius Iprensis Episcopus* (ùt ùt in suo *Augustino compendiato*, non semper probè *Augustinianus*) tenacissimè steterit, pro summi Pontificis infallibilitate. En ejus verba, in *caput* 22. *Lucæ* ℣. 31. *&* 32. Ego autem rogavi pro te *peculiariter tanquam pro capite cæterorum, per quem reliquos ad salutem adducere decrevi*: ut non deficiat, *id est: non penitus eradicetur & extinguatur fides tua. Nam quamvis cribrandus & concutiendus esset, usque ad negationem Christi, quam ore fecit; fidem tamen internam, qua ad justitiam corde creditur, non amisit: sicut arbor, folia vi tempestatis, abjicit; non tamen vitam in radice permanentem, ùt sentit Ambrosius, in* ℣. 12. *Psal.* 43. *& explicat Theophilactus.* Quòd verò hoc infallibilitatis privilegium non fuerit soli *Petro*, sed & omnibus ejus successoribus peræquè à Christo concessum; idem *Jansenius* nobiscum ibidem docet, his formalibus: *Unde, quia confirmare Fratres, quod sequitur, ad officium Pastoris pertinet, & proinde perpetuum esse debet: hinc juxta sensum antiquorum, impetravit illi & aliud privilegium ad successores propagandum, ut videlicet* tanquam caput Ecclesiæ, nunquam, *nec ipse, nec successores ejus, in docenda vera fide deficerent, juxta illud* Leonis. *serm.* 3. *De assumptione sua ad Pontificatum: In* Petro, *omnium fortitudo munitur: & illud* Bernardi, Epist. 109. Ad Innocentium: *Dignum arbitror, ibi potissimùm resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum.* Concludit ergo Catholicè idem met *Iprensis*, non *Gandensis Jansenius*, super illud *Matthæi* 16. *Tu es Petrus &c.* his verbis: *Universa ergo Diaboli potestas, omnis hæreticorum machinatio, omnis vitiorum incursatio, omnis persecutorum sævitia, quæ Diaboli tanquam Principis & authoris istorum arma sunt, non prævalebunt adversus eam, sive oppugnatam, ut eam superent, sive oppugnantem, ut illi resistant; directè enim significatur, quòd Ecclesia tantam tractura sit firmitatem ex illa ædificatione supra petram, ut semper Diabolo invicta futura sit; ùt S. Augustinus, lib.* 1. *De Symbolo. cap.* 6. *ipsa est Ecclesia, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnans, pugnare potest, expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt; tanquam sarmenta in-*

inutilia de vite præcisa : ipsa tamen manet in radice, in vita sua, in charitate sua: Portæ inferi non vincent eam.

Non citavi *Jansenium* [ut facilè intelliges] ad confirmandam sententiam nostram; sed, ut tibi, quisquis es, digito demonstrarem, quantoperè discedas à *tuo*, quem in damnatis erroribus, sequeris, *Magistro*. Nec libet huic materiæ diutiùs immorari. Si quis tamen signanter circa verum intellectum Bullæ *Unigenitus* erudiri & refractariorum argutias solidè refutatas, videre cupit; legat dissertationem eruditissimi Patris nostri *Piette*, quæ habetur in calce *partis 3tiæ Elucidationis Difficiliorum Theol. quæst. à pag. mihi* 416.

Grassantes & inconsutilem Christi tunicam lacerantes, Catholicæ (inquam) doctrinæ unitatem discerpentes Quesnellistæ identidem ingeminant, & totis viribus, tum concionando, tum scriptitando, plebi alioquin probè Catholicæ, persuadere nituntur; se mutuatos esse moralem doctrinam suam, ab Ecclesia *Gallicana*. Verùm, candidum obsecro lectorem, ut oculos animúmque convertat in recens *Avenione* excusum opus, *Romæ* cum elogio approbatum, cui titulus *: De Suprema Romani Pontificis Authoritate, hodierna Ecclesiæ Gallicanæ Doctrina.* Egregius enim hujus operis Author, *part.* 1. *differt. prævia*, §. 1. 2. & 3. invictè & nervosè demonstrat; quòd à *Quesnellistis* vulgò *Jansenistis* tantoperè jactitatum discrimen inter *personam Romani Pontificis* & *Sedem Apostolicam*, non sit, nisi recens luxuriantium & perversorum ingeniorum inventum, ad labefactandam Ecclesiæ doctrinam, & inducendum *Schisma*, à quo Ecclesia *Gallicana* semper fuit remotissima. Itaque dicti operis Author, *loc. cit.* Gallorum Antistitum accumulat testimonia, quêis loquidò evincitur 1*mò*. Unum idemque ipsis fuisse : *Romani Pontificis de fide pronuntiantis judicium*; ac: *Dogmaticum Sedis Apostolicæ Decretum*. 2*dò*. Rejectam, & expresse reprobatam ab ipsis fuisse præposteram distinctionem inter *Sedem Apostolicam*, & *: Romanum Pontificem de fide pronuntiantem*. Econtra autem 3*tiò*. Galliæ Præsules, ex professo censuisse: quòd *Dogmaticum Sedis Apostolicæ judicium*, nihil aliud sit; quàm *Dogmaticum Romani Pontificis judicium, consuetis formalitatibus ab eo prolatum.* Insuper idem Author ille, *lib.* 1. *cap.* 1. demonstrat; Quòd Illustrissimi Galliæ Episcopi doceant; non modò *Petrum*, sed & Petri *Sedem*, seu *Petri successores*, à Christo fuisse constitutos Ecclesiæ & fidei Catholicæ *petram* & *fundamentum*. Cohærenter verò per octo *capita* in §*phos* divisa, ostendit sequentia. 1*mò*. Quòd Galliæ Episcopi censuerint, & docuerint, promissionem *Petro* factam illis Christi verbis: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* ad Romanos Pontifices, *Petri* successores omnino extendendam esse. 2*dò*. Quòd nedum veteres, sed & nostræ ætatis Præsules Gallicani, ubique doceant: omnibus Ecclesiis incumbere necessitatem, cum Ecclesia Romana, seu Apostolicâ Sede, id est, Romano Pontifice, in doctrina fidei conveniendi: & Romanæ Ecclesiæ traditionem seu doctrinam, cæteris Ecclesiis esse debere fidei regulam, confundendis Hæreticis omnino sufficientem, atque indefectibilem. 3*tiò*. Quòd Galliæ Antistites, celebre illud *Divi Patris Augustini* [*Sermone* 131. *alias.* 2. *De Verbis Apostoli cap* 10.) effatum. *Inde*, (scilicet à Sede Apostolica) *etiam Rescripta venerunt*, CAUSA FINITA EST: adoptantes; *supremum* & *irreformabile* censeant esse Sedis Apostolicæ judicium. 4*tò*. Quòd Gallicorum Antistitum cœtus, illud Magni Patris *Augustini* dictum: *causa finita est*, non judicaverit, fore, illo sensu capiendum;

piendum; quasi ideo duntaxat Pelagianorum causa finita fuisset; quòd illorum hæresis ab Ecclesia universali, *pro tunc* fuerit proscripta; sed: quia suum de ea, judicium dogmaticum, protulerat *Innocentius I. Romanus Pontifex*, ad cujus definitivum arbitrium, duo Concilia *Africana* submissa fuerant. *5tò.* Quòd Gallicani Præsules, ex ipso potissimùm *Augustino* probent profligandæ hæreticorum pertinaciæ sufficere Sedis Apostolicæ judicium. *6tò.* Quòd iidem infulati Proceres, phrasi Augustinianâ, pro certo teneant, causam fidei *esse finitam*; idem omnino esse, ac eandem *supremo & infallibili judicio fore definitam.* *7mò.* Quòd docentibus iisdem Præsulibus, Apostolica Sedes, seu Romanus Pontifex, sit immotum ac necessarium Catholicæ unitatis *centrum*; & hujus centri ea sit prærogativa; ut à fide deviare non possit. *8vò.* Quòd ex sententia Gallicanæ Ecclesiæ, ea insit Pontificiis, circa fidem judiciis, authoritas; ut omnes Christiani, sincerum mentis obsequium, iis præstare teneantur. *9nò.* Quòd Illustrissimi Galliarum Antistites divinum *inerrantiæ* privilegium Sedi Apostolicæ, seu Romano Pontifici, non modò generatim asserant; sed & contra *Novatores*, datâ operâ vindicent, fateantúrque, suam, de suprema & indeficienti Romanorum Pontificum authoritate, sententiam, ipsámmet fore certam & infallibilem Ecclesiæ Catholicæ Doctrinam.

Hæc sincerissimâ mente summatim indigitare, non autem sigillatiùs extra præsens propositum, deducere volui, intuitu illorum, qui licet fraternè admoniti, & per privatas epistolas meas, erroris convicti, crambem recoquunt, & perpetuò regerunt: se Gallicanæ Ecclesiæ, nunquam reprobatæ, adhærere dogmatibus. Ubi infelices viri isti alioquin non indocti, à profugis, & Gallia proscriptis gerronibus dementati, Gallicanæ Ecclesiæ seu cœtûs Episcoporum Gallicanorum doctrinam, putant esse: tum *falsa*, tum *temeraria*, tum demum *scandalosa asserta Paschasii Quesnelli*, à quibus ipse *Cornelius Jansenius Iprensis Episcopus* (cujus nomine gloriantur) adeo alienus fuisse videtur, ut de iis fors nequidem somniaverit. Erravit *Jansenius iste*: & ab Ecclesia, quinque propositiones ex ejus libro *De gratia*, proscriptæ noscuntur. Hactenus tamen nemo ipsi errores in *Paschasio Quesnello* meritissimè damnatos, adscripsit; neque quis ipsum istarum abominabilium aberrationum proclamavit primipilum. Observet hoc, cui mens docilis & non omnino perversa est, ut discrimen faciens inter *Jansenii* & *Quesnelli* ERRORES, utrumque deserens, ad obedientiam summo Pontifici Romano debitam, & Ecclesiæ Catholicæ expansum sinum, hoc Jubilæi tempore, pœnitens revertatur.

90. Jam ad propositum nostrum, rursum vela tendamus; & dispiciamus; an summi Pontificis Monarchia, se ad temporalia mundi regna, extendat; sive; an Pontifex sit Dominus totius orbis? Ut hanc quæstionem exactè & fundamentaliter pertractemus; præjudicialiter disquirendum est; utrum Christus ipse, cujus Papa Vicarius est, temporale habuerit totius mundi Regnum? Qua in re, extra dubium est, quòd Christus quà Deus & Dei filius, sit & fuerit Rex, Dominúsque universarum creaturarum: sed nec ambigi potest, an Christus quà homo, fuerit Rex omnium spiritualis; cùm carne indutus humanâ, venerit salvare universum genus humanum, quòd in *Adam* perierat, adeóque illimitatam habuerit potestatem, in omnes tam fideles, quàm infideles; tam Gentiles, quàm Judæos, in ordine ad salutem æternam.

Quæ-

Quæſtio igitur ſolùm eſſe poteſt; an Chriſtus, quà homo defacto habuerit dominium temporale vel totius mundi, vel *Judææ*, vel alterius ditionis. Dixi: *De facto habuerit*. Certum enim eſt; quòd totius mundi *temporale* imperium habere potuerit, ſicut habuit *ſpirituale*. Pro reſolutione præjudicialis quæſtionis.

91. Dico: Verius eſſe, quòd Chriſtus, quà homo, nec mundi totius, neque Regni Judaici, vel alterius ditionis, fuerit Rex aut Dominus *temporalis*; id eſt: in finem ſæcularem, puta: civilem Reipublicæ tranquillitatem. Ita cum agmine aliorum, ſentiunt *Dominicus* Soto *lib.* 4. *De juſtit. & jure. q.* 4. *art.* 1. Victoria, *Relectione* 1. *De poteſtate Eccleſiæ. ſect.* 6. Medina, *in* 3. *part. q.* 39. *art.* 4. & ſignanter *Bellarminus*, *lib.* 5. *De Romano Pontif. cap.* 4. *Ratio* eſt: Quia omne regnum acquiritur, vel jure hæreditario; vel populi electione; vel jure belli; vel teſtamento, ſeu alterius donatione. Atqui Chriſtus, nequidem Regnum judaicum, ullo ex his modis habuit. Ergo. *Probatur minor*, per *partes*. In primis non habuit *Judææ* Regnum, jure hæreditario; quia, ſi hoc verum eſſet; vel *Deipara Virgo* fuiſſet Regina populi Judaïci, *vel Joſeph* ejus Conjux fuiſſet Rex; aliunde enim Chriſtus, hæreditario jure, Regnum *Iſraël*, quam ab ipſis, conſequi nequiviſſet. Neutrum autem ex S. Scriptura probari poteſt. Ergo. Adde: quòd Chriſto nato, à Tribu & familia David, ſceptrum fuerit ablatum. Quò pertinet illud *Jerem.* 22. de *Jechonia*, quòd *non erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David.* In quem locum ſcribens Divus *Hieronymus*, quærit: quomodò iſta prophetia combinari poſſit cum effato Angeli dicentis: *dabit ei Dominus Deus, ſedem David patris ſui, & regnabit ſuper domum Jacob in æternum.* Reſpondet autem Sacer ille Interpres: ſeſſurum quidem Chriſtum Dominum; ſed, in Regno perpetuo atque cœleſti, de quo locutus eſt Angelus, non autem in Regno terreno & caduco, de quo loquitur *Jeremias*. Divo *Hieronymo* conſonat *S. Ambroſius*, *lib.* 3. *in cap.* 3. *Lucæ* inquiens: *Quòd regnavit Chriſtus, non contra Prophetiam eſt: non enim ſæculari honore regnavit.* Ex quibus verbis Doctor *Angelicus* argumentatur. 3. *p. q.* 31. *art.* 2. *ad* 3.

Sed, neque Chriſtus temporale habuit regnum, vel populi electione; vel jure belli. Tum, quia fugit, quando ipſum volebant facere Regem. *Joan.* 6. *Terrena enim declinabat* [ùt ait *Divus Ambroſ. lib.* 7. *in Lucam.*) *qui propter divina deſcenderat.* Tum, quia Chriſtus nullum geſſit *temporale* bellum cum hominibus; ſed ſolùm *ſpirituale* cum Diabolo & Angelis ejus. Unde in *Epiphaniæ* feſto, perſonat Eccleſia: *Non eripit mortalia, qui regna dat cœleſtia.* & *S. Leo*, *Serm.* 1. *de eodem feſto*: *Dominus mundi, temporale non quærit regnum, qui præſtat æternum.*

Porrò; neque Chriſtus ex teſtamento vel donatione alterius Regis, regnum quodpiam habuit terrenum; quia expreſsè *Joannis* 18. dixit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* & iterum: *Regnum meum non eſt hinc.* In quem locum commentans Doctor *Angelicus*, cum Divo Patre *Auguſtino*, alibi à nobis citato, in *Catena Aurea*, dicit: Chriſtum non aſſeveràſſe, Regnum ſuum non eſſe *hic*, ſeu in hoc mundo; ſed non eſſe *hinc*, id eſt: *de hoc mundo*: quoniam non tenuit regnum, ùt hîc Reges tenent humanum, ſed divinum. Unde idem S. Doctor, 3. *part. q.* 36. *art.* 2. *ad* 3. De Diabolo & Herode dixit: *Uterque regni ſui ſucceſſorem timebat, Diabolus cœleſtem, ſed Herodes terrenum, ſuperfluè tamen; quia Chriſtus non venerat Regnum in terra habere.*

Do-

Doctori *Angelico* præluxerat Africæ lumen, Divus P. *Augustinus* qui de gente judaïca differens, *lib.* 17. *de Civit. Dei. cap.* 7. fic ait: *Qui populus regnum fuerat amiffurus, Chrifto Jefu Domino noftro, non carnaliter, fed fpiritualiter regnaturo.* Nimis dulcia funt Melliflui Doctoris verba, ut illa hîc prætereamus. *Quæro* [inquit *ferm.* 4. *fuper miffus*] *quomodo dederit ei Deus, fedem David Patris fui, cùm ipfe in Jerufalem non regnaverit? fed novimus quandam aliam Jerufalem ab ea, quæ nunc eft, in qua regnavit David; fignificatam, multò iftâ nobiliorem, multò ditiorem. Hanc igitur puto hîc effe fignificatam, illo videlicet ufu loquendi, quo fæpe reperis, in fcripturis*, fignificans poni pro fignificato... *Dabit ergo ei Dominus Deus fedem David Patris fui, non typicam, fed veram; non temporalem, fed æternam; non terrenam, fed cœleftem.*

Sanctorum Patrum authoritatibus accedit in Sacris Scripturis tradita ratio, quòd fcilicet Chriftus in carne paffibili redempturus humanum genus, & hominibus fluxarum rerum contemptum perfuafurus, voluerit effe fingulare exemplum voluntariæ paupertatis [vide *capitul. Exiit. De verbor. fignific. in* 6.] & veftibus fpoliatus, nudus pro peccatis noftris, in cruce mori voluerit, nec ullius terreni Regni conftituerit vel reliquerit Vicarium, ficut conftituit & reliquit, in monarchia fpirituali.

92. Oppones: Regius Propheta referens Dei Patris oraculum, dixit ad Chriftum: *Pfal.* 2. *Poftula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* & *Zachariæ* 9. dicitur, *Ecce Rex tuus venit.* Quinimò Salvator ipfe *Matth.* 28. afferuit: *Data eft mibi omnis poteftas in cœlo & in terra.* & *Lucæ* 10. *Omnia mihi tradita funt à patre meo.* Id quod *Lucæ* 1. prædixerat Angelus, & confeffus eft Apoftolus, ad Hebr. *cap.* 1. dicens: *Quem conftituit hæredem univerforum.*

Resp. Cuncta ifthæc fcripturæ teftimonia intelligenda fore, de regno Chrifti fpirituali, in Ecclefia, five *militante*, five *triumphante*; in quam ex omni gente, convertendæ erant animæ. Cui argumentô eft; quòd, dum Affertor nofter *Matth.* 28. dixerat: *Data eft mibi omnis poteftas in cœlo & in terra.* fuam quafi explicans poteftatem, mox fubjunxerit; *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* quò indigitavit, fuam à Patre acceptam poteftatem, non collimare ad dominandum in corpora, fed ad lucrifaciendas animas.

Instabis. Omnis potentia, ars, vel virtus finem certum refpiciens, habet difponere de his, quæ funt ad finem, ut loquitur Divus *Thomas* 2. 2. *q.* 40. *art.* 2. *ad* 3. Jam verò, temporalia funt propter fpiritualia, tanquam propter finem. Ergo fi Chriftus habuit plenitudinem poteftatis, circa fpiritualia, habuit & circa temporalia.

Resp. Ex hoc argumento legitimè inferri id quod cum *Sectariis*, negant quidam *Galli*, videlicet: Chriftum habuiffe ampliffimam poteftatem difponendi de regnis etiam temporalibus, in ordine ad finem fpiritualem; licet non habuerit, nec exercuerit poteftatem *formaliter* & *directè* circa temporalia. Unde, cùm Chriftus eandem poteftatem fuam contulerit Divo *Petro* & fucceffsoribus ejus; bene contra adverfarios inferimus; quòd Pontifex ad inftar Chrifti, poffit de rebus temporalibus difponere, faltem inter Chriftianos; quatenus *illæ* bonum fpirituale promovere vel impedire poffunt.

Urgebis. Ex mente Divi *Thomæ*. 3. *p. q.* 59. *art.* 4. *ad* 1. Chriftus fuit verus Rex à Patre conftitutus, quanquam in terris vivens, ex humilitate, regnum administrare

ministrare noluerit. Idem tradit *S. Doctor lib. 3. De regimine Princip. cap.* 12. dicens: Christum fuisse Regem, Sacerdotem, & Monarcham. Quinimò *cap.* 13. ait: *Augustum* Imperatorem, gessisse vices Christi, & vetuisse; ne quis de Romano populo, ipsum vocaret *Dominum.* & rursus *ibid. cap.* 15. asseverat: Christum fuisse temporaliter Dominum totius orbis. Unde *cap.* 16. ait: Regnum Christi fuisse *compositum ex terreno* & *cœlesti*, sive ex temporali & spirituali; &, quòd illud *Constantinus* cesserit *Beato Sylvestro*; tanquam vero Jesu Christi Vicario, cui *de jure debebatur.*

Resp. Divum *Thomam loc. cit.* nihil aliud velle, nec docere; quàm, quòd Christus, quà filius Dei, fuerit Rex & Dominus totius mundi, id quod nemo negare potest; non verò; quòd, *quà homo*, vel quòad potestatem vel potestatis usum, fuerit Rex *de hoc mundo*; scilicet; cum honoribus, opibus & mundana potentia; tametsi, propter excellentiam potestatis spiritualis, quam habebat in omnes res humanas; potuisset multis earum uti, quibus non est usus. Quod Doctor *Angelicus* ita sit intelligendus, patet ex hoc, quòd pro confirmatione doctrinæ suæ adferat *ibidem* ipsiusmet Assertoris nostri oraculum: *Regnum meum non est de hoc mundo.*

93. Priusquàm ad alios passus respondeam, recolere oportet: quòd, sicut alibi observavi; meritò dubitetur, an opus *de Regimine Principum*, sit genuinus partus Doctoris *Angelici*; id, quod ante meam exilitatem, ab aliis eruditioribus animadversum fuit, tum ex styli magna diversitate; tum ex eo [ut de reliquis nil memorem] quòd *lib. 3. cap.* 20. ea referantur, quæ non nisi post obitum authentici istius Doctoris, accidisse noscuntur; cujusmodi sunt: quod Imperatori *Rudolpho* successerit *Adolphus*; & *Adolpho Albertus*; quæ certè successionis series non contigit vivente Angelico Doctore, utpote mortuo *anno* 1274. cùm *Adolphus* successerit *Rodolpho*, *anno* 1292. & *Adolpho Albertus*, *anno* 1299. Porrò Historiographi Ordinis nostri FF. *Eremitarum S. P. Augustini*, Ægidium *Romanum* faciunt authorem operis: *De regimine Principum.* quod & fatetur *Joannes Pontas*, in suo Dictionario casuum conscientiæ. *lit. A.* ubi etiam dicit: quòd ille noster Ægidius, fuerit Præceptor *Philippi pulchri* Regis Galliæ.

94. Quisquis autem Author prædicti operis fuerit; nil equidem sano sensu aliud ex locis allegatis erui & asseri potest; quàm, quòd Christus, *quà homo* fuerit Dominus & Rex spiritualis; habueritque summum *directè* in animas, *indirectè* autem in corpora, seu temporalia bona imperium; id, quod non obscurè insinuat Author iste *cit. cap.* 13. ubi tradit: Monarchiam Christi fuisse, & esse *universalem*; eò quòd in omni plaga & angulo mundi, adoretur nomen ejus, juxta Prophetiam *Malachiæ. cap.* 1. *In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Ex quo textu sic arguit Author operis: *In quo verbo satis apparet, quòd dominium Christi ordinatur ad salutem animæ & ad spiritualia bona, licet à temporalibus non excludatur, eo modo, quo ad spiritualia ordinantur.* Quò facit, quòd idemmet Author *cap.* 15. De Salvatore nostro disserens, sic scribat: *Quamvis temporaliter esset Dominus Orbis: directè tamen ad spiritualem vitam, suum ordinavit Principatum, juxta illud Joan.* 10. *ut vitam habeant.* Dic ergo, quòd Christus, eatenus fuerit Monarcha universalis; quatenus omnes homines, eorúmque actiones bonæ vel malæ, ejus subjiciuntur judicio, sive in vitam, sive mortem æternam. Por-

Porrò, ad id, quod de *Augusto* Cæsare (sub cujus Imperio natus est Salvator mundi) narratur; idem dici potest; quod ex Sacræ Scripturæ eloquio, dicimus de *Caipha*; qui, *cùm esset Pontifex anni illius*, ignorans quid diceret, Prophetavit, dicens: *Expedit, ut unus moriatur homo pro populo.* Confer *Osorium. lib. 6. cap. 22.* Paucis: quia Christus illimitatam habuit potestatem, unam nempe *directam*, quæ primariò respiciebat spiritualia; aliam *indirectam*, quæ temporalia concernebat; ideo Author tractatûs *De Regimine Principum*, non abs re dixit: Regnum Christi fuisse *compositum*, ex potestate videlicet *virtualiter*, ùt Theologi loquuntur, duplici, quatenus potestas ejus erat *formaliter* & *directè* spiritualis; *eminenter* autem & *indirectè* temporalis. Cæterùm; quando librorum istorum Author scripsit: *Constantinum* Imperatorem cessisse dominium *Sylvestro Papæ* tanquam Christi Vicario; cui, ùt ait; *de jure debebatur*; non debet intelligi; quasi temporale dominium civitatis *Romanæ* & adjacentium ditionum, fuerit summo Pontifici debitum *ex justitia*; sed NB. *ex honestate* & *decentia*; eò quòd *antidotalis* gratitudo postulaverit; summum Pontificem, qui in monte *Soracte* metu persecutionum latitaverat, & Imperatorem à lepra nedum corporis, sed & animæ, curaverat; aliquo temporali saltem affici beneficio, ut pro spirituali semente, ad fidelium consolationem, meteret fructum temporalem.

Præmissâ hujus non spernendæ nec prætereundæ quæstionis resolutione, faciliùs percipi poterit quæstio, quam Canonistæ movent de summi Pontificis imperio, moti textu, in *can. Omnes. Dist. 22.* ubi *Nicolaus* Papa dicit; quòd Christus *B. Petro* commiserit *terreni simul & terrestris Imperii jura.* Ut distinctè procedamus.

95. Concludendum. 1mò. *Papam*, nullam habere [*directè* scilicet] jurisdictionem merè temporalem, *jure divino*, quâ scilicet sit Rex vel Princeps, aut Dominus, sive totius mundi, sive orbis christiani, aut alicujus ditionis, quò ad regimen temporale, ínque finem merè civilem, qui est temporalis Reipublicæ tranquillitas & felicitas.

Ratio peremptoria est; quòd, ùt ex supradictis constat; Christus ipse *quà homo*, non habuerit alicujus loci dominium, ut multo minùs illud habere possit ejus Vicarius; maximè; cùm neque ex Sacris Litteris, nec ex Traditione, proditum sit; Christum *Petro* ejúsve successoribus, contulisse potestatem merè spiritualem.

Adhæc: Potestates: Pontificialis & Regia, divinâ institutione, sunt distinctæ, & *subjecto* & *functione*; per textum notabilem *Innocentii III. cap. Solitæ. tit. De Majorit. & obedient.* ibi: *Ad firmamentum cœli, hoc est, universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis authoritas & Regalis potestas: sed illa, quæ præest diebus, id est, spiritualibus, major est; quæ verò carnalibus; minor: ut quanta inter solem & lunam, tanta inter Reges & Pontifices differentia cognoscatur.* Cui consonat illud, quod ex *Gelasio* Papa refertur, *can. Duo sunt. Dist. 96.* videlicet: duplici Imperio mundum regi; *Authoritate Pontificiâ & Potestate Regiâ.* Quò facit; quòd *Nicolaus*, postquàm in *Epist. ad Michaëlem Imperatorem* dixit: ante Christi adventum, quosdam fuisse simul Reges & Sacerdotes, subdiderit: *Cùm autem ad verum ventum est, ultra sibi, nec Imperator jura Pontificatûs arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpavit. Quoniam idem mediator Dei & hominum Christus Jesus, sic actibus propriis & dignitatibus distinctis,*

ctis, *officia potestatis utriusque discrevit &c. Ut & Christiani Imperatores pro aeterna vita, Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum, imperialibus legibus uterentur.* Hic textus refertur *in can. Cùm ad verum. Dist. 96.*

96. *Ratio rationis est*; quòd ex veriori *Publicistarum* sententia, Imperialis aut Regia potestas non profluat *immediatè* à Pontifice; sed: vel à Deo, vel à Republica, ùt supra. *à n. 11. usque ad n. 15.* fusiùs demonstratum. Ergo Pontifex non habet *directum*, in Reges & Regna, *Imperium temporale.* Proinde Papa, non potest Reges aut Principes ita liberè constituere vel destituere, sicut Episcopos aut Parochos; adeò; ut, si absque legitima causa, salutem animarum concernente, Principem aliquem Regno privare pertentaret; non solùm peccaret; sed etiam nihil ageret; eò quòd sententia ab incompetente judice lata, nullius sit roboris; quod ob contrariam rationem, secus est; si Papa v. g. etiam sine causa, Episcopos vel Parochos, jurisdictione privaret, vel Episcopatum, in certo loco, extingueret. Teneret enim & verosimiliùs valeret Papae sententia, licet fortè illicitè ageret. Quod bene notent & cordi ducant Ecclesiae *Ultrajectinae* insani Defensores, qui humillimè supplicando, haud verò *protestando* & *damnabiliter à S. Pontifice, ad futurum Generale Concilium, appellando*; pristina jura vetustissimae Ecclesiae, postliminio recuperare possent, quod ut aliquando fiat, animitus exopto. Vide dicta hoc *cap. n.* 58.

97. Ob rationem adductam, in causis possessionum, aliarúmque rerum temporalium, non licet à Regibus, provocare ad Papam, ùt liquet ex *cap. Si duobus. tit. De appellationibus.* ubi *Alexander III.* rogatus: an appellatio à civili judice, *ad Papam*, teneat; *Respondit* tenere, quò ad eos, qui temporali Pontificis jurisdictioni sunt subjecti; quales sunt illi, qui in statu Ecclesiastico, v. g. *Romae*, *Bononiae &c.* degunt; non tenere verò, quò ad alios extraneos, *juxta rigorem juris*; quia, extra territorium jus dicenti, impunè non paretur, & ùt habetur *cap. causam.* tit. *Qui filii sint legitimi. Ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam, de possessionibus judicare.* Unde *ibid. cap. per venerabilem. Innocentius III.* affirmat & fatetur: quòd Rex *Francorum*, *in temporalibus*, non recognoscat superiorem, super terram.

98. Oppones: *Theodosius* Imperator sanxit: ut omnes causae etiam Civiles, terminarentur judicio Episcoporum, prout colligitur ex *can. Quicunque.* & *can. Omnes. caus.* 11. *quaest.* 1. Idem constituit *Carolus Magnus* relatus in *can. Volumus. ibid.* Resp. Ista capitula non esse summorum Pontificum Decreta, sed placita pientissimorum Imperatorum; qui, pro sua in clerum veneratione & fiducia, non soli summo Pontifici, sed & omnibus Episcopis & Praelatis sublimioribus, illum honorem detulerunt. Verùm, ùt rectè observat *Dominicus Soto* in 4. *Dist.* 25. *q.* 1. *art.* 1. Canones isti jam pridem, nedum contrario usu, sed & Pontificum Constitutionibus, abrogati noscuntur; ita, ut in causis civilibus [extra Statum Ecclesiasticum, seu, ùt dici solet, *Patrimonium Divi Petri*] appellatio ad summum Pontificem, nullius sit efficaciae. per cit. *cap. Si duobus. De Appellat.* Unde ad summum, saniores SS. Canonum Interpretes & Jurisconsulti Catholici, illis duntaxat in casibus, admittunt appellationem ad Pontificem; quibus controversia non potest definiri per judices saeculares, puta: si partes contendentes vel non recognoscant superiorem; vel ju-

Judex nolit administrare justitiam; aut demum, alteruter litigantium condemnatus, nolit parére sententiæ. His enim casibus, causas etiam profanas, devolvi ad summum Ecclesiæ Tribunal, *per modum correctionis fraternæ*, non obscurè colligitur, nec immeritò statuitur in *cap. Novit. tit. De judiciis.* ubi vide *Augustinum Barbosam*, in *Collectaneis*; & *Prosperum Fagnanum*. Quod si reclames dictum *Nicolai* Papæ, de quo supra. vel provoces ad Officium Ecclesiasticum de 18. *Januarii. de Cathedra S. Petri Romæ*: In quo legitur: *Tibi tradidit Deus omnia regna mundi.* Resp. cum *Bellarmino*, *lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 15.* quòd summus Pontifex alludens ad elogium Salvatoris *Matth. 16.* nil aliud velit indigitare; quàm, quòd Assertor noster Divo *Petro* Vicario suo, concesserit eatenus jus regni terreni simul & cœlestis; quatenus ei potestatem contulit solvendi & ligandi in terra, quod pro soluto ligatóve, rati-& grati-habendum sit in cœlis. Non displicet autem expositio *Dominici Soto*, loc. *cit.* dicentis: eo loco traditam fuisse Divo *Petro* & ejus successoribus *indirectam* in Reges & Regna terrena potestatem; videlicet; in ordine ad finem spiritualem. Ita, ut Christus Divo *Petro* tradiderit omnia regna mundi, ut inibi Evangelium possit annuntiari, fides prædicari, vera Ecclesia stabiliri *&c.* Neque aliud insinuare voluit *Gelasius* Papa, in prosa Ecclesiastica *incip. Clare Sanctorum.*

99. Instabis. Pontifex potest deponere Imperatores & Reges, ùt probari potest ab exemplorum inductione; Ergo habet temporale & supremum aut *supereminens*, in ipsos & Regna ipsorum, *dominium*. Quidquid sit de factis, variâ crisi, à *Publicistis*, præsertim Sedi Pontificiæ infestis, passim notatis; ego, cum agmine Orthodoxorum Doctorum, Respondeo: Pontificem nec deposuisse, nec posse pro lubitu, & ex quavis causa, deponere Reges, aut ipsorum subditos, à juramento fidelitatis & subjectionis absolvere; sed tantùm id posse, si salus animarum spiritualisque Ecclesiæ necessitas hoc postulet. Vide *R. P. Franciscum D. Enghien* in libello, cui titulus: *Authoritas Sedis Apostolicæ*, pro S. *Gregorio* Papa VII. *vindicata.* ubi contra *Natalem Alexandrum*, operosè demonstrat, quòd S. *Gregorius* Papa *de jure* potuerit deponere & de facto *justè* deposuerit *Henricum IV.* Germaniæ Regem.

100. Urgebis: *Papa tempore interregni*, seu vacante Imperio, succedit Imperatori in potestate imperiali, ùt asserit *Clemens V. in Clementina. Pastoralis. tit. De sent. & re judicata.* Ergo *&c.* Resp. Ita quidem olim ante *Aureæ Bullæ* à *Carolo IV.* conditæ constitutionem, usu receptum fuisse; non, quòd Pontifex vacante Imperio, successerit Imperatori, in omni regimine temporali; sed, ut causæ, moram non ferentes, *tempore interregni*, æquanimiter dirimerentur. Dixi: *ante Aureæ Bullæ &c.* per hanc enim Imperio *Romano-Germanico*, de binis Vicariis Imperii, *Palatino* scil. & *Saxone*, abundè provisum est. Qua de re videri possunt *Publicistæ.*

101. Replicabis. Si ita res se habet; cur ergo *Bonifacius VIII.* in *Extravag. Unam Sanctam. tit. De maj. & obed.* tradit; Ecclesiam habere duplicem potestatem, *spiritualem* scilicet & *materialem*, id est, *temporalem*. & cur *Alexander VI.* orbem novo detectum inter Hispaniæ & Lusitaniæ Reges divisit? Resp. Ecclesiam *directè* non fore, nisi unâ potestate scilicet spirituali munitam. Id quod S. Pontifex *Nicolaus* relatus *can. Inter hæc. caus. 33. q. 2.* sacrosanctè fatetur dicens: *Sancta Dei Ecclesia, mundanis nunquam con-*

constringitur legibus: *gladium non habet*, *nisi spiritualem*. Equidem; quia ex causis supra memoratis, ad temporalia quoque prorogatur; ideo *indirectè* & *consecutivè*, temporalis sæpe audit, ut proinde potestas per se & formaliter *una*, sit quadantenus duplex, *virtualiter* scilicet, aut *eminenter*.

Adverte hîc, benevole Lector! quòd *Pufendorfius*, *Vitriarius*, *Bœclerus* & id genus *Pseudo-Politici* & *Moralistæ Protestantes* in odium S. Romanæ Ecclesiæ, pluries effutiant; Romanos quosdam Pontifices nimium dilatâsse philacteria sua, usurpando etiam in Reges potestatem incompetentem. Audi nunc, quid *Bonifacius* per utrumque gladium, seu utramque potestatem intelligat. *In hac* (scilicet Ecclesia, inquit) *ejúsque potestate, duos esse gladios, spiritualem videlicet & temporalem*; *Evangelii dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis: Ecce! duo gladii hîc, in Ecclesia scilicet*; *non respondit Dominus*, nimis *esse*, *sed* satis. *Certè*, *qui in potestate Petri*, *temporalem gladium esse negat*, *malè verbum attendit Domini proferentis*: *converte gladium tuum in vaginam. Uterque ergo est in potestate Ecclesiæ*, *spiritualis scilicet gladius & materialis*; *sed* is, *quidem* pro Ecclesia, ille *verò* ab Ecclesia *exerendus*. Ille *Sacerdotis*; is *manu Regum & militum*; *sed*, ad nutum & patientiam Sacerdotis. *Oportet autem gladium esse sub gladio*, & *temporalem authoritatem*, *spirituali subjici potestati &c.* Confer Divum *Bernardum lib.* 4. *de consideratione. cap.* 3. ubi iisdem pene verbis dogmatizat. Porrò, ad id, quod de *Alexandro VI.* refertur; aliud ex Sacrorum Canonum intellectu, Respondere non licet; quàm, quòd Pontifex iste, sphæram suæ potestatis haud excedens, aliter non fuerit inter Reges *Hispaniæ* & *Lusitaniæ* partitus neò detectam orbis partem *Americanam*; quàm, ut sub eorum auspiciis, eò mitterentur Evangelii Præcones, iique inibi protegerentur ab insultibus & tyrannide infidelium. An autem gentiles & infideles ideo, *quia tales sunt*, Regnis & bonis suis spoliari, torqueri, imò trucidari possint; longè alia est quæstio, quam Deo adjuvante, infra tractabo. Interim, hac de re videre poteris *Angelicum* Doctorem. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 10. & non est spernendus hac in parte *Durandus* in 2*dum sententiarum. Dist.* 44. *q.* 3. Ubi negat; infideles, in paganis hujusmodi plagis mundi, Reges aut homines privatos, posse privari dominio, quod istic locorum habent in Christianos; præsertim, si ab iis non cogantur abjurare fidem, aut blasphemare Salvatorem. Ratiô *Durandi* est, partim; quia deest Ecclesiæ jurisdictio: partim; quia hoc esset, infideles cogere ad fidem, quæ suadenda, non extorquenda est.

102. Insurges Denique: ipsemet *Angelicus* Doctor sub finem *libri* 2*di sententiarum* dicit; in *Papa* esse apicem utriusque potestatis, *spiritualis* scilicet & *secularis*: & quidem ex dispositione illius, qui est Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech, & Rex regum, ac dominus dominantium. Id quod idem S. Doctor docuit in *Epistolam primam ad Corinth. cap.* 6. ubi ait: juxta Apostolum, datam esse Ecclesiæ potestatem judicandi sæcularia. Resp. Divum *Thomam* nequaquam docere; quòd S. Pontifex, *jure divino*, habeat directam, summámque potestatem in sæcularia; siquidem in *caput* 13*tium Epist. ad Rom.* scribens, ait: Clericos esse exemptos à tributis, ex privilegio principum sæcularium, quod non esset verum; si Pontifex esse supremus temporalium dominus. Quocircà S. Doctor *loc. cit.* ex 2. *sent.* vel loquitur de potestate, quam habet Pontifex in illis regnis aut provinciis, quæ ex *Constantini* aliorúmque Regum donatione, temporali ejus subjiciuntur imperio; vel

certè vult, in summo Pontifice, esse apicem utriusque potestatis per totum orbem, in sano & alias explicato sensu. Ita nempe, ut in ipso sit apex potestatis spiritualis, *directè* & *per se*; sæcularis verò potestatis, *indirectè* & *consequenter*. Recole omnino dicta *lib.* 1. *cap.* 14. à *n.* 18. usque ad *n.* 38.

103. Pro coronide hujus sat prolixi capitis, unicam adhuc discutiamus quæstionem: Num Imperator *Romano-Germanicus*, habeat dominium totius orbis?

Sanè communis & vera *Publicistarum* sententia est: Imperatorem *Romano-Germanicum* omnibus quidem Principibus Christianis, authoritate & dignitate, esse superiorem; absolutè tamen, nec *proprietatis* nec *jurisdictionis* dominium habere, in totum terrarum orbem, imò nec in omnia regna Christianorum. Ratio *primæ partis* habetur ex usu veterrimo, cui superstructa est *Aurea Bulla Caroli IV.* Cæsaris, ad quam vide *Goldastum*, *Carpzovium* & alios passim. Ratio *2dæ*; imò *utriusque partis* est; quòd neque *jure naturæ*, neque *jure positivo divino* vel *humano*, Imperator habeat orbis dominium. Non *jure naturæ*, vel *divino*; quia de illo, nullum uspiam vestigium invenitur, sed nec *jure humano*; quia nec de illo quidquam constat, ut rectè arguit D. *Thomas* 2. 2. *q.* 10. *art.* 10. Igitur, licet Augustissimus Imperator noster *Romano-Germanicus*, quà Fidei Catholicæ Defensor & Romanæ Ecclesiæ Advocatus, possit convocare & congregare Principes Christianos saltem eos, qui ab ejus jurisdictione non sunt exempti, idque ad hæreticos arcendos, ad schismata sedanda, & ad propulsandos crucis Christi inimicos; nihilominus, Imperator non potest pro lubitu, uti rebus aliorum Regum aut Principum, neque potest eos Regno vel Principatu spoliare. Vide dicta *cap.* 3. *n.* 60.

Dices: si, ùt ex dictis abundè liquet, detur suprema spiritualis potestas residens in uno, scilicet Romano Pontifice; cur non daretur etiam summa potestas civilis residens in uno videlicet Imperatore Romanorum? Resp. Duplicem esse disparitatis rationem. *Prima* est, quod spiritualis potestas sit immediatè instituta à Christo, & tradita Divo *Petro* ejúsque successoribus; civilis autem potestas, sit quidem à Deo, sed mediante Republicâ, quæ, sicut est varia, pro diversitate gentium; ita una transtulit summam potestatem in hunc, alia in alium Principem. Neque unquam omnes Respublicæ congregatæ sunt, aut congregari potuerunt, ut unum caput eligerent: & quanquam olim Romanum Imperium fuerit latissimè diffusum, illique paruerint nationes permultæ; nullus tamen Romanorum Imperatorum, Dominus fuit totius mundi. *Altera* ratio est; quòd, cùm una tantùm sit salvifica fides & Christiana Religio; omnino conveniens sit; penes *unum*, esse summam authoritatem decernendi ea, quæ à Christi fidelibus credenda & opere explenda sunt. Unitas enim fidei non posset servari, nisi quæstio de fide orta, posset determinari *per unum*, inquit *D. Thomas* 2. 2. *q.* 1. *art.* 10. At verò in civilibus & temporalibus, cùm sint diversissimi hominum mores, & consequenter leges ac Respublicæ diversæ; decet etiam esse Reges diversos, qui per leges convenientes, populos regant diversos. Experientiâ enim constat, rebellionibus & tumultibus patére plerumque imperia, sub quibus diversæ nationes continentur; ut meritò dixerit Philosophus *lib.* 7. *Politic. cap.* 4. civitatem non esse eò meliorem quò majorem, sed tantam debere esse, ut bene possit gubernari. Confer quæ diximus supra *cap.* 3. *à n.* 19. usque *ad n.* 36. Adde *Victoriam. in relectione*, *De Indis. lect.* 2. *Dominicum Soto. lib.* 4. *q.* 4. *art.* 2. & *Bannez* in tract. *De Dominio.*

CAPUT VIII.

DE BELLO.

SUMMARIUM.

1 Bellum *unde dictum?*
2 *Belli descriptio.*
3 *Belli divisio.*
4 *Bellum solemne, quale dicatur? An omne bellum* publicum *sit solemne?* ibid.
5 *Quis censeatur summam habere potestatem, ut* solemne *bellum gerere possit?*
6 *Bellum aliud* offensivum, *aliud* defensivum.
7 *Quinam negaverint, esse licitum* bellare?
8 *Probatur, quòd & Christianis, ob causas legitimas, non sit prohibitum bellare.*
9 *Jus naturæ, non improbat bella* justa.
10 11 & 12 *Respondetur ad argumenta ex sacris litteris deprompta*
13 *Ut bellum sit legitimum & permissum, requiritur* 1mò authoritas *summi principis bellum indicentis.*
14 *Qua ratione unus princeps alioquin supremus, fiat altero inferior?*
15 *Non solus* Imperator *bellum indicit.*
16 *Principes Christiani bellum indicere possunt sine consensu summi Pontificis; qui tamen arbitrium suum, ad pacem, interponere potest.*
17 2dò *Requiritur ad legitimum bellum, ut ex* justa causa *suscipiatur.*
18 *Recensentur in specie, causæ* justæ
19 *Quanta debeat esse injuria, quæ ad movendum bellum sufficiat?*
20 *An, & quatenus princeps læsus teneatur*

licus possit infideles in auxilium vocare, vel ipsos adjuvare?

75 *Christiani, metu mortis adacti, contra Christianos remigantes vel præliantes, an, & quatenus peccent; & num fiant* irregulares?

76 *An sic coactè remigantes, excusandi sint ab* excommunicatione?

77 Infidelitas *quotuplex?*

78 *Infideles propriè dicti, non sunt armis vel tormentis compellendi ad fidem Catholicam.*

79 *Præcedens assertio solidè probatur.*

80 *Exponitur sensus parabolæ* Luc. 14.

81 *Tyrannicè agunt infideles, dum causâ Religionis, torquent aut trucidant Christianos.*

82 *Diluitur Objectio.*

83 *Principes Christiani, armis compellere possunt Paganos, ne deſæviant in Christianos, nĕve fidei annuntiationem impediant.*

84 *Hæretici & Apostatæ, ab Ecclesia compelli possunt ad recipiendam & profitendam fidem orthodoxam, quam deseruerunt.*

85 & 86 *An, & quatenus infideles cogi possint ad audiendam Evangelii prædicationem?*

87 *Parentes Christiani cogi possunt, ut liberos suos baptizari curent. Infidelium infantes, invitis parentibus*, validè *baptizantur*, ibid.

88 *Minimè tamen sic baptizantur* licitè.

89 *Occurritur objectionibus.*

90 *Excipiuntur tres casus; quibus, invitis parentibus infidelibus, licet eorum infantes baptizare.*

91 *Addi potest quartus casus, de prolibus parentum infidelium, jure belli &* Talionis *redactorum in servitutem Christianorum.*

92 *Quo sensu, jus parentum in liberos, sit* naturale?

93 *Obligatio eorum, qui invitis parentibus infidelibus, liberos eorum baptizari fecerunt.*

94 P. Carolus Renatus Billuart *refutat argumenta* Patris Francisci Henno *contendentis*, *Parentes infideles nullum habere jus impediendi, quò minùs baptizentur eorum infantes.*

95 *An contra Idololatras aut Paganos, propter delicta directè in Deum commissa, bellum suscipi possit?*

96 *Resolvitur quæstio* affirmativè.

97 *Declaratur isthæc resolutio.*

98 99 & 100 *Ostenditur, quasdam notiones* de Deo, *esse universales, primævas, & cunctis perspicuas, alias verò non ita evidentes.*

101 *An Idololatræ indiscriminatim, morte puniri possint?*

102 *Princeps Christianus compellere potest Paganos sibi subditos, ut observent legem naturæ.*

103 *Judæorum ritus, an, cur, & quatenus tolerandi? Aliorum infidelium ritus inter Christianos haud facilè tolerandi.* ibid.

104 *An, & quatenus fideles possint communicare cum infidelibus?*

105 *Intellectus verborum* 1. Cor. 10.

106 *Quarum rerum commercium prohibitum sit Christianis cum Paganis?*

107 *Quorundam Ethnicorum libri ob sermonis elegantiam usum habent, sed* Thalmudica *Judæorum commenta, perinde ac libri hæresin continentes, meritò proscripta sunt.*

108 *Principes Catholici in suis ditionibus, hæreticos & eorum ritus tolerare non debent, si illos absque notabili jactura boni communis, extirpare queant.*

109 Per se loquendo, *hæretici ob hæresin, ultimo supplicio puniri possunt.*

110 *Respondetur ad argumenta opposita.*

111 *Enervatur* Grotii *discursus.*

112 *An populi extranei, bello possint impeti, eò quòd in jus naturæ delinquant?*

113 *Violantes passim Generalia præcepta juris naturalis, bello castigari possunt.*

114 *An ad servandum [ùt ajunt]* æquilibrium, *bellum suscipi possit?*

115 *Ob probrosam & indignam* Legati *tractationem, suscipi potest bellum.*

116 *De quibus* Legatis, *præcedens resolutio procedat.*

117 *Quatenus immunitas seu inviolabilitas competat* Legatis?

118 *An* Legatorum *immunitas extendatur ad Comites, officiales, & familiares; item: ad res ipsorum?*

119 *An jure* Talionis *arrestari, torqueri, aut interfici possit* Legatus?

120 *Legitima belli gerendi causa non debet esse duntaxat* suasoria, *sed* justifica.

121 *Ex quibus injuriis nascuntur actiones forenses, ex iisdem respectivè resultant causæ belli* justificæ.

122 *Quâ ratione, ob injuriam* non factam, *sed quæ fieri timeatur, bellum suscipi possit?*

123 *Summoperè culpandi sunt, qui absque causa* justifica *alienas ditiones armis invadunt.*

124 *An ob negatum alibi connubium, vel recusatum domicilium, suscipi possit bellum? An item* inventionis titulô, *gens una possit vindicare illa, quæ ab alia gente possidentur.*

125 *An populus in servitutem redactus, libertatis recuperandæ obtentu, possit bellum gerere?*

126 *An Romanorum* Imperator *jus habeat subjugandi sibi gentes exteras, & eorum terras occupandi?*

127 *Num tale jus à Pontifice conferri possit* Imperatori?

128 *Bellum* solemne, *speciali titulo, dicitur* justum.

129 *Hostis quis propriè dicatur?*

130 Civitas, *quando incipiat, vel desinat subsistere?*

131 *Prædonum societas, quatenus fieri possit* civitas?

132 & 133 *An, & quo jure, ad* *belli*

belli justitiam requiratur prævia indictio.

134 *Belli denuntiatio*, purè, *aut* conditionatè *fieri potest*.

135 *Quibus cæremoniis, veteres bellum indixerint?*

136 *An bellum uni Principi indictum, indictum quoque censeatur aliis ipsi confœderatis, aut subditis?*

137 & 138 *Quando, & cur belli* indictio *facienda?*

138 *In bello* solemni & justo, *illa sunt licita, quæ boni communis necessitas fieri postulaverit.*

140 *In bello* solemni, *aliquid licitum vel illicitum esse potest, vel* ex belligerantium conventione; *vel* absolutè, *ex naturali, aut Gentium jure.*

141 *Absque Divina revelatione, non licet* per se & *ex intentione* directa, *in bello quantumcunque justo, occidere innocentes.*

142 *Nomine innocentium, quinam veniant?*

143 *Innocentes, qui sunt subditi Reipublicæ hostilis, quatenus bonis suis spoliari, & in captivitatem deduci possint?*

144 *Occurritur objectioni.*

145 *Limitatur resolutio præcedens.*

146 *Peregrinos, advenas aut hospites, qui in civitate hostili reperiuntur, spoliare non licet, nisi constet de ipsorum culpa. Idem est de locis sacris & piis.*

147 *Quid de iis, qui hostes non sunt, hostibus tamen res aliquas suppeditant; an res ipsorum, prædæ subjacent & intercipi possunt?*

148 *Pluribus modis, quid licitum esse, intelligi potest.*

149 *Quinam* impunè, *in bello* solemni, *offendi vel occidi possint?*

150 *Gentes ferociores, occidendi licentiam, in mulieres, infantes & captivos prorogabant.*

151 *Gentium jure, hostes* dediti, & *sine conditione, aut veniæ promissione recepti, non consequuntur jus in vitæ suæ conservationem; sed duntaxat spem gratiæ.*

152 *Rigor ille nimius, apud homines aliter sustineri non potest, quàm quòd impunitus maneat.*

153 *Multa* Gentium jure *permissa sunt, quæ* jure naturæ *sunt vetita; nonnulla quoque* illo jure *sunt licita, quæ* hoc *sunt permissa.*

154 *Est contra jus Gentium saltem Europæarum, arma veneno inficere.*

155 *Belli quoque jure, non licet flumina, rivos, aut fontes, unde homines communiter bibunt, veneno inficere.*

156 *An, & quatenus, immisso clam percussore, hostem inopinatò liceat trucidare?*

157 *Jure Gentium, in bello alioquin justo, nequaquam permissa sunt stupra, in hostium fœminas.*

158 *Spectatâ justitiâ* internâ, *nemo etiam in bello* justo, *justè & inculpatè occidi potest, nisi* in pœnam *interfici mereatur; aut: nisi alioquin vitam & res nostras tueri non valeamus.*

meatus, aut quid simile exigi possit à belligerantibus?

183 *Qualiter se gerere debeant cum utrimque belligerantibus, qui* neutrarum partium *sunt?*

184 *Qui miles non est, non habet jus pugnandi cum hoste, imò nec miles culpâ vacat, si injussu Ducis pugnet.*

185 *Quinam speciali mandato pugnandi censeantur muniti?*

186 *In bello* solemni, *bona hostibus erepta, indefinitè censentur* jure gentium, *fieri capientium.*

187 *Quatenus & id procedat* jure naturali*?*

188 *Quandónam res hostilis plenè capta censeatur?*

189 *Ager captus, ut in hostis dominium cedat, debet ab illo firmiter possideri.*

190 *Non omnis res, quæ apud hostes reperitur*, hostilis *est.*

191 *Cuinam* determinatè, *in bello* publico *&* solemni, *acquirantur res ab hostibus captæ.*

192 *Quid hac in parte, legibus* Hebræorum *statutum fuerit? Quid moribus* Græcorum *olim observatum.* ibid.

193 *Quid* Romanorum *legibus eatenus sancitum?*

194 *Hodiernis moribus, quid obtineat inter Christianos, circa res hostibus ereptas?*

195 *Si præda ab hostibus recuperata, rursus ipsis, ab altero manipulo militum eripiatur; spectabit ad secundum manipulum.*

196 *Cur milites, in expeditione* publica, *versantes; non sibi, sed Reipublicæ, prædam acquirant?*

197 *Privati, propriis sumptibus, naves bellicas instruentes; quatenus prædam faciant* suam?

198 *Quid juris, de mercibus amicorum, repertis, in navibus hostium, & ècontra?*

199 *An magis expediat, ut quisque, quod cepit, habeat; An, ut inter commilitones fiat prædæ distributio?*

200 *Cui cedat navigium cum mercibus, quod quidem per hostes captum, sed rursus à nostratibus recuperatum est? Quid eatenus, ab* Hollandiæ Statibus *resolutum?* ibid.

201 *Quid, si navis per hostes capta, à* tertio *redempta fuerit?*

202 *An capta res hostilis in fundo pacato, fiat capientium?*

203 *Quinam bello capti, servi fiant capientium?*

204 *Quid jure Gentium veteri, domino licuerit in servum?*

205 *Ab injusto hoste capti, tutâ conscientiâ aufugere possunt, id quod firmatur per solutionem* objectionum.

206 *Victor, victos nedum singulos, sed & universos, pro arbitratu suo, sibi subjicere potest, vel* merè civiliter, *vel* merè heriliter, *vel* mixtim.

207 *Inter* deditionem, *&* violentam capturam, *non est discrimen faciendum, quantum attinet ad jus victoris.*

208 *Naturali jure, quid Victor possit in victos?*

209

Martialis hujus materiæ vastitas & quæstionum diversitas postulat, ut distinctim singula ponderemus. Sit igitur

SECTIO PRIMA.

Quid & quotuplex sit Bellum?

1 Bellum à belluis, quidam dictum volunt, eo quòd belligerantes plerumque belluarum ferocitatem imitari videantur. Divus *Hieronymus Epist.* 127. quasi per *Antiphrasin*, bellum dici putat, eò quòd minimè *bellum* videatur.

2. Cicero respiciens ad rem, nomine belli, significatam; bellum dicit esse *certationem per vim.* Rectiùs, prout ex dicendis patebit, bellum descripseris; quòd sit: *dissidium armatum, libero populo, ab altero populo libero ritè indictum. arg. l.* 24. *ff. De captiv. & postlim. reversf.* Confer *Paulum Voët De jure militari. cap.* 1. *n.* 3. *& seq.* Usus tamen (inquit *Grotius*; *De jure Belli & Pacis. cap.* 1. §. 2.) obtinuit, ut non actio, sed status, eo nomine indicetur; ita, ut bellum sit: *Status per vim certantium quà tales sunt.* Status autem ille intelligitur subsistere, non tantùm in actuali conflictu, sed & in voluntate pugnandi, armísque congrediendi. Unde bene dixit *Philo. II. De legibus specialibus.* Hostes non soli existimantur, qui jam navali aut terrestri prœlio certant, sed pro talibus habendi, & qui machinas admovent portubus aut mœnibus, etiamsi nondum pugnam incipiant. & *Servius* ad illud *prim. Æneidos: Nec bello major & armis. Bellum* (inquit) *& consilium*

ſlium habet; *arma tantùm in actu ſunt.* & ibid. *Bellum* (ait) *eſt tempus omne, quo vel præparatur aliquid pugnæ neceſſarium, vel quo pugna geritur*; *Prælium autem dicitur conflictus ipſe bellorum.*

3. Bellum *primò* dividitur : in privatum, publicum & mixtum. *Publicum* eſt, quod eo authore geritur, qui ſummam in regno vel Republica juriſdictionem habet. *Privatum*; quod à privatis geritur. *Mixtum*, quod ex una parte, eſt *publicum*; ex altera *privatum*. Bellum aliquod privatum, interdum licitè geri, quantum ad jus naturæ attinet; ſatìs probatum eſt *lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 76. ubi oſtendimus, poſſe quem *ſe ſuáque* armis defendere. Et quanquam poſt conſtituta judicia publica, multò ſit honeſtiùs, & ad quietem hominum conducibiliùs, judicis arbitrio, controverſiam dirimere, quàm propriâ manu, jus atque victoriam quærere; adeò, ut hodie vim facere dicatur, qui id, quod ſibi deberi putat, non per judicem repoſcit. quia, ùt inquit *Paulus JCtus De Reg. jur. Non eſt ſingulis concedendum, quod per Magiſtratum publicè fieri poſſit, ne occaſio ſit majoris tumultûs faciendi*: Equidem, lex vetans, ſine judicio, ſuum conſequi; intelligi commodè debet, de caſu & tempore, ubi copia eſt judicii, & judex efficaciter implorari poteſt, non verò, ubi ceſſat judicium vel momentaneè vel continuè. *Momentaneè* ceſſat, ubi ſine certo periculo aut damno, exſpectari judex non poteſt. *Continuè* verò; aut jure, aut facto. *Jure*; ſi quis verſetur in locis non occupatis, ut: mari, ſolitudine, inſuliſve vacuis, ubi nulla ſit civitas : *Facto*; ſi ſubditi judicem non audiant; aut judex apertè cauſæ cognitionem rejecerit & jus reddere nolit.

4. Bellum *publicum* ſubdividitur, in ſolemne & minùs ſolemne. *Solemne* dicitur, quod utrimque geritur authore eo, qui ſummam poteſtatem habet in civitate, & quo ritus quidam obſervantur, de quibus poſteà. Bellum *ſolemne*, ſpecialiter vocari ſolet *juſtum*, eo ferè ſenſu, quo ſolemne teſtamentum *codicillis* opponitur. Bellum *minùs ſolemne*, eſt, quod vel ritibus illis caret, vel geritur in privatos, vel authorem habet Magiſtratum *ſummo* minorem. Præſcindendo à legibus civilibus publicis; videtur quivis Magiſtratus, ſicut ad tuendam plebem ſibi creditam, ita ad exercendam juriſdictionem, ſi vis occurrat, jus habere belli gerendi: ſed quia ex bello, tota civitas in diſcrimen adducitur; ideo ferè omnium populorum legibus, cautum eſt; ne bellum geri poſſit, niſi authore eo, qui ſummam in civitate poteſtatem habet. Unde & in jure Romano, Majeſtatis læſæ reus habetur, qui injuſſu Principis, bellum geſſerit, delectúmve habuerit, & exercitum comparaverit. Qua de re, in Codice Juſtinianæo *l. unic. Ut armorum uſus inſcio Principe interdictus ſit.* exſtat Conſtitutio *Valentiniani* & *Valentis*, in qua ſic habetur: *Nulli prorſus nobis inſciis atque inconſultis, quorumlibet armorum movendorum copia tribuatur.* Quò pertinet illud Divi Patris *Auguſtini. lib.* 22. *cap.* 74. *contra Fauſtum:* Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poſcit, ut ſuſcipiendi belli authoritas atque conſilium penes Principes ſit. Vide *can. Quid culpatur. cauſ.* 23. *q.* 1. ubi *Gratianus* refert dictum S. Patris. Sicut autem dicta quantumvis generalia, per æquitatis rationem, limitationem recipiunt; ita & hæc lex. Non enim in primis eſt dubium, quin inferiori Magiſtratui, qui juriſdictioni præeſt, liceat per apparitores ſuos, vi cogere paucos refractarios, quoties ad eam rem, copiis majoribus opus non eſt. Dein; ſi ita præſens ſit periculum, ut tempus non ferat ſupremum conſuli Principem; utique

que necessitas exceptionem porriget. *Hoc enim* (inquit Cicero *pro milone*) *doctis & necessitas barbaris*, *& mos gentibus & feris natura præscripsit*, *ut omnem semper vim quacunque ope possent*... *propulsarent*. Quòd, si Princeps vindicare injurias populo illatas negligat rogatus; an oppidani aut inferior Magistratus, ad arma, injussu Principis, aut eo invito, convolare queat, dubitari posset? Affirmat *Franciscus victoria. De jure belli. n.* 9. sed veriùs negat *Grotius*, *De jure belli & pac. lib.* 1. *cap.* 3. §. 4. Consonat *Grotio F. Sylvius in* 2. 2. *D. Thomæ. q.* 40. *art.* 1. §. *Quæritur* 1. *pag. Mihi* 235. ex ratione: quòd bellum *aggressivum*, sit supremus actus justitiæ vindicativæ, qui, non nisi à summo Principe, exerceri potest.

Si Petas: An illis eventibus, quibus jus armorum movendorum est Magistratibus minoribus, bellum sit dicendum *publicum*? Resp. Si publicum illud voces, quod fit jure Magistratûs, utique hujusmodi bellum erit *publicum*; adeóque, qui in tali casu, Magistratui se opponunt; in pœnas incidunt contumacium adversus supra se positos. Si verò *publicum* sumas in excellentiore significatu, pro eo, quod *solemne* est, non sunt bella ista *publica*; quia ad istius juris plenitudinem, tum summæ potestatis judicium, tum alia requiruntur. Quòd si in imperio latè patente, inferiores potestates belli inchoandi potestatem habeant concessam; utique bellum geri censebitur, vi summæ potestatis. Nam, quod faciendi jus quis alteri dat; ipse fecisse censetur. Atque hoc extra controversiam est; meritò tamen dubitaveris, an conjectura voluntatis, seu *præsumpta* sufficiat Principis *voluntas*, si desit expressa? Adstipulor *Grotio loc. cit.* §. 5. negativam partem tenenti. Non enim [inquit] videre sufficit, quid hoc rerum statu, summam potestatem habenti, si consulatur, placiturum sit? Sed hoc magis videndum: quid ille, ubi res moram fert, aut dubiam habet deliberationem, se inconsulto, fieri cupiat, si ea de re, lex ferenda sit? Nam, ut maximè in aliquo facto particulari, cesset inspecta *particulariter* ratio, quæ voluntatem summi imperantis movet; non tamen cessat ratio sumpta *universaliter*, quæ periculis occurri vult, quod fieri non potest, si ejus rei, ad se Magistratus quisque, judicium traheret. Non ergo injuriâ à *legatis* suis, accusatus fuit *Cn. Manlius*, ut refert *Livius lib.* 48. quòd injussu populi Romani, *Gallo-Græcis* bellum intulisset. Nam quanquam in *Antiochi* exercitu, Gallorum legiones fuerant; tamen pace factâ cum *Antiocho*; an ea injuria in *Gallo-Græcos* exequenda foret; non in *Cn. Manlii*, sed in populi Romani arbitrio esse debuit.

5. Diximus Bellum regulariter geri non debere, nisi eo authore, qui summam potestatem habeat. Sed quis illam habeat, quæri potest? *Aristoteles*, *lib.* 4. *politic. cap.* 4. ad plenitudinem summæ potestatis in administranda Republica, hæc tria requirit; videlicet: *consultationem de rebus communibus*; *curam legendorum Magistratuum*; *& judiciorum publicorum*. Ubi ad primam partem, refert deliberationem de bello & pace, fœderibus pangendis aut dissolvendis; de legibus condendis; de puniendis morte, exilio, aut bonorum publicatione. *Dionysius Halicarnassensis*, *lib.* 4. 7. & 11. has summo Principi prærogativas characteristicas adscribit: scilicet: jus condendarum & tollendarum legum: jus decernendi de bello & pace: jus exercendorum judiciorum; itidem jus curandorum Sacrorum & Comitiorum convocandorum. Clariùs & orthodoxè loquendo, summi Principis potestas consistit in his, quæ vel per se, vel per alios agit,

agit, atque versatur vel circa *universalia*, aut circa *singularia*. Circa universalia versatur condendo leges, eásque abrogando; non quidem *directè circa sacra*, ut alias tradidimus; sed circa *profana*. Singularia, circa quæ versatur, sunt aut *directè publica*, aut *privata* quidem, sed quatenus ad publicum ordinantur. *Directè publica*, sunt *actiones*, ùt: pacis, belli, fœderum pangendorum; aut *res*, puta: vectigalia, & si quæ his sunt similia; in quibus & comprehenditur dominium *eminens*, quod summus Princeps habet in res civium, ad usum publicum. *Privata* sunt, res controversæ inter singulos, quas publicâ authoritate dirimi, Reipublicæ quies postulat, atque hujusmodi causæ, delegatâ Principis potestate, expediuntur per Magistratus subalternos & alios Curatores, qui ideo civilem potestatem habere & exercere dicuntur. Summa autem illa dicitur potestas, cujus actus, alterius juri non subsunt; ita ut *alterius* voluntatis humanæ arbitrio, irriti possint reddi. *Alterius* inquam; ipse enim summus Princeps, voluntatem mutare potest, quod & de successore, qui pari potestate præditus est, intelligitur.

6. Bellum ulterius dividitur in *offensivum* & *Defensivum*. De utroque, sit

SECTIO SECUNDA.

An bellare sit licitum præsertim Christianis?

7. Negârunt hoc olim *Manichæi*, ùt refert Divus Pater *Augustinus lib. 22. contra Faustum. cap.* 74. Negavit hoc quoque *Wiclefus*, quo impudentior fuit *Lutherus*, qui nefas dixit, pugnare adversus Turcas, non verò contra Christianos. Sed omnium nedum Catholicorum, sed & aliorum sanâ ratione naturali præditorum, unanimi calculo receptum est: quòd bellum nedum non sit naturâ sua malum; sed & etiam servatis debitis conditionibus, Christianis licitum. Quod

8. PROBATUR. Siquidem in lege naturæ, Abraham gessit bellum, *Genes.* 14. reversúsque partâ victoriâ, benedictionem accepit à *Melchisedech*. De cujus belli tum justitia, tum expositione mystica, videri meretur S. *Ambrosius. lib* 1. *De Abraham. cap.* 7. & 8. In lege quoque scripta, Deus ipse præcepit bellum contra *Madianitas. Num.* 25. Contra *Amalecitas.* 1. *Reg.* 15. item; contra alias gentes. *Deuteron.* 7. Quinimò promisit & præstitit belligerantibus auxilium *Exod.* 17. *Num.* 21. *Deuter.* 1. *Josue* 1. 6. 8. & 10. & 2. *Reg.* 8. multísque aliis in locis librorum: *Judicum*, *Regum*, *Paralipomenon* & *Machabæorum*. Unde & Apostolus ad *Hebræos cap.* 11. laudat *Gedeonem*, *Barac*, *Sampsonem* & alios, qui per fidem vicerunt regna, fortes facti sunt in bello, & castra verterunt exterorum. Consonat *Grotius. lib.* 1. *De jure B. & P. cap.* 2. §. 2. Junge *Paulum Voet*, *De jure militari. cap.* 1. *n.* 7. Porrò in nova lege, *S. Joannes Baptista*, *Lucæ* 3. à militibus rogatus, quid ipsis ad consequendam salutem factu opus? respondit ipsis: *neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & estote contenti stipendiis vestris.* Unde *Divus P. Augustinus* inquit: *Si Christiana disciplina, omnia bella culparet, hoc potiùs militibus consilium salutis patentibus, in Evangelio diceretur: ut abjicerent arma, séque omnino militiæ subtraherent. ... Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit.* Id ipsum repetit Magnus Doctor *Epist.* 205. erudiens *Bonifacium* Comitem, quatenus liceat Christiano belligerari contra hostes. Atque ex allata *S. Joannis* responsione, *lib.* 22. *contra Faustum. cap.* 74. docet: eos, qui militando occidunt, neque esse homi-

homicidas, neque injuriarum suarum ultores, sed salutis publicæ defensores & legis ministros. Quinimò ex verbis Christi: *Matth.* 21. *reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* arguit ibidem *Augustinus:* hoc stipendium reddendum esse Cæsari, quod *Joannes* dicit sufficere debere militi. Ad hoc enim tributa penduntur, ut tempore legitimi belli, stipendia præbeantur militibus. Urget ibidem S. Doctor; quòd *Centurionis* illius, qui *Matth.* 8. dicebat, se habere sub se milites, fidem laudaverit Christus, haud verò militiæ desertionem imperaverit. *Augustino* cohæret *S. Ambrosius lib.* 1. *De offic. cap.* 40. & *serm.* 5. *in Psal.* 118. item *lib.* 2. *in cap.* 3. *Lucæ. S. Bernardus*, in *serm. ad milites templi. cap.* 1. 3. & 4. suffragatúrque Ecclesiæ Catholicæ praxis, ex qua constat, summos Pontifices sæpe exhortatos fuisse Christianos Principes, ut contra infideles, arma sumerent. ut patet ex *Epist. Sylvii II.* apud *Baronium*, Anno Christi 1003. *n.* 9. ubi dicit: quòd Pontifex ille, primus inveniatur; qui sacræ militiæ classicum occinuerit. Vide eundem *Baronium*, ad annum Christi 1074. *n.* 50. & 51. & ad ann. 1095. *n.* 43. item: ad ann. 1145. *n.* 30. Huc refer 1*mò*. Bullam expeditionis pro recuperanda *terra sancta*, editam sub *Innocentio III.* in concilio *Lateranensi.* 2*dò*. Monumenta victoriarum, quas singulari Dei providentiâ, fideles de infidelibus reportârunt. Ut enim nihil dicam de victoria *Constantini*, de qua *Eusebius lib.* 9. *cap.* 8., de illa item *Theodosii senioris*, de qua *Theodoretus lib.* 5. *cap.* 24. vel de illa *Theodosii junioris*, de qua *Socrates lib.* 17. *cap.* 18. Notissima est & incomparibilis victoria, quam *anno* 1571. contra Turcas reportavit *Joannes Austriacus*, de quo triumpho mira scribunt *Surius* & *Miræus* ad illum annum; quibus adde *Cicavellam* in vita *Pii V.* & *Bzovium*, *cap.* 39. libri cui titulus: *Romanus Pontifex.*

9. *Grotius lib.* 1. *De jure B. & P. cap.* 2. ex Cicerone & aliis gentilium Philosophis, scitè probat: quòd jus naturæ, bella non improbet; sed, quòd natura ipsa, animantia cuncta armaverit ad propulsanda noxia. Nam ut *Horatius* canit:

Dente lupus, cornu taurus petit. Unde nisi intus monstratum?

Et *Lucretius*:

Sentit enim vim quidque suam, quâ possit abuti.

Cornua nota prius vitulo, quàm frontibus exstant:

Illis iratus petit, atque infensus inurget.

Ac *Martialis:*

Vitulúsque inani fronte prurit ad pugnam.

Quem sensum *Galenus* exponit dicens: *Videmus animantium quodque, eo ad sui tutelam uti, quo maximè valet. Nam & vitulus nondum enatis cornibus, ea parte minatur, & equuleus, nondum firmatis ungulis, calcitrat, & catellus, dentibus nondum robustis, morsicat.* Idem *Galenus*, *de usu partium.* 1. Hominem animal esse ait, ad pacem bellúmque natum, cui arma quidem agnata non sint; sed apta armis parandis & tractandis manus, quâ etiam pro armis uti, sponte suâ, nec aliunde id edoctos infantes, videmus. *Ratione quæ carent* (prosequitur *Galenus*) *arma, in ipso habent corpore, ut bos cornua; dentes aper, ungues Leo. At mihi non in corporis natura, Deus arma posuit, sed extra corpus. Hoc ipso ostendens, mansuetum animal esse hominem, neque semper talium armorum mihi esse tempus. Nam telum sæpe depono, resumo interdum. Ut igitur liberior solutiórque sim, neque semper cogar portare arma, fecit, ea sejuncta esse à mea natura.* Et *Aristoteles*, *de partibus animal. lib.* 4. *cap.* 10. manum, homini

ait

ait esse *pro hasta*, *pro ense & pro armis quibuslibet*, *quia omnia potest arripere & tenere*.

Inter *prima* itaque naturæ, nihil est, quod bello repugnet, imò omnia potiùs ei favent. Nam & finis belli, vitæ membrorúmque conservatio, & rerum ad vitam utilium aut retentio aut acquisitio, illis *primis* naturæ, maximè convenit, & vi ad eam rem, si opus fuerit, uti, nihil importat naturæ adversum, cum animantibus singulis, vires ideo sint à natura attributæ, ut sibi tuendis juvandísque sufficiant.

Recta autem ratio, quæ secundo & potiore loco observanda est; non omnem vim inhibet, sed eam demum, quæ societati repugnat, seu quæ jus alienum violat. Nam societas eò tendit, ut suum cuique salvum sit, communi ope & conspiratione. Quod facilè intelligi potest locum habiturum, etiamsi rerum divisiones & dominia introducta non forent. Siquidem vita, membra, libertas; sic quoque propria cuique essent; ut sine injuria, ab altero impeti non possent. Similiter rebus in medio positis, quisque pro necessitate sua, uti, easque absumere aut occupare posset; &, qui alterum ab usu repelleret; faceret ei injuriam. Id quod modò post introducta rerum dominia, multò faciliùs intelligitur. Non ergo est contra societatis naturam, sibi prospicere atque consulere; dummodò jus alienum non violetur, ac proinde nec vis, quæ jus alterius non lædit, injusta est. Quò respiciens *Cicero Epist. familiar. XII. 3.* ait: *Cùm duo sint genera decertandi*; *unum per disceptationem*, *alterum per vim*; *cúmque* illud, *proprium sit hominis*, hoc *belluarum*; *confugiendum est ad posterius*, *si uti non licet superiore*. Quod clariùs expressit *Ulpianus l. 1. §. vim vi. ff. De vi & vi armata.* ibi: *vim vi repellere licere*, *Cassius scribit*, *idque jus*, *naturâ comparatur*. *Apparet autem*, *inquit*, *ex eo*, *arma armis repellere licere*. *Ovidius* dixerat:

Armáque in armatos sumere jura sinunt.

Ratio supra positæ communis assertionis est; quòd Principi non solùm liceat, sed etiam incumbat, populum tueri à latrociniis, aliísque injuriis, adeóque obligetur, bello eos impetere, qui populum injustè affligunt, si injuriam & damna resarcire, & à nocendo desistere nolint.

10. Oppones 1mò. *Isaias cap. 2.* prædixit; in adventu Christi, omne bellum cessaturum. *Conflabunt* [inquit] *gladios suos in vomeres*, *& lanceas suas in falces*, *non levabit gens contra gentem gladium*, *nec exercebuntur ultra ad prælium*. & *Psal. 45. Auferens bella usque ad finem terræ*. item *Psal. 67. Dissipa gentes*, *quæ bella volunt*. Quò facit; quòd Christiani, primis tribus sæculis, non legantur ulla bella gessisse. Resp. Prophetam non prædixisse cessationem à bellis, toto illo tempore, quo nova lex esset duratura; sed duntaxat tempore Christi nascituri; quæ Prophetia etiam impleta fuit. Siquidem Christus natus fuit, toto orbe, in pace, composito; & pax, quæ cæperat 12. annis ante ejus nativitatem; duravit tota ejus vitâ, & quadraginta annis post ejus mortem. Unde, cùm dixit Propheta: *non exercebuntur ultra ad prælium*: τὸ *ultra*, non significat perpetuitatem, sed diuturnitatem, prout ly *ultra* capitur 4. *Reg. cap. 6. Ultra non venerunt latrones Syriæ in terram Israël.* Aliter, sed nimis contortè, respondet *Grotius loc. cit. §. 8.* Clariùs igitur & catholicè Resp. Mysticè ibi significari, quòd gentes, priùs inter se, religionum diversitate, dissidentes & Christianos oppugnantes; depositis armis, novæ legis Evangelio colla sint submissuræ, & christianam fidem amplexuræ. Quo sensu capiendum est illud: *Michææ*

chææ cap. 4. *Non sumet gens adversus gentem gladium, & non discent ultra belligerare.* Loquitur enim Propheta, vel de pace, quæ fuit tempore nativitatis Christi, vel de pace & concordia gentium confluentium ad Evangelium. Porrò *Psalmo* 67. David dissipari eos petit, qui volunt, aut struunt bella fidelibus seu populo Dei. Quamvìs autem primis temporibus, Christiani rariùs pugnaverint in causa fidei, contra infideles, eò quod pro tunc nullus Imperator in Christum crediderit, & Reges gentium meditati adhuc fuerint inania adversus Dominum & adversum Christum ejus, prout observat Divus *P. Augustinus Epist.* 50. Equidem, quòd Christiani, etiam prioribus sæculis, militaverint; historiis proditum est. Siquidem *Baronius* ad annum Christi 176. ex *Tertulliano*, *Eusebio* & *S. Gregorio Nisseno* tradit; exercitui Romano, siti confecto, precibus militum Christianorum, aquam fuisse è cœlo impetratam, fulmináque divinitus in *Marcomannos* fuisse immissa; ac porrò legionis unius, quam *fulminatricem* dixêre; orationibus, partam fuisse victoriam. Exploratum non minùs est, legionem *Thebæam* christianis pugilibus constantem, Martyrii coronas meruisse circa annum Æræ Christianæ 297. eò quòd detrectaverit idolis immolare. Confer *Baron. Tom.* 2. *Annalium*: & in *notis Martyrologii*, ad diem 22. *Septembris*. Adde *Grotium loc. cit.* §. 9.

II. Oppones 2dò. Assertor noster dixit: *Matth.* 5. *Ego autem dico vobis, non resistere malo.* & *cap.* 26. *Converte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Cujus rationem dat Apostolus ad *Rom.* 12. *Non vosmetipsos defendentes charissimi. Mihi vindicta. Ego retribuam dicit Dominus.* Resp. 1mò. cum Divo *P. Augustino*, quem citat & sequitur Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. Præceptum Domini *Matt.* 5. expressum pertinere ad animi moderatioris præparationem, & patientiæ ac mansuetudinis meritum, ut scilicet homo potiùs paratus sit non resistere malo, quàm malum pro malo rependere; ita, ut illud, quod sequitur: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam*, præbe *illi & alteram*; importet: nos eo animó esse debere, ut potiùs alteram velimus ferre injuriam, quàm priorem ulcisci. Unde Christus hoc præceptum cumulatissimè implevit, quamvìs percutienti se, non præbuerit alteram maxillam. *Joan.* 18. sed magìs prohibuerit, ne quis alteri injuriam inferret, aut priorem augeret. Resp. 2dò. Verbis illis juberi, ut vel illatas injurias patienter feramus; aut saltem illas, privatâ authoritate, non vindicemus, malum pro malo reddentes. Pari modo capiendus est textus *Matth.* 26. Nihil enim aliud insinuat; quàm quòd privatis non liceat, authoritate propriâ, & quasi à se ipsis, arripere gladium ad vindicandas injurias. *Ille enim* (inquit, ex Doctorum Magistro, Doctor Angelicus loc. cit.) *accipit gladium, qui nullâ superiori ac legitimâ potestate vel jubente vel concedente, in sanguinem alicujus armatur.* Qui autem legitimâ munitus authoritate, gladio utitur, non tam accipit gladium, quàm sibi ab alio, commisso utitur. Eò tendit & dictum Apostoli *ad Rom.* 12. De privata enim injuriarum actione loquitur, sive, dum dicit: *Nulli malum pro malo reddentes*; sive dum subjungit: *non vosmetipsos defendentes*, seu, ùt Græcus textus habet: *ulciscentes* (prout *defendendi* verbum accipitur *Judith.* 1. ỷ. 12. & *Judith.* 2. ỷ. 1. ac rursus *Judith.* 9. ỷ. 2.) Cui argumentô est, quod Apostolus semetipsum explicans *cap.* 13. de illo, qui publicâ fungitur potestate, sic loquatur: *Dei minister est*, vin-

vindex in iram ei qui malum agit. Unde, cùm dicit: *sed date locum iræ*. vult, exspectandam esse divinam ultionem, aut immediatè à Deo; aut ejus authoritate, per publicum justitiæ ministrum, exercendam. Paulò aliter, sed non incongruè, hoc argumentum solvit *Grotius loc. cit.* §. 8. inquiens: Christum locis citatis, non alloqui Magistratus seu judices publicâ authoritate fungentes, sed duntaxat eos, qui injuriis impetuntur: Neque Assertorem nostrum de quavis agere injuria, sed de leviori, qualis est *alapa*. Sequentia enim verba, de *Tunica* vel *Pallio* dimittendo, agentia, præcedentium verborum generalitatem restringunt; ita, ut non omnis provocatio ad judicem aut arbitrum prohibeatur, *Paulo* interprete, qui lites non omnes prohibet 1. *Corinth.* 6. ✝. 4. sed vetat, Christianos, in profanis auditoriis seu Dicasteriis, inter se litigare, ídque ad Judæorum exemplum, apud quos erat recepta sententia: *Qui adducit negotia Israëlitica ad extraneos, polluit nomen Dei*. Itaque Salvator noster ibidem docuit; ad exercendam patientiam nostram, de rebus facilè recuperabilibus, ùt *tunicâ*, aut insimul *pallio*, non contendendum esse judicio; sed, quamvis optimo jure nitamur; fatiùs omitti juris persecutionem. Unde *Apollonius Tyanæus* apud *Philostratum lib.* 11. *c.* 15. negabat, Philosophum decere de peculiola litigare. & *Ulpianus l. Item si.* §. 1. *ff. De alien. judic. Aut. caus. facta. Non improbat* (inquit) *Prætor factum ejus, qui tanti habuit re carere, ne propter eam sæpius litigaret. Hæc enim cogitatio ejus, qui lites execratur, non est vituperanda*. Adeóque, quod hîc à probis probari ait *Ulpianus*, hoc Christus imperat; ex rebus honestissimis & probatissimis, præceptorum suorum deligens materiam. Malè igitur concluseris, si dixeris: de re majoris momenti nobis debita aut ablata, nefas esse, apud judicem agere. Aliud enim est tunica aut pallium; aliud totum id, unde vivitur. Parili modo responderi potest ad illud, quo angariatus ad milliare unum, jubetur ire ad milliaria duo. Non enim locutus est Dominus de centum milliaribus, quod iter, hominem à suis negotiis, longiùs distraheret; sed de *uno*, aut; si ita usuveniat; de *duobus*, quæ deambulatio, quasi pro nihilo ducitur. Sensus proinde est: in his quæ nobis non multùm sunt incommodatura, non urgendum nobis esse jus nostrum; sed cedendum plus etiam, quàm alter postulet; ut & patientia atque benignitas nostra omnibus innotescat. Lex quidem Hebræa, sicut divortii libertatem indulgebat, ut sævitiæ maritorum in uxores occurreret; ita etiam privatæ ultioni, ad quam gens illa valde prona erat, coërcendæ, jus læso fecerat; non quidem, ut manu suâ, sed apud judicem, exigeret *talionem*. Id quod & lege *XII. Tabb.* sancitum: *si membrum rupit*, Talio *esto*. Ast Christus majoris patientiæ Magister, nedum non probavit in læso vindictæ flagitationem; sed & quasdam injurias ne arceri quidem voluit, aut vi privatim oppositâ, aut implorato judicis officio. At quales injurias? tolerabiles scilicet, non quòd in atrocioribus hoc quoque laudabile aut præceptum sit; sed quòd in levioribus, restrictiore patientiâ uti debeamus. Quò facit exemplum de alapa, quæ non vitam impetit, non corpus mutilat; sed tantum importat quendam nostri contemptum, qui nos nihilo deteriores facit. *Seneca lib. De constantia sapientis*. Injuriam à contumelia distinguit his verbis: *Prior illa* [inquit] *naturâ gravior est: hæc levior, & tantùm delicatis, gravis, quâ non læduntur, sed offenduntur. Tanta est animorum dissolutio & vanitas, ut quidam nihil acerbius*

bius putent. Sic invenias servum, qui flagellis, quàm colaphis cædi malit. In tali ergo circumstantia, patientiam Christus præcipit: &, nequis tritum illud oggereret; *Veterem ferendo injuriam, invitas novam.* Addit: potiùs etiam ferendam esse alteram injuriam, quàm propulsandam priorem: quia scilicet nihil inde ad nos pervenit mali, nisi quod in stulta persuasione positum est. Ubi nota: quòd maxillam obvertere, in *Hebraïsmo*, sit; *patienter ferre.* ùt liquet ex *Isaïæ* 50. ỳ. 6. & *Jerem.* 3. ỳ. 3.

12. Oppones 3tiò. Arma Christianorum non debent esse *carnalia*, sed *spiritualia*; sive, ùt loquitur Apostolus: 2. *Corinth.* 10. *potentia Deo*, quæ idcirco Ad *Ephes.* 6. dicuntur: *lorica justitiæ, scutum fidei, galea salutis.* Adhæc: Bellum adversatur charitati, & opponitur paci. Ergo est illicitum saltem Christianis, id quod sensisse videtur *S. Ambrosius* in *cap.* 22. *Lucæ* dicens. *Ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, sat est, dicis; quia licuerit usque ad Evangelium.* Resp. Ibidem non fore sermonem de *Sagata* & corporali, sed *togata* & spirituali virorum Apostolicorum militia, in qua, contra inimicos fidei dimicantes, non utuntur gladio aut hastâ, sed donis spiritûs S. & actibus virtutum. Similiter ad *Ephes.* 6. Apostolus non agit de armis, quibus hostes visibiles, *corporaliter* sunt expugnandi; sed de iis, quibus pugnandum est *adversus spiritualia nequitiæ in cælestibus*, id est, adversus dæmones. Ad id quod additur: Resp. licet bellum *materialiter*, ratione scilicet contrariorum motuum, & diversæ voluntatis seu operationis belligerantium, videatur charitati & paci adversum, *formaliter* tamen & *absolutè loquendo*, justum bellum non tam contrariari charitati & paci, quàm esse viam ad illam. Planè, sicut medicina amara, non est contraria sanitati, sed illam procurat. Igitur, *qui justa bella gerunt* (inquit *D. Thomas loc. cit. ad* 3.) *pacem intendunt & ita non contrariantur paci, nisi mala.* Porrò S. *Ambrosius* eo loco, solùm ostendit, majorem perfectionem, in Evangelio consuli. Cùm enim in lege non prohibeatur justa defensio; Evangelici Consilii docet esse, ab ea abstinendo, patienter ferre injurias. Confer *Grotium loc. cit.* §. 8. & 9. sat orthodoxè, hac in parte, argumentantem.

SECTIO TERTIA.

Quæ conditiones requirantur, ut Bellum sit legitimum & permissum?

13. Magnus Pater *Augustinus*, quem citat & sequitur Doctor *Angelicus* 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. in hanc rem, tres requirit conditiones, videlicet: 1. Authoritatem summi Principis bellum indicentis. 2. causam justam; & 3. intentionem rectam.

Ratio 1*mæ conditionis* est; tum quia bellum est actus justitiæ vindicativæ; vindicare autem injurias, ad eum solùm spectat, qui publicam habet authoritatem, qualem in re tanti momenti salutem totius Reipublicæ concernente, nemo habet, nisi is, cui ejusdem cura principaliter concredita est, videlicet summus Princeps. Tum, quia inferior læsus jus suum prosequi potest apud superiorem, adeóque non potest sibi jus dicere, aut armis alium aggredi. Bellum enim non est movendum, si alia suppetat via juris prosequendi. Tum denique, quia convocare multitudinem, quod in bellis fieri oportet, non est privatæ personæ. Hæc est doctrina D. P. *Augustini lib.* 22. *Contra Faustum. cap.* 75. ubi sic habet: *Ordo tamen ille naturalis, mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli authoritas*

thoritas atque consilium penes Principem sit. Adde *Grotium loc. cit.* §. 5.

Dictum de summo Principe, porrigitur etiam ad Rempublicam *perfectam*, qualis intelligitur, quæ nec est pars alterius Reipublicæ, nec alteri subest. Qualis est Respublica v. g. *Venetorum*. Talis enim potest, vel per Ducem, in quem suam transtulerit potestatem, vel per Optimates, à quibus gubernatur, bellum indicere. Quod non potest respublica *imperfecta*, videlicet, quæ est vel pars alterius Reipublicæ, vel alteri subest. Ut ùt enim ejusmodi Respublica, vel Princeps alius subalternus, bello *defensivo* se tueri possit contra inimicos aggressores, non poterit tamen bellum *aggressivum* seu *offensivum* iis indicere absque summi Principis consensu. Consonat *Voet loc. cit. n.* 8.

14. Sed quâ ratione (Inquies) unus in sua ditione supremus Princeps, alteri in sua ditione supremo & independenti, poterit movere bellum, cùm par in parem, non habeat imperium; bellum verò, utpote actus justitiæ vindicativæ, non nisi in subditum exerceri valeat. Resp. Principem unum, quantum ad jus belli indicendi, intelligi quadantenus superiorem respectu illius, qui injuriam intulit. Naturali enim jure, injuriam faciens, incurrit subjectionem respectu illius, cui injuria est illata, ut ab eo puniri possit secundùm mensuram culpæ & damni illati; nisi priùs satisfecerit, aut satisfacere paratus sit. *Ratio* est; quia, cùm inter summos Principes, leges civiles executionem non habeant, ad jus redeundum est naturale, quo cuivis licet & sibi cavere ab injuriis inferendis, & illatas persequi. Ex his

15. Resultat *1mò*. Non solùm *Imperatorem* posse indicere bellum, sed etiam Reges & Duces, Romano Imperio & Imperatori, non subjectos. Quanquam enim Imperator *Romano-Germanicus* dignitate præcellat omnibus Principibus totius mundi, & in Orbe Christiano, ab Ecclesia, constitutus sit fidei protector, ita ut pro Ecclesiæ bono, possit Principes Christianos convocare; absolutè tamen, nec proprietatis, nec jurisdictionis dominium habet in omnia regna Christianorum, multò minùs totius mundi, sicut supra vidimus *cap.* 7. *n.* 103. Siquidem, ab ejus jurisdictione, multi Reges & Principes etiam Christiani, sunt exempti; sive quòd ditiones suas, absque interventu vel auxilio Imperatoris, consecuti sint; sive, quòd ditionum suarum independentiam, privilegio, aut præscriptione temporis immemorialis, nacti dignoscantur. Confer *Covarruviam* ad *regul. Peccatum. part.* 2. §. 9. *in fin.*

16. Resultat *2dò*. Principes Christianos, licet in spiritualibus, *directè* summo Pontifici Romano subjectos, eo inconsulto, posse bellum gerere; quanquàm ipse tanquam Jesu Christi Vicarius, salutem periclitantium in bello animarum, causásque alias belli incentivas, & persæpe insufficientes, ne dicam frivolas, altiori indagine perpendens, *indirectâ*, ad finem spiritualem, tendente potestate suâ (de qua agit Divus *Thomas*. 2. 2. *q.* 66. *art.* 1. & nos supra *cap.* 7. & alibi disseruimus) arbitrium suum inter Principes belligerantes, ex officio Apostolico, interponere, & renitentes, pro rei gravitate, corripere possit, imò teneatur.

17. *Dictum*: *2dam* belli legitimi conditionem esse: *causam justam*; quæ generatim non est nisi una, scilicet: *injuria illata nec resarcita. Voet. loc. cit. n.* 18. *Ratio*: Tum quia bellum *offensivum* intentatur, vel in vindictam, vel ad satisfactionem ab hostibus extorquendam; vindicta autem locum habere, nec satisfactio, martiali ferro, peti potest, ubi vel non præcessit injuria; aut, si quæ præcessit; suf-

sufficienter reparata est. Tum quia Respublica æterna, suis vivens, independenter ab alio; legibus; non est alteri Principi subjecta, nisi quatenus incurrit subjectionem ad illum, ratione injuriæ, de qua neque est satisfactum, neque aliter, quàm armis obtineri potest satisfactio. Prout discimus ex Divo Patriarcha *Augustino*, *quæst.* 10. *super Josue.* ubi justi belli, Principibus Christianis, bene ponderandam tradit Regulam, hisce formalibus: *Justa bella solent definiri, quæ ulciscuntur injurias, si gens vel civitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per injuriam ablatum est.*

18. Sub generali injuriæ vocabulo, juris naturalis & gentium interpretes, varias in specie causas adferunt, quarum præcipuæ sunt sequentes: 1. Recuperatio ejus, quod debetur Principi quà tali. 2. Si Rex aliquis gravi ignominiâ affecerit legatos alterius. 3. Si alterius Regis hostes foveat, incitet, juvet. 4. Si sceleratos tueatur in pernitiem alterius Reipublicæ aut Regni, ne justè puniantur. 5. Si Rex extraneus violaverit fœdus vel pactum magni momenti. 6. Si tributarii recusent solvere justum tributum. 7. Si subditi rebellionem machinentur, vel in hæresin declinent. 8. Si Rex opem ferat illis, qui injustè oppressi, in protectione seu clientela sua sunt. 9. Si bellum suscipiatur ad impediendum, ne innocentes idolis immolentur, aut trucidentur. 10. Si infideles impediant Evangelii prædicationem. 11. Si transitus per exteras regiones *innoxius* denegetur. Nam, ùt inquit Sacratioris publici juris Doctor *Augustinus*: *quæst.* 44. *super Numeros. Notandum est, quemadmodùm justa bella gerebantur. Innoxius enim transitus negabatur, qui jure humanæ societatis æquissimo, patère debebat.* His sanò sensu, addi potest pro causa 12*ma*, denegatio emigrationis, habitationis, navigationis, mercaturæ, piscaturæ in mari &c. eò quòd quædam nationes, ùt supra vidimus *cap.* 4. *à n* 35. ratæ sint, ista non fore omnibus jure gentium communia. De his causis potissimùm agemus infra *sect.* 6.

19. Hoc præprimis certum est, quòd ad justè movendum bellum requiratur 1*mò*. Ut injuria illata sit *enormis*, aut saltem talis, quæ nisi tempestivè comprimatur, sensim augenda, in graviorem abitura sit. 2*dò*. Ut ex bello non sint secutura majora damna in Republica Christiana, quàm sint ea, quæ per injuriam illata fuêre. Si enim graviora mala videantur secutura, non licet bellum inferre; ex ratione; quòd unus Princeps vel una Respublica debeat minus damnum suum postponere majori damno Reipublicæ Christianæ; perinde ac quivis privatus magìs cordi habere debet bonum commune totius, quàm suum particulare. Quamobrèm humanitatis ratio postulat, ne Princeps injuriâ affectus, mox inconsulto impetu, ad arma properet; sed priùs aliâ mitiore viâ satisfactionem exposcat. Si enim alius Princeps, qui vel ipse injuriam fecit, aut cujus subditi crimen commiserunt; paratus sit satisfacere, malefactores punire; ablata restituere; damna resarcire &c. injustum & inhumanum erit bellum, quod ei movebitur, cùm Princeps læsus, haud aliter bello possit vindicare injurias sibi illatas, quàm, dum non suppetit alia via obtinendæ satisfactionis. Consonat *Voet loc. cit. n.* 18.

20. Sciscitari posses; num Princeps læsus teneatur ex justitia, acceptare satisfactionem sibi, cœpto jam bello, & strage aliquorum factâ, oblatam? Hoc asserendum videtur, dummodò satisfactio oblata, sit sufficiens; & sine dolo, offeratur; ac sine damno acceptari possit. Tunc

Tunc enim bellum desinit esse necessarium, adeóque incipit esse illicitum. Quò facit illud Magni *Augustini* effatum *Epist.* 205. *Pacem debet habere* voluntas, *bellum* necessitas. Nam (prosequitur ibid. Ethicæ Christianæ Princeps) *sicut rebellanti & resistenti violentia redditur*; *ita victo vel capto misericordia jam debetur*, *maximè*, *in quo pacis perturbatio non timetur*. *Ratio* est: quia partâ etiam victoriâ, Princeps Victor plus capere non potest, quàm requiratur ad plenam satisfactionem, & ad suæ Reipublicæ tranquillitatem. Si igitur hæc offerantur, ante sanguinolentam victoriam; non est ratio, cur bellum etiam inchoatum, cum strage, ne dicam, damnatione multorum; sit prosequendum. Profectò, judex pedaneus seu ordinarius, in hoc differt à Principe supremo, quòd ille ex legum præscripto, teneatur, juxta rigorem juris, punire malefactores, nec *aggratiandi* habeat facultatem, hic verò contentus esse debeat oblatâ sibi condignâ satisfactione; eò quòd *per se* non habeat imperium vel jurisdictionem in Principem, à quo læsus vel offensus est; sed *tantùm occasionaliter & per accidens*, & quidem in casu duntaxat, quo aliter non potest consequi satisfactionem. Vide dicta supra *n.* 14.

21. Dices: Fervente jam bello, is qui læsit, non est ampliùs in statu *satisfaciendi*, sed satispatiendi. Quò facit: quòd victor aut dominus non teneatur manumittere servum jure belli captum. Item: quòd Princeps læsus, sit jure naturæ veluti constitutus arbiter & dominus causæ, ut liberè videatur posse bellum prosequi. Resp. *Neg. assumptum.* Vera enim causa, propter quam hostis sit in statu patiendi, non est conflictus jam cœptus, sed pervicacia hostis satisfacere recusantis. Ad id quod 1*mò.* additur Resp. patulam esse disparitatem; siquidem servus bello captus, *proprietatis jure* transiit in potestatem victoris, ad instar alterius rei mobilis occupatæ & captæ à militibus; Princeps verò, ex adverso, bellum gerens necdum captus, aut in subjectionem redactus est, sed ob incertam belli aleam, etiam victor evadere potest. Unde ad 2*dò.* additum Resp. *dissimulato Antecedente*, negando *illatum*. Ut ùt enim Princeps læsus, suo modo, sit dominus causæ, quatenus pro eo stat justitia, & longè major, belli apparatu jam facto, debeatur satisfactio, ratione expensarum eatenus profusarum; nequaquam tamen adversarium ita sibi subegit, sicut miles bello captus, in servitutem victoris redactus est.

22. Dictum: ad belli justitiam, id est: *inculpabilitatem*, requiri *intentionem rectam*, quæ talis erit; si ex parte tum supremi Principis, tum militum ei subservientium, bellum geratur, non libidine vindictæ, sed amore justitiæ & salutis Reipublicæ. *Bellum enim geritur* (inquit sacer Publicista *Augustinus Epist.* 205. *ut pax acquiratur*; &: *Nocendi cupiditas*, *ulciscendi crudelitas*, *impacatus & implacabilis animus*, *feritas rebellandi*, *libido dominandi*, *& si qua sunt similia*: *hæc sunt*, *quæ in bellis*, *jure culpantur.* Inquit idem S. Doctor *lib.* 22. *contra Faustum. cap.* 74.

23. Cæterùm, inter conditiones ad legitimum bellum supra requisitas, insigne discrimen observandum est. Siquidem deficiente authoritate illius, cujus auspiciis bellum geritur; aut non subsistente causâ justâ, peccatur contra justitiam *strictè* seu *juridicè* acceptam; ita, ut resarcienda sint damna per hujusmodi bellum aliis illata. Si verò solùm desit intentio recta; non delinquitur, nisi contra charitatem, quæ non inducit *per se* restituendi obligationem. Si

24. Roges: Num ii, qui in bello alioquin

quin justo, absque authoritate præliantur & prædantur; sint obnoxii restitutioni? Resp. *Affirmativè*, si nec expresso, neque præsumpto Principis consensu, militiæ & deprædationibus sese ingerant. Atque ita nominatim docent *Sylvester. Verb. Bellum.* 1. *q.* 10. §. 4. *Azor, Tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 7. Id quod multò magis porrigitur ad rusticos, cùm ipsi non sint inscripti militiæ. Si tamen rustici à parte hostium stantes, nostros rusticos spolient; licitum videtur nostris rusticis, qui aliter non possunt consequi indemnitatem, excurrere in agros hostiles, eorúmque incolas spoliare usque ad damnorum & injuriarum satisfactionem, etiamsi illi, qui spoliarentur, essent innoxii: sufficit enim, quòd sint membra illius Reipublicæ, quæ vel injuriam fecit, aut recusat vindicare id, quod à suis improbè gestum fuit. Ita *Franc. Victoria, Relect.* 6. *n.* 41. *Major, in* 4. *Dist.* 15. *q.* 20. & *Azor supra cap.* 7. *Ratio* est: quia fervente bello, utriusque Principis belligerantis, subditi, censentur habere virtualem seu tacitum consensum sui supremi domini, ad sic repetendum sua, alioquin haud recuperanda.

25. De *Repressaliis* hîc quæri p[illegible]st, an sint licitæ? ubi Nota *Repressaliarum* nomine à modernis Jurisconsultis, intelligi *pignorationes* inter populos diversos. Vide *cap. unic. de injuriis in* 6. Quæ tunc demum locum habent, si jus denegetur. Quod fieri intelligitur, non tantùm, si in reum fontem, aut debitorem morosum, intra tempus idoneum, obtineri nequeat judicium; verùm etiam, si in re minimè dubia [in dubia enim re, præsumptio est pro his, qui juridicundo præstituti sunt] planè contra jus judicatum sit. Siquidem authoritas judicantis, non idem pondus in exteros, quod in subditos, habet. Quanquam nec inter subditos perimat, quod verè debebatur Nam *verus debitor, licet absolutus sit*; *naturâ tamen debitor permanet*, inquit Paulus JCtus in *l. Julianus ff. de condict. indebiti.* Confer *Gailium de Pace publ. lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 7. & *Vasquez lib.* 4. *Controversiar. Illustr. cap.* 10. §. 41. Hoc inter exteros & subditos equidem discrimen est; quòd subditi executionem etiam injustæ sententiæ, vi impedire, aut contra eam jus suum, vi exequi, licitè non possint, ob imperii in ipsos efficaciam, & judicis reverentiam; exteri verò, jus habeant cogendi; sed, quo uti non liceat, si aliunde officio superioris judicis, suum consequi possint. Tali igitur de causa, aut corpora, aut res mobiles subditorum ejus, qui jus non reddit, capi posse, non quidem naturâ introductum est, sed moribus passim receptum. Hujus rei vetus exstat exemplum in Historia *Romana* apud *Livium lib.* 2. & *Halicarnassensem. lib.* 7. de Romanorum navibus, quas pro bonis Tarquiniorum, *Cumis*, *Aristodemus* Tarquiniorum hæres, retinuit.

26. Vita autem subditorum innocentium, ex tali causa, obligari nequit; eò quòd nemo sit vitæ suæ dominus, ut illam in arbitrium Reipublicæ conferre potuerit. Fieri tamen potest, ut præter intentionem, *ex accidenti* occidantur, qui juris executionem, per vim, impedire nituntur. Sed, si id prævideatur, ex charitatis saltem lege, omittenda potiùs erit juris executio; cùm ex ea lege, Christianis præsertim, pluris esse debeat vita hominis, quàm alia res terrena, prout supra lib. 1. cap. 9. n. 44. latiùs ostensum.

27. Itaque *Repressaliæ*, non sunt per se injustæ; modò constet de notabili injuria illata, & is ad quem pertinet, nolit vindicare, seu restitutionem procurare: Princeps verò summus eorum, qui injuriam passi sunt, det pignorandi authoritatem, neque recuperentur plura, quàm sint perdita; neque ab iis, quos ratio humanitatis eximi

eximi jubet. Confer *Covarruviam*, ad *Regul. Peccatum. part.* 2. §. 9. *n.* 4. ubi dicit: *Repressalias* eo modo esse licitas, quo bellum, easdémque cautelas & conditiones observandas esse, quò ad occisionem innocentium, quas in bello, observandas diximus.

28. Nec Obstat *Authentica. Ut non fiant. collat.* 5. in qua, jure civili, videntur Repressaliæ prohibitæ. *Aut* enim *Authentica* illa, per contrariam consuetudinem abrogata est; aut certè capienda est de Repressaliis, quæ tumultuariè, absque Principis authoritate, privato ausu, sine legitima causa, vel etiam indiscriminatim, sive in Principi subditos, sive extraneos, usurpabantur. Quo eodem sensu intelligendus est *Gregorius X. cap. Etsi. De injuriis.* Confer *Zoëf.* ad *tit. Cod. Ne uxor pro marito* &c. Ubi ex *Can. Dominus. caus.* 23. *q.* 2. rectè probat, haud iniquè impeti populum, qui vindicare negligit, quod à *suis* improbè factum. Et quanquam ex *Recessu Imp. Spirensi*, de Anno 1570. ibi: *Wan auch die Arresta, auch die Repressalien, generaliter, im Reich verbotten*, quidam malè interpretantes textum *Jeremiæ* 31. ℣. 30. contendant; Repressalias ad instar *Diffidationum* [de quibus supra *lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 77. esse juri naturali contrarias [vide *Coler. de processu executivo. part.* 1. *c.* 2. *n.* 324.] Nihilominus, cùm jus Repressalias concedendi numeretur inter *Regalia* & *Reservata Imperatoris*, testibus *Wesenbecio. Consil.* 46. *n.* 7. *Sixtino lib.* 1. *de Regalib. cap.* 1. *n.* 12. *& seq.* Conclusioni nostræ communi inhærendum est. Si igitur

29. Petas: In quos Repressaliæ locum habeant? Resp. Hac in parte, haud confundendum esse jus Gentium, cum juris civilis placitis. Jure siquidem Gentium, pignorationibus obnoxii sunt omnes subditi injuriam facientes, qui tales sunt *ex causa permanente*, sive indigenæ, sive advenæ; non verò, qui transeundi, aut moræ exiguæ causâ, alicubi degunt. Introductæ enim sunt pignorationes, ad exemplum onerum, quæ pro exsolvendis debitis publicis, indicuntur; à quibus immunes sunt, qui per *transennam*, seu modico tempore, loci legibus subsunt. A numero tamen subditorum, jure gentium, excipiuntur *Legati* & res eorum. Jure quoque civili, à Repressaliis eximi solent, personæ & res Ecclesiasticæ, mulieres, infantes; res studiosorum, & ad Nundinas missæ. Vide *Sylvestrum*, *Cajetanum* & *Angelum. Verb. Repressaliæ*. Sed omnium maximè *Bartolum*, qui speciatim de Repressaliis scripsit. Adde pro usu *Germaniæ nostræ*, *Zoëf. ad tit. Cod. Ne uxor &c.*

30. Quanquam jure gentium, singulis jus pignorandi concessum esse videatur; Jure tamen civili hodierno, facultas ista peti solet, aut à summo Principe, aut Magistratu ordinario; puta: *Prætore*, *Consule civitatis &c.* Confer *Voet. de jure milit. cap.* 1. *n.* 11.

31. Jure gentium, ipsô factô, dominium rerum *reprensione* captarum, acquiritur, pro ratione debiti & expensarum, seu illius, *quod interest*; ita tamen, ut residuum reddi debeat. Qua æquitate, Venetos, captis in *Galata* Genuensium navibus, usos fuisse ex *Gregora* refert *Grotius lib.* 3. *De J. B. & P. c.* 2. §. 7. in *annotat.* ibi: *Sed neque de onere captarum à se navium, corruperunt quicquam. Onus erat frumentum & hordeum: adhæc, salsamenta piscium, qualia proferunt Copaides & Mæotides paludes, & Tanaïs flumina: sed ea servârunt anxiè nihil imminuta, donec recepto debito, integra redderent.* Jure civili, priusquàm res per reprensionem, pignorationem, seu, quod idem est; *Repressalias*, captæ, publicâ authoritate distrahantur, aut damnum injuriámve passis

Hh 2 ad-

addicantur; adcitari solent ii, quorum interest. Ubi porrò non obiter *Notandum*, quòd ii, qui non solvendo, quod debebant; aut jus non reddendo; causam pignorationibus hujusmodi præbuerunt; ipsô jure naturali & divinô, teneantur ad resarcienda damna aliis, quibus eam ob occasionem, aliquid decedit. De Repressaliis pro usu hodierno Imperii nostri *Romano-Germanici*, legi præ cæteris meretur *Gail. lib. De pignorationibus. Observat. 2.*

32. Ad pleniorem hujus materiæ intellectum, ponderâsse juvabit; num jure gentium, bona subditorum, pro debito, aut culpa Imperantium, obligentur? Generatim loquendo; certum est, quòd mero jure naturæ, nemo ex facto alieno, teneatur, nisi bonorum successor sit. Id quod & juris civilis æquitas [ut videlicet cum oneribus bona transirent] constituit & canonum jure receptum. *cap. In litteris. De raptorib. cap. Tua. De usuris. Zeno* quidem Imperator, contra æquitatem naturalem, censuit, pro alienis debitis, alios molestari posse: sed juris Romani conditores, satiùs sanxerunt; ne uxor pro marito; ne maritus pro uxore; ne filius pro patre; néve pater vel mater pro filio conveniantur. *tot. tit. Cod. Ne Uxor pro marit. &c.* (vide tamen *Zoësium* adistum titulum, ubi in Annotationibus, pro usu hodierno, septem insignes limitationes adducuntur) Neque, quod universitas debet, singuli debent, prout disertè loquitur *Ulpianus* in *l. Sicut. §. 1. ff. Quod cujusque universitatis nomine* &c. puta: si universitas, bona habeat; alioquin enim in horum defectu, tenerentur singuli, non quà singuli; sed, quà pars sunt universitatis. Hinc speciatim, jure Romano constitutum, ut nullus ex *Vicanis*, pro alienis Vicanorum debitis teneatur. *l. unicà. C. Ut nullus ex Vicanis.* & *l. nullam. Cod. De execut. & exactionib.* præcipitur: ut nulla alterius possessio, pro alienis debitis, etiam *publicis*, conveniatur. Cui consonant *Novellæ.* 52. & 134. quibus vetantur pignorationes pro aliis, additâ ratione; quòd æquum non videatur, ut alius quidem sit debitor; ab alio verò exigatur.

33. Sed hæc, ùt ùt non abs ratione, statuta sint; jure tamen gentium *voluntario* induci potuit & reapse inductum apparet, ut pro debito civili communitatis, vel ejus capitis, teneantur & obligata intelligantur bona omnia *corporalia* & *incorporalia* eorum, qui tali societati aut capiti, subsunt. Id quod per quandam necessitatem, invectum; ne alioquin absque impunitate & remedio, magna suppeditaretur injuriis faciendis licentia, ut proinde hoc jus, unum videatur ex juribus illis, quæ *Justinianus Instit. De jure nat. gent. & civil.* ait: *usu exigente, ob humanas necessitates, constituta.* sed nec hoc jus ita naturæ repugnare, quin, moribus & tacito populorum consensu, induci potuerit; eruitur ex Doctore *Angelico*, 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. Adde *Molinam*, *Disp.* 120. & 121. *Navarr. cap.* 27. *n.* 138.

SECTIO QUARTA.

An ad Bellum licitè suscipiendum sufficiat causa dubia vel probabilis?

34. Non ùt in *Mathematicis*, ita in *Moralibus*, semper omnimoda haberi potest certitudo. In his enim, circumstantiæ etiam minimæ, casum variant; ita, ut modò hoc, modò illud, justum rectúmve videatur. Ex quo ambiguitas sæpe suboritur, ùt in crepusculo, & aqua frigida calescente; ut difficilè sit, verè justum ab eo, quod tale videtur, discernere. Maximè, quia inter id, quod necessariò fieri debet & facere nefas est; datur *medium*, sci-

scilicet, id, quod licet, seu permissum est.

35. Hic autem ex dictis *lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 31. recolendum est; actum esse *vitiosum*; si id, quod reipsâ justum est, fiat ab eo, qui perpensis perpendendis injustum existimat. Hoc enim est, quod *Doctor Gentium*, ad *Rom. cap.* 14. ℣. 23. cunctis inculcat dicens: *quidquid non fit ex fide, peccatum esse*, ubi *fides*, animi de re agenda judicium, importat. Siquidem natura humanis actionibus, veluti Ducem addidit vim judicatricem, quâ contemptâ, obbrutescit animus. Sæpe autem accidit, ut fluctuet judicium, nil certi reperire valens. Quo eventu, si omni conatu adhibito, hæsitatio expediri nequeat, aut ab omni actione desistendum; aut: si alterutrum est faciendum, & de utroque peræquè dubitetur; tunc saltem eligendum est illud quod minùs iniquum, minúsque periculosum esse videtur. Minus enim malum, in comparatione majorum, rationem induit boni, ùt cum Aristotele, *Nicomach.* 2. *cap.* 9. observavit *Cicero*, *De offic.* 3.

36. Plerumque verò in rebus dubiis & intricatis, animus adhuc in bivio hærens, huc illúcque fluctuat, partim, ob argumenta *è re* petita, seu *probabilitatem*, ùt scholastici loquuntur, *intrinsecam*; partim, ob argumenta petita ex opinione aliorum, ejus rei, de qua agitur, peritorum. Etsi enim præstantissimum sit, *per se* sapere, huic tamen proximum est, duci alterius prudentis opinione. Id quod indigitare voluit Divus *P. Augustinus lib.* 3. *De ordine.* inquiens: duplicem esse viam, quam sequi debeamus, cùm nos movet rerum obscuritas; scilicet: *aut rationem, aut certe authoritatem.* Confer *Vasquez disp.* 62. *cap.* 3. *n.* 10.

37 Qui propriâ non pollent peritiâ aut rerum experientiâ, tenentur audire & sequi prudentûm consilia. Nam verosimilia sunt, quæ omnibus videntur, aut plurimis, aut certè sapientibus, iisque rursum, aut omnibus, aut pluribus, aut præstantioribus. Confer *F. Victoria. De Indis. relect.* 1. *n.* 12. & : *De jure belli.* 21. *&* 24. Atque hac viâ judicandi, maximè utuntur Reges, quibus artium momenta ediscere aut expendere, vix vacat. Sicut enim id, pro vero habetur, quod plurium maximéque idoneorum testium depositione, stabilitum; ita & ea sententiarum sequenda meritò est, quæ plurimis præstantissimísque nititur authoribus. Unde veteres Romani, non nisi consulto *Fecialium* collegio, ad id instituto; & Imperatores Christiani, exemplo *Caroli Magni*, vix, nisi auditis Episcopis, bella suscipiebant aut ardua negotia definiebant; ut, si quid esset, quod religionem posset injicere, ejus admonerentur.

38. Quoties autem in controversiis, ubi peccandi vel injustitiæ committendæ periculum est, pro utraque parte, probabilia se produnt argumenta, sive *intrinseca*, sive *extrinseca*, ab authoritate scilicet aliorum petita; ea eligenda est sententia, quæ minus periculi habet, tutiórque est, maximè in rebus, ubi de vita, seu supplicio capitali hominis, agitur. Satiùs enim est, nocentem absolvere, quàm innocentem condemnare. Unde Author problematum, quæ Aristotelis nomen præferunt, *sect.* 29. dixit: *Si errandum est; sine jure absolvere, quàm per injuriam condemnare, est sanctius. Nam in* illo *error est: in condemnatione insontis, facinus.*

39. Jam verò, quoniam res maximi momenti est bellum; utpote, ex quo mala plurima etiam in insontes sequi solent; ideo inter sententias alternantes, seu in diversa conclusa abeuntes, vergendum est ad pacem, quia id tutius est. Unde cum Theologis, Resolvunt Jurisperiti: *imò.* Exorto super proprietate rei dubio, *possidenti*

denti non posse justè moveri bellum. Tum quia in dubio, melior est conditio possidentis: Tum quia, si causa in judicium deduceretur; non posset judex stante dubio, possessorem privare commodo possessionis. Quamobrèm, si possessor ab altero è possessione ejiceretur; posset isti alteri bellum movere ad recuperandum id, quod perdidit. RESOLVUNT 2*dò*. Si res, de qua dubium est, à neutra parte possideatur, non licitè inferri bellum pro habenda re tota. Æquitas enim non fert, ut ubi uterque habet jus æquale; uni totum adjudicetur. Res enim tali casu, ex æquo dividenda, aut compensanda est. Quòd, si alter nec in divisionem, nec compensationem medietatis, consentire vellet; bello ad id cogi posset. Idem dicendum; si is, qui non possidet, fortius jus habeat circa rei proprietatem aut dominium. Poterit enim petere compensationem ab eo, qui possidet; aut, ad illam præstandam, ipsum armis adigere, supposito, quod negotium tanti sit momenti, ut judicio prudentûm, expediat illud *Marte* terminari. Confer *Francisc. Sylvium*, in 2*dam* 2*dæ D. Thomæ q.* 40. *art.* 1. §. *Quæritur quartò. pag. mihi* 238.

40. Tribus autem modis, vitari potest, ne controversiæ in bellicas flammas erumpant. Primus est per colloquium. *Duo* enim *sunt genera decertandi* (inquit *Cicero. lib.* 1. *De offic.*) *unum per disceptationem, alterum per vim: cúmque* illud *proprium sit hominis*, hoc, *belluarum*; *confugiendum est ad posterius, si uti non licet priore.* unde *Euripides* dixit:

Verbis id impetrabo, sin nequeo, manu.

Quorsum collimat Magni *Augustini* doctrina, *lib.* 3. *De ordine:* ibi*: Duplex est via quam sequimur, cùm rerum nos obscuritas movet, aut rationem, aut certè authoritatem.* Confer *Gabriel. Vasquez. disp.* 42. *cap.* 3. *n.* 10. Ejusdem sententiæ fuit *Minutius* apud *Livium lib.* 22. inquiens: *Eum primum esse virum, qui consulat, quid in rem sit*: *secundum, eum, qui monenti obediat: qui nec ipse consulere nec alteri parére scit, eum extremi ingenii esse.* Quod ipsum repetit *Tullius* pro *A. Cluentio.* ibi: *Sapientissimum esse dicunt eum, cui quod opus sit, ipsi veniat in mentem: proximè accedere illum, qui alterius bene inventis obtemperet.* Cui concinit *Hesiodus*:

Ille quidem ante omnes, per se quid utile, quid non
Qui videt, & longè fines prospectat agendi:
Qui bene consultis didicit parére secundus:
At, qui consiliis pollet nihil ipse, nec audit
Suadentes alios; nullus homo vivit ad usus.

41. Secundus modus componendi controversias & belli evitandi, est *compromissum*. Atque huic viæ insistunt æquitatis & pacis amantes, eámque sectati sunt magni Reges & populi, prout exemplis notabilibus, ostendit *Grotius De J. B. & P. lib.* 2. *cap.* 23. §. 8. Omnium autem maximè decet christianos Reges & populos, hanc præoptare viam, ut humano parcatur sanguini. Proinde tum eam ob causam, tum ob alias rationes, utile & consultum, imò quodammodò factu necessarium foret, Conventus quosdam haberi Christianorum potestatum, ubi negotia & controversiæ ab impartialibus discuterentur & definirentur. Vide *Molinam. disp.* 103. §. *Quando inter &c.* Quòd, si partes ex *compromissariorum* arbitrio, æquis legibus pacem amplecti, & ab armis desistere nolint; ad id, per compromissarios, si viribus valeant, vel per alios potentiores, cogi poterunt, prout tradit *Gail. De pace publica. lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 12.

42. Tertius modus dirimendi graviores controversias est *sortitio*, seu *sortium jactus*. Vide dicta *lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 26. Consule quoque Divum P. *Augustinum. De do-*

doctrin. Christiana. lib. 1. *cap.* 28. Sorti affine est certamen singulare, cujus usus non videtur omnino repudiandus, si videlicet duo, quorum controversiæ alioquin totos populos, gravissimis malis sint implicituræ, inter se parati sint armis decertare. Videtur enim, id, si non ab ipsis (nisi jussus, aut Dei inspiratio accedat) rectè fieri, certè à populis vel civitatibus acceptari posse, tanquam minus malum. Vide dicta hoc *capite. n.* 73. Saltem inter cæteros veterum *Francorum*, id est *: Germanorum*, mores, hunc impensè extollit *Agathias. lib.* 1. cujus hæc sunt insignia verba, quæ ex græco, in latinum, vertit eruditissimus *Grotius loc. cit.* §. 10. *Si quæ fortè inter Reges oriantur controversiæ, aciem quidem omnes instruunt, tanquam bellaturi ad rem armis decernendam: & obviàm alii aliis procedunt. At, ubi conspicati sunt se invicem exercitus, abjectâ irâ, ad concordiam redeunt, & Regibus authores sunt, ut jure potiùs certent: aut: si id nolint; ipsi inter se singulari dimicent certamine, & suo duntaxat ipsorum periculo, rem transigant. Neque enim aut æquo & bono, aut patriis institutis convenire, ut ipsi ob propria odia, bonum publicum labefactent aut evertant. Ergo confestim solvunt exercitus, & restitutâ pace, tutò inter se commeant, sublatis malorum causis. Tanta in subditis cura justitiæ & patriæ amor: in regibus verò animus placidus & suis obsequens.* Confer *Capitularia* Caroli *Calvi* apud *S. Arnulphum*, & pactionem *Aquisgranensem.* de qua facer ille scriptor. Non vituperandus igitur est scriptor tragœdiæ *Thebaïdos*, dum de duobus altercantibus cecinit:

Rex sit è vobis uter?
Manente regno, quærite..

Multò enim satiùs, justiúsque creditum est, unum pro omnibus, quàm multos, unius causâ, perire. Quamobrèm apud *Virgilium*: *Æneidos* 11. *Æneas* æquum arbitratus fuit, ut cum *Turno*, certamine singulari, controversiam dirimeret. ibi:

Æquius huic Turno fuerat, se supponere morti.

Unde & *Antonius*, teste *Plutarcho*, *Octavium* ad monomachiam provocavit.

43. Disquirunt *Theologi*, disputant & *Publicistæ*, num bellum dari possit, ex utraque parte justum? *Theologi* breviter quæstionem hanc definiunt, dicentes: suppositâ ignorantiâ, ex una parte, invincibili, posse dari bellum utrimque *formaliter* justum, sed non *materialiter*; id est; exploratâ rei veritate. Atque hoc ipsum est, quod post Magnum *P. Augustinum, lib.* 15. *De civit. Dei. cap.* 5. *& lib.* 29. *cap.* 15. docent *Covarruvias* ad *Regulam*: *Peccatum. part.* 2. §. 10. *n.* 2. *Victoria*; *in relect. De bello. n.* 32. *Sylvius, in* 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. §. *Quæritur 5tò.* Quibus consonat *Grotius. loc. cit.* §. 13. ubi bene distinguendas monet *justi* acceptiones. Justum enim (inquit) aliquid dicitur, aut *ex causa*, aut *secundùm effectus.* Ex causa rursum, aut *speciali acceptione* justitiæ; aut *illa generali*, quâ omnis rectitudo, eo nomine venit. Specialis acceptio iterum dividitur in eam, quæ ad opus pertinet, seu rei *in se* veritatem spectat; & in eam, quæ pertinet ad operantem; seu, quæ respicit operantis mentem, intentionem & dispositionem. Nam ipse operans latiore significatu, *justè*, id est: *inculpabiliter*, interdum agere dicitur, quoties *injustè*, videlicet ex prava intentione, non agit; etiamsi id, quod agit, *in se* justum non sit: quo sensu ex Divo Patre *Augustino*, alibi diximus; aliud fore: *injustè agere*, aliud verò, agere, quod *injustum est*. Speciali itaque & ad rem ipsam, relatâ *justi* acceptione, utique bellum utrimque justum esse non potest, non magis, quàm lis privatorum queat esse justa

sta *materialiter*, ex parte utriusque litigantis, quia facultas *moralis*, ad contraria, puta: ad agendum & *impediendum*, id est: *excipiendum* per rei naturam, haud datur. At verò, ut neuter bellantium injustè agat; fieri sanè potest. Injustè enim nemo agit, nisi, qui & scit, se rem injustam agere: multi autem per ignorantiam invincibilem, id nesciunt. Multa enim & in jure & in facto, unde jus oritur, fugere homines solent. Generali acceptione, justum dici solet; quod omni agentis culpâ vacat. Multa autem etiam sine jure fiunt, quæ ob ignorantiam *inevitabilem*, haud culposa sunt, ùt constat exemplô eorum, qui legem non observant, quam sine culpa sua, latam promulgatámque esse, ignorant, ùt ùt tempus alioquin ad hauriendam scientiam sufficiens, lapsum sit. In litibus *privatorum* persæpe quoque accidit, ut utraque pars nedum injustitiâ, sed & omni alio vitio careat; præsertim, ubi pars utraque, aut altera, litigat non suo, sed alieno nomine. puta: ex tutoris officio, cui congruit, jus etiam incertum, in damnum pupilli sui, non deserere. Quanquàm in bello vix contingat, ut vel temeritas, inordinata cupiditas habendi, & *Philautia* omnis absit, ob negotii ipsius gravitatem, quæ talis est, ut causis probabilibus haud contenta esse debeat, sed quàm maximè evidentes requirat. Porrò; si quò ad quosdam juris effectus, *justum* capiamus; indubium est, hoc sensu, bellum posse dari utrimque justum, ad eum modum, quo sententia injusta, possessio item juri non subnixa, quosdam habent juris effectus. Non igitur maturè rem ponderavit *Paulus Voet*, dum in opusculo: *De jure militari cap.* 1. *n.* 16. ex *Alberico Gentili. De Bello. lib.* 1. *cap* 6. & *Bocero. De Bello. cap.* 1. *n.* 12. scripsit: illum vim veritati inferre, qui dixerit, justum utrimque bellum dari posse.

44. Belli utrimque, opinione scilicet pugnantium, justi, aut saltem non injusti, *formaliter* scilicet, exemplum occurrit in pugna, quam *Israëlitæ* instituerunt contra *Chananæos*. Erat enim justum ex parte Israëlitarum; quia divino mandato muniti erant; neque injustum erat ex parte *Chananæorum*; quia voluntatis & mandati divini inculpatam habebant ignorantiam.

45. Sciscitari hîc posses: num restitutioni obnoxii sint, qui ab initio, aut in belli decursu, arbitrati sunt, se justam habuisse belligerandi causam, postmodùm re penitiùs perpersâ, deprehenderunt, se fuisse in opinione sua deceptos, & bellum fuisse injustum? *Franciscus Victoria. loc. cit. n.* 33. ex communi Doctorum tum Theologorum tum Jurisperitorum sententia, Respondet: Eos, qui suâ culpâ ignorabant injustitiam belli, ac ita dimicantes, aliis nocuerunt; teneri ad restitutionem omnium damnorum, humanitus hîc & nunc reparabilium: eos verò, qui, per ignorantiam inculpabilem, belligerando, aliis damna intulerunt, non ultra teneri, quàm quatenus, aut facti sunt exinde ditiores, aut quatenus, bello capta adhuc exstant: non itaque teneri resarcire: vel animalia occisa, vel domos combustas, sata conculcata, arbores cæsas, *&c.* Bona enim fides facit, ut ea duntaxat restitui debeant, quæ superveniente malâ fide, vel *exstant*, vel quatenus, qui sic egerunt, *ditiores* seu *locupletiores evaserunt*, prout alibi pluries diximus.

46. Dictum quoque; non temerè, aut ob rationes *apparenter* solùm *justificas*, suscipiendum esse bellum. Plus hîc dicimus; scilicet, jure etiam satis comperto, mox non oportere bellum suscipi, aut non semper licere. Contra enim evenit, ut plerumque rebus limatiùs perpensis, ma-

magis pium rectúmque sit, de jure suo quantocunque aliquid remittere; quàm illud, damno aut proprio, aut aliorum, pervicaciùs prosequi. Siquidem, ut cum Magno *Patre Augustino* saniores docent Theologi; vitæ quoque propriæ interdum curam, honestè, quin & meritoriè, negligere possumus, ut alterius & vitæ, & saluti perpetuæ, quantum in nobis est, consulamus. Id quod, quàm maximè, in nos Christianos & orthodoxos cadere debet, utpote, qui perfectissimum exemplum imitari deberemus salvatoris nostri, qui pro nobis peccatoribus, in cruce, mori voluit. Quidni igitur tanto exemplo excitari debeamus, ne res nostras, aut nobis debitas, cum irrecuperabili sæpe aliorum damno, cujusmodi, bellum secum ferre natum est, persequamur.

47. Qui mitiore & saniore ingenio emicuêre *Sophi*, Principibus semper suaserunt; ut vel pœnæ seu vindictæ causâ, bello abstinerent; aut leviorem inferrent delinquentibus. Quisquis enim alium punire vult; Rectoris, id est Patris, quodammodò personam induere, adeóque clementem, se exhibere debet. *Clementia autem* [ut *Seneca* ait *Epist.* 87.] *alieno sanguini, tanquam suo, parcit, & scit; homini non esse homine prodigè utendum.* Quinimò *Diodorus Siculus*, *in fragmentis*, censuit: Non omnes, qui deliquêre, puniendos esse, sed eos, quos malefactorum nihil pœnitet. Quòd si interdum exemplo, in terrorem aliorum, opus; ita ut nec pœnitentibus parcendum sit; rectè tamen Magnus *P. Augustinus* Comitem *Marcellinum* instruxit, dicens: *imple Christiane judex! pii patris officium.* Vide *Gratianum. caus.* 23. *q.* 4. ubi in hanc rem, citat *Augustinum.*

48. Si itaque de pœnis infligendis agitur, officii primùm nostri Christianorum est, ut facilè & libenter, aliis offensam in nos commissam remittamus, sicut Deus nobis condonat in Christo. ad *Ephes.* 4. ℣. 32. Irâ enim vacare circa ea, ob quæ nocentes, pœnæ mortis sunt obnoxii, ad divinam naturam accedit. Unde *Seneca. lib.* 1. *De Clement. cap.* 20. de Principe scripsit: *Longè sit in suis, quàm in alienis exorabilior injuriis. Nam quemadmodum non est magni animi, qui de alieno liberalis est, sed ille, qui quod alteri donat, sibi detrahit: ita clementem vocabo, non alieno dolore facilem, sed eum, qui cum suis stimulis agitatur, non prosilit: qui intelligit magni animi esse, injurias in summa patientia pati.* Ut meritò *Tulllius* vel ab eo præcipuè laudaverit. *C. Cæsarem*, quòd oblivisci nihil soleret nisi injurias: & *De officiis.* 1. dixerit: *nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate atque clementiâ*; cujus eximiæ virtutis, insignia nobis, sacræ litteræ, suppeditant exempla in *Moyse*: *Numeror.* 11. ℣. 12. *Davide* & aliis. Id quòd maximè locum habere debet, ubi nos quoque aut alios lacessivimus, aut in ipsos peccavimus; vel id, quod in nos peccatum est, ab humana quadam & excusabili profectum infirmitate, cujus indicium est subita pœnitentia illius, qui deliquit aut nocuit. Ob has causas, humanitatis ratio & lex Christianæ charitatis, quam ipsis inimicis debemus ac rectè impendimus; suadet: ut in vindicandis injuriis, animum temperemus & belli sævitiam evitemus.

49. Quòd si rei gravitas & justitia postulare videatur, ut ad arma procedatur; videndum: an id quoque consultum & salutare sit? Quò facit parabola Evangelica, in qua dicitur; quòd si quis Rex cum alio Rege, bello certare velit; primò *sedere*, id est: maturè & diu expendere debeat; an ipse decem millia militum habens; hosti, viginti millia ducenti, par esse possit? Quòd si se inferiorem & im-

imparem sentiat, potiùs tempestivè, priusquàm hostis intra fines adsit, ad ipsum mittere debeat legationem, pacis pangendæ aut exorandæ causâ. Quinimò & ille, qui pari bellantium numero, & viribus æqualibus est, incertam belli aleam, & quidquid inopinatum fortuitò accidere potest, priusquàm in campum *Martium* procedat; perpendere debet.

50. In pœnis itaque infligendis aut exigendis, præprimis perpendendum est; num in illum moveatur bellum, qui paribus aut ferè paribus pollet viribus? Quod ubi deprehenditur; nunquam eo nomine inferendum est bellum contumacibus & desperatè pugnaturis. Proinde, prout judex civilis, sententiam à se latam executurus, ita is, qui armis facinora vult vindicare, multò validior altero esse debet. Neque verò prudentiæ solùm regula, aut lex charitatis postulat, ut ancipiti & periculoso bello abstineatur; sed sæpe id exigit justitia etiam *Rectoria*, quæ ex ipsa regiminis natura, superiorem non minùs ad curam pro subditis, quàm hos ad obedientiam obligat. Unde Theologi passim tradunt: Regem, qui ob causas leves, aut ad exigendum pœnas, non necessarias, magnum interim discrimen secum trahentes, bellum suscipit; teneri subditis ad reparationem damnorum, quæ inde oriuntur. Nam, etsi non in hostes, in subditos tamen suos, quos talibus de causis, incommodis adeò gravibus implicat; veram committit injuriam. Unde id ferè unicè *justum* bellum dicendum, quòd necessariò suscipiendum: & arma dicenda sunt *pia*, sine quibus nulla alioquin relinquitur spes. Quò respexisse videtur *Ovidius*, *Fastorum* 1. inquiens:

Sola gerat miles, quibus arma coërceat, arma.

51. Bellum gesturi nedum, vires proprias, atque adversarii potentiam; sed & bellandi tempus & oportunitatem considerare debent: ut prudenter *Augustus* apud *Suetonium cap.* 24. monuerit; bellum haud suscipiendum, nisi, cùm major emolumenti spes, quàm damni metus ostenderetur. Et non minùs sapienter apud *Gellium*, *lib.* 13. *cap.* 3. ac *Valerium Maximum. lib.* 7. *cap.* 2. dixerint *Scipio Africanus*, & *L. Æmilius Paulus:* Non fore decertandum, nisi summâ necessitudo, aut summa occasio data esset. Ethicè, totum quod hac in parte dici potest, complexus est Magnus *Augustinus. Epist.* 1. *Ad Bonifacium.* ibi: *Pacem habere voluntatis est; bellum autem debet esse necessitatis, ut liberet Deus à necessitate, & conservet in Pace.*

52. Quia res sæva, bellum est, cumulúmque secum trahit injuriarum & insolentiarum; ideo Christianæ Ethices nostræ Magister *Africanus. De civit. Dei lib.* 19. *cap.* 7. de belli calamitatibus disserens, ait: *Quorum malorum multas & multiplices clades, diras & duras necessitates, si, ut dignum est, eloqui velim, quamquàm nequaquam, sicut res postulat, possum: quis erit prolixæ disputationis modus... Hæc itaque tam magna, tam horrenda, tam sæva, quisquis cum dolore considerat, miseriam, necesse est, fateatur.* Unde S. Doctor *lib.* 4. *De civit. Dei. cap.* 15. dixit: *Belligerare* malis *videtur felicitas*, bonis, *necessitas.* & *Maximus Tyrius* sic effatus est: *De bello etiamsi demas injustitiam, ipsa per se necessitas miseranda est. Proinde* (inquit idem) *apparet, bellum à justis non assumi nisi necessariò, ab injustis, sponte.* Ratio *Senecæ* est: quia *homini homine haud prodigè utendum.* Ut *Philiscus* teste *Æliano. lib.* 14. *c.* 11. rectè monuerit *Alexandrum*, ut gloriæ quidem studeret, sed eâ lege, *ne se pestilentiam faceret.* Quo indigitare voluit, populorum stragem, desolationem urbium; regionum devastationem; effectus esse *pestilentiæ*; nihil autem magis

gis esse regium, quàm consulere omnium saluti, quæ pace continetur. Profectò cur Deus à Davide, qui bella etiam *pia* gessisse dicitur, templum suum ædificari vetuerit: *ratio* fuit; quòd multum sanguinem fudisset, &, hostili etiamsi cruore, pollutus esset, ùt loquitur *Flavius Josephus. lib. 7. cap. 25. Quamvis enim* (inquit *Philo: De vita Moysis*) *legibus permissæ sunt hostium occisiones, attamen quisquis hominem interfecerit, quamvis justè; quamvis ad sui tutelam; quamvis coactus; aliquid labis contraxisse creditur, propter illam communem à summa causa venientem cognationem.* Quapropter & purgatione quadam opus habebant tales interfectores, ad eluendum quod commissum videbatur piaculum. Unde fluxisse crediderim; quòd per sacrorum Statuta Canonum, irregularitatem *defectu perfectæ lenitatis*, ùt in scholis loquimur, contrahant judices, lictores, & alii, qui citra injustitiam, ad hominis interemptionem concurrerunt, qua de re egimus *lib. 1. cap. 9. n. 34.*

SECTIO QUINTA.

Quibus bellare, & quos in auxilium vocare sit licitum?

53. Præscindendo à sacratioribus & perfectioribus scholæ Christianæ tum legibus tum monitis, & considerando hominem secundùm se, extra civile imperium; certum est: quemvis naturaliter fore sui juris vindicem, & ideo nobis à natura datas esse manus. Vide supra dicta. Quia autem otiosè disputaremus de jure hominum, pro statu, in quo non reperiuntur amplius (omnes enim, saltem non prorsus efferati populi, sub regimine aut *Monarchico*, aut *Aristocratico*, vel *Democratico*, alióve *mixto*, vivunt) idcirco, ut intra fines Ethicæ nostræ Christianæ nos contineamus; sit

54. Quæstiuncula *1ma*: Utrum Clericis & Episcopis, sit licitum belligerare? *Respondemus* autem cum Doctore *Angelico. 2. 2. q. 40. art. 2. Negativè*, regulariter scilicet loquendo. *Ratio* petitur tum ex indecentia & incompatibilitate negotiorum [bellicæ enim causæ ac expeditiones, maximas secum ferunt deliberationes, & inquietudines, haud convenientes Clericorum officiis, quæ sunt: divina contemplari, Deum laudare; orare; sacrificare pro populo *&c. &c.*] Tum propter repræsentationem. In Sacrificio enim *Missæ*, quorsum inferiorum Ordinum munera referuntur; repræsentatur incruento modo, Sacrificium Christi cruentum, quod pro nobis peccatoribus, in ara crucis, Deo Patri suo obtulit, & in cujus memoriam æternam, in cæna ultima, Apostolis & Sacerdotibus cunctis mandavit, offerre hostiam immaculatam. Proinde mansuetudinem Christi Salvatoris & Magistri, ita imitari debent Clerici, ut potiùs proprium, si expedit, sanguinem, quàm alium fundere parati sint. Huc facit *canon. Quicunque. caus. 23. q. 8.* ibi: *Quicunque ex Clero esse videntur, arma militaria non sumant, nec armati incedant, sed professionis suæ vocabulum, religiosis moribus & religioso habitu præbeant.* Adde *Canonem: His. ibid. His, à quibus Domini Sacramenta tractanda sunt, judicium sanguinis tractare non licet. &c.*

55. Quæstiuncula *2da*. Quibus Clericis belligerare non sit permissum? Quòd Clericis majorum Ordinum, absque publica & gravi necessitate, vel summi Pontificis licentiâ, sub mortali peccato, bellare sit prohibitum; Doctores, tum ex materiæ gravitate; tum ex pœnarum à jure statutarum acerbitate, colligunt.

ligunt. De Clericis verò minorum Ordinum, qui nec beneficium habent, nec clericalibus privilegiis gaudentes, statui Ecclesiastico renuntiârunt; *Covarruvias*, in *Clementinam. Si furiosus. p.* 2. §. 3. *n.* 2. *Azor. part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 16. *Sylvius*, *in* 2. 2. *D. Thomæ. quæst.* 40. *art.* 2. §. *Quæritur.* 1. *Lorcas ibid.* & Theologi passim, statuunt; illis non fore prohibitum pugnare. *Dico*: *Qui nec beneficium habent &c.* Si enim beneficium possident, belligerando, lethaliter delinquere censentur, cùm eatenus sint *ex officio*, ministri Ecclesiæ, & teneantur vitare irregularitatem. Quòd, si quidem beneficium non habeant; fruantur tamen privilegio clericali; venialiter saltem peccabunt, si *Marti* se addixerint. Ratione enim clericalis (quo fruuntur) privilegii, deberent servare ea, quæ clericos decent. Quia tamen non nisi remotè destinati sunt ad Sacrificium Altaris; ideo non videntur plusquàm venialiter peccare, si contra fecerint, veluti; si nuptias contraxerint, vel judicis officium assumpserint. &c.

56. Quid, si clerici in bello alioquin justo, ex parte sua, illicitè pugnantes, ab hostibus spolia vel prædam acceperint? Resp. Illos per hoc [dummodò accedat saltem præsumptus summi Principis, cui serviunt, consensus] speciale peccatum non commisisse, neque teneri ad restitutionem. Siquidem ex hoc, quòd illicitè pugnent, non peccant contra *justitiam*, sed contra *Religionem*. Confer *Sylvium loc. cit.*

57. De Clericis habentibus supremam in temporalibus potestatem [quales sunt Principes *Electores Ecclesiastici* & alii quidam Episcopi in imperio *Romano-Germanico*] constat: quòd ex justa causa, possint indicere bellum & constituere ducem exercitûs: Tum quia non sunt deterioris conditionis in tuendo & prosequendo jure suo, quàm alii Principes sæculares; Tum quia absque irregularitatis periculo, causas sanguinis, aliis delegare possunt. *cap. Episcopus. tit. Ne Clerici vel Monachi &c. in* 6. Confer *Sylvestrum. Verb. Bellum.* 3. *q.* 1. & ea, quæ hac de re diximus *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 35.

58. Indubium est, quin Clerici etiam Sacerdotes, licitè & absque irregularitatis periculo, possint castra sequi, ad ministrandum spiritualia: possint quoque suadere bellum pium & justum; atque hortari milites, ut strenuè, fortiter, & imperterritè dimicent, idque, sive ante conflictum, sive ipsa in arena; dummodò ad mortem vel mutilationem alicujus, determinatè non concurrant. Ad id enim efficaciter cooperari non licet clericis. Quo sensu intelligendus est Pontifex *Innocentius III.* in *cap. Quod in dubiis. tit. De pœnis.* ubi dicit: Clericum enormiter peccare, & deponendum, qui alios incitat ad pugnam.

59. Quòd Clerici cum licentia summi Pontificis pugnantes, nec peccent, nec irregularitatem incurrant; cum Theologis, tradunt Canonistæ; inter quos etiam convenit, quòd à reatu culpæ immunes sint, qui quidem absque expressa Papæ licentia, ob evidentem tamen necessitatem, arma arripiunt & confligunt, puta: si alioquin civitas vel exercitus perire deberet, aut occasio insignem victoriam, contra Christiani præsertim nominis hostem, obtinendi elaberetur. Disceptatum autem fuit, num ita pugnantes fiant irregulares? *Negativè* responderunt *Sylvester. Verb. Bellum.* 3 *q.* 2. *Valentia. quæst.* 16. *De Bello. puncto* 2. *Lorcas* & alii. Verosimiliùs tamen & tutiùs, *affirmativè* responderunt *Cajetanus* & *Bannes* scribentes ad art. 2*dum*: 2. 2. *D Thomæ quæst.* 40. quibus consonat Praxis Episcopalis

copalis *art.* 5. *part.* 1. Ex ratione; quòd in jure, quivis irregularis habeatur [excepto illo, qui in necessariam suî ipsius defensionem, occiderit invasorem: *Clement. Si furiosus. De Homicidio.*] qui alium voluntariè interimit vel mutilat. *caus.* 23. *q.* 8. *cap. Sæpe. cap. His à quibus. lib.* 3. *Decretalium. tit. Ne clerici &c. cap. Clericis. cap. Sententiam. tit. De raptorib. can. In Archiepiscopatu.* & signanter *can.* 1. *dist.* 51. Quò facit *cap. Petitio. tit. De homicidio.*, ubi Pontifex illum ab altaris ministerio debere abstinere decernit, qui aliquem in defensionem castri, in quo morabatur, percusserit.

60. Nec Dicas 1*mò.* hoc ultimo loco non agi de necessaria defensione. Textus enim ipse insinuat, quòd castrum ab inimicis fuerit graviter invasum, adeòque defendendum. Neque Dicas 2*dò.* Absurdum videri, quòd is irregularis efficiatur, qui licitè, imò necessitate adactus, pugnavit. Siquidem hæc irregularitas non tam in peccati pœnam, quàm ùt (Theologi loquuntur) ob defectum perfectæ lenitatis, incurritur etiam absque culpæ reatu; qua ratione diximus alibi, judices Assessores, & justitiæ executores, effici irregulares, in causis sanguinis. Contrariam quidem sententiam fovet *Suarez tom.* 5. *in tertiam partem. disput.* 46. *sect.* 2. & *sect.* 6. ubi ab irregularitate eximit cunctos, qui licitè & moderatè, Rempublicam, proximum, vel propria bona sua defendentes, alium occidunt. Tutiùs tamen tamen fuerit, tali casu petere dispensationem, propter textum in *cap. Significâsti. De homicidio.* ubi Pontifex *Innocentius III.* dicit: quòd clericus, qui percusserat furantem in Ecclesia, *si dubium sit*, an percussus, ex illo ictu interierit, tanquam homicida haberi, & à sacerdotali ministerio, abstinere debeat, cùm in tali casu, tutiùs sit abstinere, quàm temerè celebrare. Vide adstipulantem *Navarrum cap.* 27. *n.* 193.

61. Petes: Quo jure Clericis prohibitum sit bellare? Tametsi *Gratianus*, *Decreti* compilator, sub initium *quæstionis octavæ. caus.* 23. Id clericis, jure divino, fore prohibitum asserat, & eum videatur sequi *Valentia* in *tract. de bello.* Communis tamen & vera sententia habet; jure solùm Ecclesiastico, Clericis bellum esse prohibitum. Id quod probatur, tum ex veteri, tum novo testamento. Ex veteri quidem; quia in illo licuit Sacerdotibus bellum gerere; ùt patet de *Abrahamo. Genes.* 14. *De Jonatha* & *Simone* fratribus Judæ Machabæi. *lib.* 1. *Machabæ. cap.* 10. 11. & 12. Ex novo etiam testamento; quia nec Christus, nec Apostoli, Belliduces, Centuriones aut milites aliunde non peccantes, reprehenderunt, quod justis ex causis, arma tractaverint; adeóque bellum, tanquam res vel actio de se turpis aut illicita, censeri non debet Clericis, jure divino esse prohibitum; præsertim, cùm hujusmodi prohibitionis, non extet præceptum; neque S. Pontifex cum Clericis dispensare posset, ut essent belliduces aut milites, causásve sanguinis tractarent. *Nec*

62. *Contra* facit: Quòd Christus *Petro*, & in ipso, aliis Clericis mandaverit, ut converteret gladium in vaginam. *Matth.* 26. Quo loco utitur Divus *Bernardus. lib.* 4. *Ad Eugenium Papam. cap.* 3. ut demonstret, gladium *materialem* non Pontificis manu, sed ipsius authoritate & approbatione, ab aliis sæcularibus, exeri posse. Resp. enim, Christum ibi non alloqui *Petrum* quà Clericum vel Sacerdotem præcisè, sed quà hominem privatum. Siquidem ibidem, duntaxat generatim prohibet, ne quis ausu privato, se vel alios vindicet. Quanquàm ob indecentiam & distractionem à divinis officiis, quam

quam bellum invehere solet, regulariter clericis per se belligerare non sit permissum. Nec plus voluit Doctor mellifluus dicere. *Neque*

63. In contrarium *urget* dictum Apostoli 2. *ad Timoth.* 2. quod videlicet nemo Deo militans, se negotiis sæcularibus implicare debeat. Nam RESP. Apostolum ibidem non tam Clericos, quàm quoscunque Christi fideles instruere, ne Christo adscripti & militantes; nimiâ, circa res corporales & fluxas, angantur sollicitudine; quanquàm Clericos, speciali titulo, oporteat à sæcularibus negotiis & curis esse alienos, prout docet Divus *Thomas* 2. 2. *q.* 40. *art.* 2. *in corpore.* & ibid. in *responsione. ad 2dum.* Unde quando *Nicolaus Papa* relatus in *can.* 19. *cauf.* 23. *q.* 8. & alii SS. Patres reprehendunt Episcopos, quòd contra piratas invigilent, & rebus militaribus intenti sint: illud insinuare volunt: quòd Episcopi munus non sit, neglectâ ovium spirituali salute, pro libitu, se implicare, & vehementiùs incumbere bellicis negotiis: & quòd indecorum sit Episcopo, *per se* tractare causas sanguinis, præsertim; quia etiam nec omnia, quæ licent, & per se crimen non habent, expediunt semper.

64. Naturaliter loquendo, non solùm unusquisque, juris sui executor, sed & alieni defensor est; Quocirca; quæ causæ justæ sunt ipsi, cujus res agitur; illæ & justæ sunt iis, qui aliis opem ferunt. Prima autem maximéque necessaria cura habenda est subditorum. Neque enim statim justus dici meretur, qui injuriam nulli facit, nisi & eo sit animo, ut tuetur sibi commissos, adversus alienas injurias. Unde pro *Gabaonitis*, qui se populo *Hebræo* subjecerant, populus iste, Duce *Josue*, arma arripuit. *Jos.* 10. ✠. 6. & Romani, teste *Tullio*, in *Verrem.* 11. sæpius pro suis mercatoribus & naviculariis injuriosiùs tractatis, aut ab alia natione spoliatis, bella susceperunt. Haud tamen inconsulto impetu, ob quamvis justam causam, pro vindicanda injuria subditis illata, ad arma convolandum; sed ita demum; si id sine omnium, aut plurium subditorum incommodo, fieri potest. Rectoris enim officium magis circa totum, quàm circa partes versatur: & quò pars est major, eò ad *totius* naturam propiùs accedit.

65. Disputari solet; num civis aliquis innocens, ab hostibus ad exitium seu internecionem postulatus deseri possit? Temerè eum deseri non posse, si absque magno populi periculo defendi possit, bene tradit *Ferdinandus Vasquius*: *lib.* 1. *Controversiarum illustr. cap.* 13. Alioquin si appareat, civitatem hostium viribus multo esse imparem; dubium non est, quin deseri possit?

66. Gravior inter eruditos agitatur quæstio, an, ut evitetur imminens alioquin civitatis excidium, civis innocens, in manus hostium tradi possit? *Negativè* hanc quæstionem resolvit *Vasquius. loc. cit.* ubi etiam contra *Sotum. De just. & jure. lib.* 5. *q.* 7. contendit: talem civem non teneri se hostibus offerre, eò quòd natura societatis civilis, quam quisque sui commodi, & securitatis suæ causâ, iniit, non videatur id postulare. Si jus propriè dictum spectemus; vera est *Vasquii* sententia, *Soti* verò resolutio tenenda est, si consideremus, quid charitas suadeat? Multa enim sunt officia, quæ justitia quidem non præcipit; lex tamen dilectionis præstari jubet; ita, ut non solùm laudabiliter aliis impendantur, sed etiam sine culpa, omitti nequeant. Atque ex horum officiorum classe, præcipuum illud est: ut innocens unus, sanguine suo, plurimorum innocentium vitam redimat. Unde Cicero in *Orat. pro P. Sextio*, dixit: *Si mihi*

mihi in aliqua nave cum meis amicis naviganti hoc accidisset, ut multi, ex multis locis, prædones, classibus eam navem se oppressuros minarentur, nisi me unum sibi dedissent; jecissem me potiùs ipse in profundum, ut cæteros conservarem, quàm illos mei tam cupidos non modo ad certam mortem, sed in magnum vitæ discrimen adducerem. Vir enim bonus & sapiens, & legibus parens, & civilis officii non ignarus; utilitati omnium plusquàm unius alicujus, aut suæ, consulit. Inquit idem *Orator lib. 3. De finib.*

67. Suppositô, quòd ex lege charitatis ad salvandos reliquos concives suos, quis teneatur, se hosti deditionem postulanti offerre; dubium suboritur; an, si id quod charitas jubet, facere recusans compelli possit? *Ratio dubitandi* est; quòd, etsi dives egeno stipem dare, ex misericordiæ præscripto, teneatur; ad id equidem cogi nequeat. Verùm alia est ratio singulorum, seu partium inter se; alia superiorum; ubi cum sibi subditis comparantur. Nam par parem, nec per se, nec per judicis officium, cogere potest, nisi ad id, quod sibi, *ex jure strictè dicto*, debetur. Superior verò cogere potest etiam ad alia, quæ virtus quælibet præcipit. Siquidem in jure proprio superioris, *quà superior* est, hæc facultas comprehensa intelligitur. Proinde, sicut in magna frumenti penuria, cives cogi possunt, ut quod habent abundantiùs, in medium conferant, ne alii fame premantur; ita & in nostra hypothesi, civis videtur cogi posse, ut id faciat, quod lex charitatis jubet.

68. Sicut subditi, ab injuriis extraneorum, defendi debent secundùm superiùs dicta; ita & protegi & juvari debent socii, qui se alteri potentiori in tutelam & fidem dederunt, aut mutuam opem pacti sunt. Unde Divus *Ambrosius De officiis lib. 1. c. 36.* inquit: *Qui non repellit injuriam à socio, si potest; tam est in vitio, quàm ille qui facit.* Sicut autem id pro impossibili *moraliter* habetur, quod justè, & citra peccatum, fieri non potest; ita pactiones, ad bella iniquè & absque causa legitima, susceptа, porrigi non debent. Quinimò, ne tunc quidem socio socius ad suppetias & ferenda auxilia obstringitur, si nulla spes sit boni exitûs. *Boni* enim non *mali* causâ, id est: commodi, non incommodi gratiâ, societas contracta intelligitur.

69. Amicis, quibus etiam auxilium promissum non est, singulariter quoque assistendum, si id sine incommodo fieri possit. Sic pro *Loth* cognato, arma sumpsit *Abrahamus*. Dico: *Singulariter assistendum amicis.* Nam ad communem opem aliis ferendam, sufficit naturæ humanæ conjunctio & communio. *Homo* enim [inquit *Seneca: De ira. lib. 1. c. 7.*] *in adjutorium mutuum generatus est.* &, ùt loquitur Divus *Ambrosius. De offic. lib. 1. cap. 5. Fortitudo, quæ defendit infirmos, plena justitia est.* Unde si

70. Petas: an citra pactum vel speciale fœdus, homo hominem, populus populum ab injuria defendere teneatur? Resp. 1mò. Neminem cum suî aut suorum manifesto periculo, ad id obstringi. Potest enim quivis vitam suam & res suas, alienis anteferre. Unde *Seneca lib. 2. De beneficiis. cap. 15.* prudenter dixit: *Succurram perituro; sed, ut ipse non peream, nisi futurus ero magni hominis, aut magnæ rei, merces.* Resp. 2dò. Si oppressus, non nisi morte invasoris, eripi potest, nemo regulariter tenetur liberare oppressum. Si enim, ùt supra *lib. 1. cap. 9.* ostendimus, ipse invasus, invasoris vitam, suæ potest præferre; cur noxam contrahat, aut culpæ theologicæ obnoxius sit; qui cum cæde invasoris, invasum non defenderit? præ-

præsertim, quia & invasus ipse, tali modo, fortassis defendi non vult; eò quòd ex parte invasoris scelerati, præsens sit periculum damni irreparabilis & sempiterni, prout hîc & alibi sæpius, [utinam ubivis] egregiè moralizat *Grotius*.

71. Dictum: pro subditis; amicis; confœderatis; imò extraneis, nullo, nisi humanitatis vinculo, junctis, bellum suscipi posse, si intolerabiliter opprimantur & divexentur. Gravior & delicatior est quæstio, num pro alienis subditis, ut à tyrannide proprii Regis, liberentur; licitè suscipi queat bellum? Haud facilè saltem; neque ob quamvis, licet gravem injuriam, quam Rex suis infert subditis, alteri Principi licere arma movere, in sublevamen gravatorum; ex eo constat; quòd cuivis Regi vel Monarchæ, speciale quoddam jus in suos subditos, sit quæsitum, & summam in ipsos habeat potestatem; seu, ùt *Grotius* loquitur, Dominium *eminens*, propter quod multa Rex facere potest, quæ populo graviora videntur. Quò pertinet illud *Virgilii lib.* 1. *Æneidos.*

Non illi imperium pelagi, regnúmque Tridentis
Sed mihi sorte datum...

Unde, si vel causa sit dubia, num scilicet Princeps justè, contra subditos suos suos procedat, imperióque suo abutatur nec ne, nullatenus licet alteri Principi, idcirco ad arma convolare. Hoc tamen non obstante, si quis *Busiris*, *Phalaris*, *Thrax Diomedes*, tantam injuriam & sævitiam tyrannicè in subditos exerceret; ut hi commiseratione & alieno auxilio sint dignissimi, dicendum videtur; quòd ex charitatis officio, ab hujusmodi calamitatibus liberari possint oppressi præsertim Christiani, Ethnico Principi subditi. Qua ratione, jure scilicet humanæ societatis, *Constantinus* in *Maxentium* & *Lucinium*; & in *Persas* alii Romanorum Imperatores (inter quos ea de causa, immortalem gloriam consecutus est *Carolus Magnus*) arma arripuêre, aut arripere minati sunt; nisi à Christianis persequendis, ipsi desisterent, vel alios sibi subditos, coërcerent, quò minùs Christicolis vim inferrent. Confer *Franc. Victoria. Relectione. De Indis. p.* 2. *n.* 13. Atque hoc etiam verum est; etiamsi sustineretur; ne in summa quidem necessitate, arma rectè contra proprium Principem sumi; [quòd *Grotius* mox affirmare, mox negare videtur] Fateri enim cogitur ipsemet *Grotius, lib.* 2. *De J. B.&P. cap.* 25. §. 8. inde haud inferri posse; quòd pro alienis subditis tyrannicè oppressis, arma sumi nequeant. Sic enim bene arguit: Quoties actioni alicui, impedimentum ponitur *personale*, non resultans *ex re*; toties, quod uni non licet, alteri pro eodem licere potest, si modò tale sit negotium, in quo alter alteri prodesse possit. Sic: pro pupillo, qui *per se*, in judicio stare nequit, litigat Tutor vel alius: pro absente, etiam sine mandato, agit *defensor*. Impedimentum autem, quod subditum, *quà talem*, resistere prohibet; non tam ex *rei*, seu *causæ natura*, quàm ex personæ, videlicet *subditæ*, qualitate proficiscitur; quæ qualitas, alios non afficit extraneos. Unde *Seneca* existimat: bello, à me peti posse illum, qui à mea gente sepositus, suam ultra modum exagitat. Licet autem hæc res sæpe defensionem innocentium & christianam redoleat charitatem; ex antiquis tamen & recentioribus historiis, novimus: quosdam Principes, sub prætextu succurrendi christianis oppressis, aut promovendæ orthodoxæ fidei catholicæ; *quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi*, quæsivisse; & humanitatis leges naturales violâsse; dum alibi gentium, Evangelicæ perfe-
ctionis

ctionis normam introducere simulârunt. Sed Væ ipsis! Deus enim non irridetur, nec est consilium contra Dominum. Navigant & Piratæ: ferro utuntur & latrones.

72. Pessimum illud est genus hominum, qui auro illecti, sine causæ discrimine, aliis promittunt copias auxiliares, quive mercedis intuitu duntaxat militant, & quibus

Ibi fas, ubi plurima merces.

Minùs hujusmodi homines delinquerent, nisi cum vita sua, aliorum innocentium necem venderent: in quo tantò sunt carnifice detestabiliores, quantò pejùs & inexcusabiliùs est, sine causa, vel officii necessitate, quàm ex his, occidisse. Confer *Sylvium, in* 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. *concl.* 8 *pag. mihi* 238.

73. Quamobrèm, Bellum, non ita artibus liberalibus accensendum est, ut semper *bellum*, licitum, decorum & honestum sit reputandum. Regulariter enim res est tam horrenda, ut eam non nisi summa necessitas, aut vera charitas, cohonestare, & à noxa eximere queat: ut meritò concluserit Divus *Augustinus*, *De verbis Domini*, *secundùm Matthæum*. relatus; *caus.* 33. *q.* 1. ibi: *Militare non est delictum*, concurrente scilicet legitimâ causâ, *sed propter prædam militare*, *peccatum est.*

74. Quæritur: Utrum Princeps Catholicus, possit vocare infideles in auxilium; vel illos etiam adjuvare? Reps. 1*mò*. Si bellum contra infideles geratur; non est per se illicitum, vocare aut adhibere infideles in auxilium. Id, quod probatur ex *lib.* 1. *Machab. c.* 8. 12. *&* 14. ubi *Machabæi* dicuntur fœdus iniisse cum *Romanis*, ut eos juvarent, & vicissim ab iis, in necessitate, juvarentur. Similiter *ibid. cap.* 11. narratur: quòd *Jonathas*, *Demetrio* Regi infideli miserit tria millia Israëlitarum, in auxilium. Legio quoque *Thebæorum*, de qua in Martyrologio 22. *Septembris* Imperatori infideli, tam diu militavit, quamdiu, sine contemptu veri Dei, & fidei periculo, potuit; adeóque illa res, *per se*, & ex natura sua, si alioquin justa subsit belli causa, nihil mali importat. Quò facit; quòd Rex justus, non tantùm bonâ, sed & malâ aliorum voluntate uti possit, perinde ac Deus, Diaboli & impiorum hominum paratâ utitur operâ. Eò etiam facit; quòd egestate pressus, absque culpa, sub usuris pecuniam petat ab impio fœneratore. Resp. 2*dò*. Regulariter Principi Christiano adversus Christianos bellum gerenti, non licet vocare in auxilium milites infideles, aut alios extra communionem Catholicæ fidei constitutos, minùs verò, illos juvare, Principi orthodoxo licet. *Ratio: quia regulariter* ex advocatione vel auxilio infidelium, in Republica Christiana, maximum oriri solet scandalum; eò quòd infideles, nec fœdera servent, neque rebus, personis, aut locis sacris deferant; sed cuncta prophanent & violent. Unde 2. *Paralip.* 19. meritò reprehensus fuit *Josaphat*, quòd impio præbuerit auxilium, & his, qui oderant Dominum, junctus fuerit amicitiâ. Ut mirum non sit, quòd in Romanorum Imperatorum juramento, cautum legatur: in *Clement. unic. tit. De jurejurando.* Ne unquam cum Saraceno, Pagano, Schismatico vel alio quolibet communionem Catholicæ fidei non habente, unionem aut confœderationem ineat. Confer *Joannem Major. in* 4. *Dist.* 15. *quæst.* 21. *Sylvestr. Verb. Bellum.* 1. *q.* 8. Meritò igitur *Fulco* Archiepiscopus quondam *Rhemensis* [ùt refert *Fred. lib.* 4. *Historiæ Rhemensis cap.* 6.] *Carolum simplicem* sic admonuit: *quis non expavescat vos, inimicorum Dei, amicitiam velle, ac in cladem & ruinam nominis Christiani, pagana arma & fœdera suscipere detestanda?*

da? *Nihil enim distat, utrum quis se Paganis societ, an abnegato Deo, idola colat.* Quapropter prædicatur pietas *Emanuelis* Ducis *Sabaudiæ*, quòd *Cyprum* ope Turcæ, recuperare cùm posset, noluerit. Rectiùs, & nomine suo digniùs egerint Christiani Principes & populi, si tanquam unius corporis membra, aliorum in Christo confratrum dolores & mala sentientes, junctis viribus se invicem adjuvarent; quàm, ut se invicem discerpentes & attenuantes, bella foveant intestina sæpe tam *formaliter*, quàm *materialiter* iniqua. Non enim pro se quisque tantùm, sed pro mandata sibi potestate, servire debet Christo. quæ ratio fuit, quòd jam pridem inter Principes Christianos, eam ob causam, fœdus fuerit initum, & communi consensu, creatus Imperii *Romano-Germanici* Imperator. Debent ergo (inquit *Grotius De J. B. & P. lib. 2. cap. 15. §. 12.* Christiani omnes, ad causam hanc communem, pro virium modo, viros aut pecuniam conferre: quòd quò minùs faciant; non video, quomodo possint excusari; nisi, si qui bello inevitabili, aut non dissimili malo, domî distinentur.

75. Consequenter hîc *Inquiri* potest; num Christiani remigantes in Turcarum aut aliorum infidelium triremibus, contra Christianos, si metu mortis id agant; à peccato, & respectivè restitutionis onere, liberi sint? Hoc inter Theologos & Canonistas pro certo statuitur; quòd Christiani minis etiam gravissimis moveri non debeant, ut contra Christianos prælientur, tormenta bellica explodant, machinas militares, aut navigia, eo modo dirigant, ut major strages inferri possit Christianis. Sicut enim bellum, ex parte istorum infidelium, supponitur esse injustum; ita etiam iniquum & impium est, eis eatenus cooperari. Et quamvis *Azorius p. 3. lib. 4. cap. 15. Lorcas. in 2dam 2dæ D. Thomæ. q. 40. disp. 5.* & alii quidam, arbitrentur; licere ipsis remigare contra Christianos, si mortis, aut magni cruciatûs, graviore metu adacti, id faciant; eò quòd (ajunt) remigrare non sit *in se* malum; sed, sit subditi officium, si dominus jusserit. Rectiùs tamen & veriùs cum *Navarro. cap. 17. n. 63. Suarezio, Tom. 5. in 3. part. disp. 21. sect. 2. Toleto, Sylvio* & pluribus aliis, sentiunt; qui negant; id, in tali hypothesi, licere Christianis, ùt ùt in servitutem paganorum redactis. *Ratio:* quia nunquam licet auxilium vel operam dare alteri, volenti alium injustè invadere, spoliare, vel trucidare; quod illi facerent, sic contra Christianos remigando. Quanquam ergo in *thesi* & abstractè loquendo; *remigrare* non sit ex se malum; id tamen in *hypothesi*, ubi contra Christianos, pro infidelibus fit, à peccato excusari nequit. Neque metus mortis aut alterius gravis tormenti inferendi, exculpat; oportet enim potiùs pati temporale corporis supplicium, quàm in Christianorum perniciem injustam, concurrendo; æternum animæ incurrere tormentum. Profectò; si, qui à latronibus alios occidere volentibus, sub interminatione mortis, ad cooperandum vocati, sine gravi piaculo, non possint latronibus opem ferre, compercutiendo, aut aliter ad necem viatorum concurrendo; quo pacto, citra noxam, poterunt Christiani remigare contra consortes fidei suæ, Turcas, aliósve paganos adjuvando?

76. Alia est Quæstio; num sic coactè remigantes excusentur ab Excommunicatione, quam Pontifex tulit *indefinitè*, in ferentes auxilium paganis, contra Christianos, bellum moventibus? Sanè, si excusandi sint; non excusantur, nisi ob necessitatem, aut potiùs humanam fragilitatem commiseratione dignam, quam pia Mater Ecclesia cordi ducere consuevit,

vit, ne afflictis addat afflictionem, & eos gravet, quos sublevare mitiùs est.

SECTIO SEXTA.

Quibus ex capitibus, seu causis, bellare liceat?

77. Prima & capitalis hîc sit quæstio; num infideles, *armis*, ad fidem orthodoxam, sint compellendi? Ante resolutionem, Notandum 1mò. Infidelitatem aliam esse *negativam*; aliam *privativam*; aliam denique *contrariam*. *Negativa*, est nuda fidei carentia in eo, cui fides vel non est annuntiata, vel certè non sufficienter. Talem infidelitatem habent illi, qui vel de fide nil audiverunt; vel: si quid audiverunt; ita obiter tamen instructi sunt, ut fidei mysteria necdum eis sint ostensa, ùt *verosimiliter credibilta*. Infidelitas *privativa*, est carentia fidei in eo, qui potuit ac debuit credere, sed non voluit, etiamsi nullum habuerit errorem positivum in intellectu. Veluti: si quis non vult prædicantem audire, vel fidem sufficienter annuntiatam negligit amplecti. Infidelitas *contraria*, est carentia fidei in eo, qui renuit credere, etsi fides sibi sufficienter proposita sit, sed vel expressè & formaliter negat aliquam propositionem pertinentem ad fidem; vel contumaciter tuetur errorem tali propositioni contrarium. Notandum 2dò. Ex D. *Thoma* 2. 2. *q.* 10. *art.* 6. infidelitatem, *in ratione malitiæ personalis*, graviorem esse in Hæreticis, quàm in Judæis; & in Judæis rursus graviorem esse, quàm in Paganis. Quia infidelitatis culpa, potissimùm spectanda est, ex hoc; quod fidei renitatur: plus autem sit reniti fidei semel susceptæ, quàm nunquam susceptæ: & plus iterum sit, reniti fidei susceptæ *in manifestatione veritatis*, quàm in ejus figura. Dictum: *in ratione malitiæ personalis*. Ex parte enim *objecti*, seu articulorum ad fidem veram pertinentium, *Paganismus* est infidelitas gravissima; *media*, *Judaïsmus*; *postrema*; *Hæresis*. Quia in pluribus errant gentiles, quàm Judæi; & Judæi, quàm Hæretici. Vide *D. P. Augustinum*, *lib.* 21. *De civit. Dei. cap.* 25. ubi *Manichæos* in pluribus errâsse refert. His prænotatis

78. Concludendum 1mò. Infideles *propriè dictos*, id est Judæos vel Paganos, qui videlicet per Baptismi januam, non intrârunt in Ecclesiam Christi, non fore compellendos ad fidem suscipiendam, sive sint Christianis Principibus subditi sive non. Ita post *Divum Thomam*. 2. 2. *q.* 10. *art.* 7. *in corpore*, Doctores communiter omnes.

Ratio est: quia, ut coactio legitimè fiat; compellens debet habere jurisdictionem in eos, qui coguntur, alioquin erit potestatis usurpatio: sed Ecclesia non habet jurisdictionem in hujusmodi infideles, juxta illud 1. *Corinth.* 5. *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Principes quoque sæculares nullam habent potestatem in extraneos; &, licet in proprios subditos potestatem habeant; illa tamen se non extendit ad ea, quæ supra naturam sunt, cujusmodi est fides supernaturalis: neque hanc potestatem, ex aliqua Dei lege *positiva*, acceperunt, vel *ab Ecclesia*: quia Christus ipse, potestatem convertendi infideles (etiam eos, qui ex lege ipsis data, specialiter tenebantur recipere *Messiam*) haud aliter dedit Apostolis, quàm per prædicationes, exhortationes, & gehennæ, ac futuri judicii terrores, quos possent incutere. Itaque Christus, novæ legis Præcones, armavit Mansuetudine: *Mitto vos sicut agnos in medio luporum.* Patientiâ: *In patientia vestra debitis animas vestras.* & pacificâ con-

CONVERSATIONE: *Dicite primùm; pax huic domui.* Quòd si benignis exhortationibus obtemperare & converti noluerint; non mandavit ipsis [quemadmodùm Israëlitis *Deuteron.* 20.] ut civitatem oppugnent, interficiántque omne, quod in ea, generis masculini fuerit: sed *exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Matth.* 10. Quò facit; quòd, cùm *Lucæ cap.* 9. Samaritani Christum non recepissent: *Jacobo* & *Joanni* sciscitantibus: *Domine! vis, dicimus: ut ignis descendat de cœlo & consumat eos?* Salvator cum invectiva responderit: *Nescitis cujus spiritus estis.* Unde nuspiam legitur: quòd Sancti Ecclesiæ Patres, Principibus Christianis suaserint, ut hujusmodi infideles ad fidem compellerent, quin potiùs per sacros Ecclesiæ canones, id expresse prohibitum. Nam. *can. Qui sincera. Dist.* 45. ex B. Gregorio dicitur: quòd, *qui* extraneos à Christiana Religione, ad fidem rectam cupiunt perduci, blandimentis, non asperitatibus, debeant studere. & *can. De Judæis.* ibid. ex Concilio *Toletano IV.* statuitur: ne ulli deinceps ad credendum vis inferatur. Similiter *cap. Majores. De Baptismo.* Pontifex ita dogmatizat: *Id est Religioni Christianæ contrarium, ut semper invitus & penitus contradicens, ad recipiendam & servandam Christianitatem aliquis compellatur.* & *Clemens III. cap. Sicut Judæi. tit. De Judæis &c. Statuimus* (inquit) *ut nullus, invitos vel nolentes Judæos, ad Baptismum venire compellat* ut meritò Divus *Gregorius. lib.* 2. *epist.* 52. dixerit: novam & inauditam esse istam prædicationem, *quæ verberibus exigit fidem.* Quibus consonat illud Concilii *Tridentini. sess.* 14. *cap.* 2. *Ecclesia in neminem judicium exercet, qui non priùs in ipsam, per Baptismi januam fuerit ingressus.* Adde Divum *P. Augustinum. serm.* 6. *De Verb. Domini. cap.* 7. & 11. Maneat ergo; quòd infideles bello adoriri, vel eos pœnis castigare non liceat, *ideo præcisè*; quòd ad fidem orthodoxam converti nolint.

79. *Ratio peremptoria* est: quòd veritas Christianæ Religionis, quatenus scilicet naturali & primævæ Religioni non pauca perfectiora superaddit, argumentis, naturali genio hominum inditis, persuaderi non possit; Tum, quia hæc doctrina ab his, qui primò eam audiunt, penitus tanquam exotica, à paganis præsertim, in animum admitti nequit, nisi secretis Divinæ gratiæ auxiliis, mens disponatur, quæ gratiæ auxilia, ùt pluries ex gentium Doctore, probat Africæ lumen *Augustinus*, cunctis quibus dantur, non in operis præcedentis mercedem, sed *gratis* dantur; aliis verò aut non dantur efficaciter, aut minùs largè conceduntur, ob causas nobis incognitas, ac proinde judicio humano haud punibiles. Tum, quia fides Christiana nititur historiâ nativitatis, passionis & resurrectionis Christi; item miraculorum ab ipso & Apostolis editorum, quæ res irrefragabilibus quidem testimoniis probata est, sed *olim*; ita, ut hæc res, ùt ùt verissima, *facti perantiqui* quæstionem involvat, imò præsupponat, *præjudicialiter* à Pagano dispiciendam. Ob has rationes, Christo novæ legis authori non placuit; ut ad legem suam recipiendam, quis hujus vitæ pœnis, aut earum metu, adigeretur: ùt liquet ex variis Sacræ Scripturæ locis: *Rom.* 8. ℣. 15. *Hebræor.* 2. ℣. 15. *Joan.* 6. ℣. 67. *Lucæ* 9. ℣. 54. *Matth.* 13. ℣. 24. Hoc argumentum prosequitur S. *Gregorius Nazianz.* oratione: *Cùm assumptus est à Patre*: & *Beda. lib.* 26. ut de Sisebuto Rege, meritò dixerit Divus *Isidorus*: quòd in initio regni sui, Judæos ad fidem Christianam permovens, æmulationem (id est zelum) Dei habuerit; *sed non*

non secundùm scientiam. Potestate enim compulit, quos provocare oportuit fidei ratione. Ob parilis imprudentis zeli (si non potiundi alieni imperii) æstum, quosdam Hispaniæ Reges, culpant *Osorius* & *Mariana*, quem vide *lib.* 26. *cap.* 14. & *lib.* 27. *cap.* 5. Itaque inquit *S. Athanasius. epist. ad solitarios. Dominus non cogens, sed libertatem suam voluntati permittens, dicebat quidem vulgò omnibus: si quis vult venire post me. Apostolis verò: nunquid & vos abire vultis?* In eundem locum *Joannis*, commentans Divus *Cyprianus. Epist.* 55. ait: *Conversus ad Apostolos suos dixit: nunquid & vos vultis ire? servans scilicet legem, quâ homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimet ipse vel mortem appetit vel salutem.*

80. Dices. *Lucæ* 14. In parabola de nuptiis, quidam coactè intrare jubentur. Ergo. Resp. ibi non importari coactionem violentam, sed persuasionem & instantiam vocatoris, quo sensu, τὸ *cogere* accipitur *Lucæ* 14. ℣. 29. item *Matth.* 14. ℣. 22. *Marci* 6. ℣. 45. & *ad Galat.* 11. ℣. 14.

81. Sicut autem ad fidem Christianam, nemo vi cogendus; ita Pagani & infideles multò iniquiùs agunt; si fidei intuitu, Christianos torqueant, trucident, vel è suis sedibus expellant. Nihil enim Religio Christiana in sua puritate Catholica considerata, secum advehit, quod humanæ societati noceat; imò, nihil, quod non prosit. Unde *Justinus*, in *Apologetico. cap.* 2. ait: *Nos vobis ad Imperii tranquillitatem maximè adjutores & collaboratores sumus, ut, qui doceamus, fieri non posse, ut Deo quis lateat, sive sit maleficus, raptor, insidiator; sive æqui amans. Tum ad æternam aut salutem, aut pœnam, quemque mitti, pro factorum suorum dignitate.*

82. Oggerere posset *Paganus*: Omnis novitas odiosa & plerumque periculosa. Ergo non sunt toleranda Christianorum dogmata, nec eorundem clandestina conventicula. Resp. Haud odiosa aut periculosa esse dogmata, licet nova, dummodò ad morum integritatem, & exhibendam superioribus obedientiam colliment. Neque suspecti esse debent cœtus proborum hominum, qui non laterent, si in publicum prodire auderent. Unde, qui in tales sæviunt, eam ob causam, à Principibus Christianis bello impeti possunt; sicut eam ob causam, Constantinus *Licinio*, & Imperatores alii, *Persis* bellum intulerunt ad innocentûm defensionem. Et Divus *P. Augustinus. epist.* 50. refert: quòd *Maximianus Episcopus Vagiensis* auxilium petierit ab Imperatore Christiano, contra hostes Ecclesiæ; non tam suî ulciscendi causâ; quàm tuendæ Ecclesiæ sibi concreditæ. Textus S. Patris relatus est in *causam* 23. *q.* 3.

83. Itaque, constans & vera est Theologorum sententia, quæ habet; quòd infideles etiam extranei & non subditi, à Principibus Christianis compelli possint, ut fidei annuntiationem & professionem non impediant, néve in Christianos, fidei causâ, desæviant. ita D. *Thomas* 2. 2. *q.* 10. *in corpore*, & ante ipsum, Magnus *P. Augustinus cit. Epist.* 50.

Ratio est: quia, cùm Ecclesia, à Christo, jus acceperit prædicandi Evangelium per totum mundum, *Matth.* 28. & *Marci* 16. consequens est; si Evangelii Præco impediatur à Barbaris fungi munere missionis suæ; aut, si ad fidem conversi idcirco torqueantur; quòd Princeps Christianus, gladium materialem, pro Ecclesiæ defensione habens, possit rebelles armis coërcere. Neque hoc est, quem ad fidem compellere; sed defendere innocentes, quod omnino licet, ùt liquet ex dictis.

84. Loquendo de Hæreticis & Apostatis,

statis, qui videlicet à vera fide defecerunt; indubium est; quin Ecclesia illos omnes compellere possit, ut eam recipiant, quam deseruêre fidem. Ita rursum Doctor *Angelicus loc. cit.* & post ipsum, agmen Theologorum. Senserat quidem Divus P. *Augustinus* aliquando contrarium, ast *Epist.* 48. se corrigit, ita scribens: *Nam mea primitus sententia erat neminem ad unitatem fidei esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primò opponebatur civitas mea, quæ cùm tota esset in parte* Donati, *ad unitatem Catholicam timore legum Imperialium, conversa est &c.* & paulò post: *His omnibus, harum legum terror, quibus promulgandis Reges serviunt Domino in timore, ita profuit, ut nec alii dicant: jam hoc volebamus, sed Deo gratias, qui nobis occasionem præbuit. &c.*

Ratio est: quia Ecclesia, cùm sit Respublica bene ordinata; potestatem habet continendi & coërcendi eos, qui fidei susceptione & professione, se ipsos obligârunt ad eam retinendam, & ad permanendum in Ecclesia, quam per Baptismum ingressi sunt. Et, cùm Principes sint custodes legum divinarum & humanarum; ideo Princeps Christianus, à Papa vel Episcopo requisitus, potest, & tenetur suos subditos in Hæresin vel Apostasiam prolapsos, ad ovile Christi & fidei unitatem, per media compulsiva, revocare.

85. Licet autem dixerimus, infideles peregrinos & non subditos, cogi posse, ut non ponant obstaculum prædicationi Evangelii; néve Christianos, fidei causâ, persequantur; hujusmodi tamen infideles compelli non possunt, ad audiendam Evangelii prædicationem. Tum quia nemo cogi potest ad fidem, proindè nec ad audiendam fidei prædicationem, quæ est medium ordinarium ad fidei susceptionem Fides enim est ex auditu. *Ad Rom.* 10. Tum, quia ex violento compulsu, nata sunt sequi ingentia sacrilegia & innumera peccata. Tum denique, quia Christus non voluit Judæis & Gentilibus annuntiari Evangelium, nisi mansuetudine, patientiâ & modestia.

86. Cæterum, tametsi neque infideles, alicui Principi Christiani subditi, cogi possint, ad constanter & frequenter audiendam Evangelii prædicationem; compelli tamen possunt sub pœna exilii, aliáve mulctâ, ut interdum saltem unus, ex quavis familia Judæorum (sicut Romæ practicari vidi) intersit concioni Christianorum. Per hoc enim non censentur ad fidem compelli, cùm relinquatur illis liberum, *credere* vel *non credere*.

87. Lubet hîc interjicere quæstionem Theologicam; num pueri Judæorum, aliorúmve infidelium, invitis parentibus, baptizari possint? Judæorum *&c.* Inquam: quia, cùm parentes Christiani & fideles, sint subditi Ecclesiæ; non est dubium, quin cogi possint, ut infantes suos offerant baptismatis lavacro, propter singularem necessitatem hujus Sacramenti. Proinde etiam certum est, quòd hujusmodi parentibus irrationabiliter invitis, baptizari possint infantes eorum. Quæstio ergo procedit de solis infidelibus propriè dictis, nempe *Judæis*, *Mahumetanis*, *Paganis:* quorum aliqui subjiciuntur Principibus Christianis, idque vel *politicè tantùm*, ùt cives, vel *serviliter*, ùt mancipia: quidam verò neutro modo subditi sunt. Rursus tamen, quæstio non est; utrum baptismus, invitis parentibus infidelibus, eorum infantibus collatus, sit *validus*; quia, ùt supponitur, nihil ex *essentialibus* (quæ sunt debita materia & forma,

ma, subjecti capacitas & intentio ministri) deest; adeòque baptismus etiam *validus* esse debet, non obstante parentum dissensu; horum enim intentio, non ad essentiam, sed ad solemnitatem Sacramenti pertinet. *Non enim Scriptum est* (inquit Magnus *P. Augustinus Epist.* 23 *ad Bonifacium*) *nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate; sed: nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto.* Solùm igitur hîc indagamus, an hujusmodi infantes, sic *licitè* possint baptizari?

88. Communior & verisimilior *D. Thomæ* (2. 2. *q.* 10. *art.* 12. & *Quodlib.* 2. *art.* 7.) ac ejus sequacium, contra *Scotum* & ejus discipulos, sententia est; quòd pueri parentum infidelium, Principibus Christianis, aut nullo modo, aut non nisi *Politicè* subditorum, iis invitis, *licitè* nequeant baptizari.

Ratio est; quia, si invitis hujusmodi parentibus, pueros baptizare liceret; vel baptizati pueri apud ipsos parentes infideles relinquerentur, vel ab ipsis separarentur? Neutrum autem rectè dicitur: non primum; propter præsentissimum periculum perversionis & Apostasiæ, in gravem contumeliam Salvatoris & fidei orthodoxæ. Non secundum; quia eripere pueros nondum discretionis ætatem nactos è potestate parentum, repugnat æquitati naturali: jure enim naturali; proles, quamdiu carent usu rationis, sunt sub cura & potestate parentum, multò magìs, quàm eorum boves & oves, aut alia bona, quæ ipsis reluctantibus auferre non licet. Vide omnino *Divum Thomam, loc. cit.* Angelicè ratiocinantem.

89. Ad occurrendum objectionibus, *observandum*; quòd Christus homo-Deus, duplici modo, potuerit ferre legem baptizandi omnes: *primo*; ut executioni mandari posset, non obstante jure, quod Author Naturæ parentibus concessit, non utique in malum, sed bonum finem; *secundò*; ut impleretur, salvo isthoc jure. Profectò; si primo modo legem baptismi condidisset, sicut absolutè condere potuisset; nullum esset dubium, quin infidelium infantes, invitis parentibus baptizari possent. Sed, cùm nec ex doctrina vel exemplo Christi & Apostolorum ejus, nec ex primordiali ac constanter observata praxi Ecclesiæ, constet, quòd tali modo, Baptismi lex lata fuerit; non est, cur ultrò, & sine lege loquentes, parentum jus violari posse, asseramus. Quò facit *1mò.* Quòd lex fidei & gratiæ, naturam non destruat, sed perficiat; quódque Deus disponat omnia suaviter. *2dò.* Quòd Christus dicendo Apostolis: *baptizate omnes &c.* mandaverit quidem baptizari omnes, sed salvo jure naturali, alioquin enim etiam adulti possent, ùt ùt reluctantes cogi, ad suscipiendum Baptismum, posséque occidi mater, ut baptizaretur infans, alioquin vel in utero matris, vel, si nasceretur; sine baptismo moriturus. Adde: quòd prisci Ecclesiæ Patres Sancti: *Sylvester* Papa, & *Ambrosius* Episcopus Mediolanensis, quorum primus *Constantino*, alter *Theodosio* Imperatoribus potentissimis, charissimus fuit; non prætermisissent, pro suo religionis amplianDæ zelo, illis persuadere Principibus latè imperantibus, ut invitis infidelibus parentibus, baptizari facerent proles eorum; si hoc, juri & rationi naturali consonum esse, arbitrati fuissent. Quidnî hisce temporibus, juri gentium valde adversum, & Christiano nomini odiosum videatur; si à prisca & sana Ecclesiæ praxi recederetur? Scimus enim ex historiis, quàm parum illi, secundùm Deum, profecerint; qui sub prætextu implantandæ armis fidei, paganorum ditiones & opes quæsiverunt. Pro confirmatione assertionis nostræ, meminisse juvabit *1mò.* Quòd

nec

nec olim Judæis licuerit circumcidere alienigenas aut illorum filios (non nisi politicè ipsis subditos, nisi saltem ipsi filii adulti consensissent) sed tantum *vernaculos*, aut *emptitios*. *Genes.* 17. *Exodi.* 12. Quâ de re *Josephus Flavius. lib.* 13. *Antiquit. cap.* 8. & 11. Et quidnî idem nunc dicamus de Baptismi Sacramento? 2*dò*. Quòd *cap. Ex litteris. De convers. infidel.* decernatur: in baptismum filii consentiente patre ad fidem converso, licet refragetur mater; baptizandum esse filium. Ex quo è contrario arguitur; non esse filium baptizandum, si uterque parentum obstiterit. Porrò; parentum nomine, hîc, sicut alibi passim in jure, veniunt avi & proavi, deficientibus, seu ante ipsos, mortuis filiis, aut respectivè nepotibus; ut & eorum consensus requiratur. Sed diversa ratio est de tutoribus, quibus in pupillos tanta non est potestas, præsertim in terris Principum Catholicorum, quorum authoritate constituuntur.

90. Hæc, licet ita sint; Theologi tamen passim excipiunt tres casus; quorum *primus* est; si puer ita sit morti proximus, ut jam jam moriturus videatur. Tali enim eventu, inconsultis parentibus, secretò poterit baptizari; eò quòd, *moraliter loquendo*, neque puer exponatur periculo Apostasiæ; neque baptizans; sed mors ipsa, illum parentibus subtrahat: injuria autem, quæ in tali casu, videri posset irrogari parentibus, non sit tam gravis, nec tam scrupulosè capienda, ut ideo infans, hoc unico salutis æternæ remedio privari debeat. *Secundus* casus est; si puer, sive justè sive injustè, ita à parentum potestate & custodia sit abstractus; ut peregrè abductus, non videatur unquam ad parentes reversurus. Tunc enim parentes perinde habentur, quasi non existerent amplius, scilicet quò ad usum juris paterni. Atqui, tali occasione, solent baptizari, qui è longinquis regionibus, sive per mercatores, sive belli aleâ, ad Principum Christianorum ditiones deferuntur. Si tamen *Plagiò* sublatus puer, non tam procul distaret à parentibus, quin facilè reverti aut remitti posset; non foret baptizandus invitis aut inconsultis parentibus, ob rationes contrarias. *Tertius* casus est; si alteruter parentum ad fidem conversorum, in Baptismum prolis consentiat, altero repugnante; prout decisum, *cap. Ex litteris. De conversione infidel.* Ex ratione; quòd tunc consentiat is, qui sanius jus naturale habet in puerum, ut repugnante altero, prævalere debeat illius consensus, qui cedit in favorem Religionis, & in utilitatem pueri. Idipsum *Sylvius* à *Gregorio XIII.* decisum refert, de *Avo*, qui mortuo filio, consentit in Baptismum nepotis, reclamante licet ejus matre.

91. Sed, quid de prolibus parentum infidelium, jure belli & *talionis*, redactorum in servitutem Christianorum? Resp. Tales proles invitis parentibus licitè posse baptizari. Ita sanior & major Theologorum classicorum pars, quibus tacitè præluxit Doctor *Angelicus. loc. cit.* ubi ideo pueros Judæorum, baptizari non debere invitis parentibus, ait: *quia Judæi non subduntur Christianis, servitute* SERVILI, quæ ratio, si quid probet; illud ècontra probat; quòd infideles, Judæi, sive gentiles; si in propriè dictam servitutem mancipati sint, & ita in *Heri* sui potestatem transierint, ut nihil proprii habere censeantur; tunc his invitis, infantes eorum baptizari possint, jubente eo, qui Herus parentum & liberorum evasit: & ita capiendum est illud, quod alibi ex *Scoto* diximus. *Ratio* jam insinuata est; quia Herus, jure gentium, dominium *reale* habet in servos & proles eorum, non minùs, quàm in proprios boves,

ves, aliàve jumenta sua; ita, ut possit illos aliis donare, vendere, & ab invicem separare, sine alterius injuria. Nihil autem obstare potest quò minùs (infantes tali modi separati, parentibus invitis, baptizari possint; eò quòd respectu infantûm à parentibus abstractorum, cesset periculum Apostasiæ, propter quod periculum, alioquin eos baptizari non debere, docent cum Divo *Thoma* Theologi potiores.

92. DICES. Jus parentum in liberos, est *naturale*, quod jus utpote fortius, jure gentium infringi & tolli nequit. RESP. *Dist. Assumptum.* Jus parentum in liberos, est *naturale*; id est: juris naturalis *dispositivi*, *præceptivi* & *absoluti*. NEG. *Concessivi* & *hypothetici* CONC.

Jus itaque paternum, non dicitur *naturale*, hoc sensu; quòd semper vigeat, & sit immutabile; sed, quia originem trahit à natura; &, quia *de se* rectæ rationi convenit. Sicut autem homines, qui jure naturali *permissivo*, nascuntur *liberi*; *Gentium jure*, possunt libertate privari; ita & parentes, jure suo in infantes, privari possunt: jure inquam *suo*, non quidem *radicali* & *remoto*, quod fundatur in generatione & sanguinis communicatione; sed *proximo*, & ad usum expedito.

93. Monendi autem sunt Domini mancipatorum parentum, quorum liberos, pio Religionis affectu, baptizari curârunt, ut baptizatos & in Christo renatos, orthodoxè educari faciant, eò quòd in parentum successerint pium officium.

94. Argumenta, quæ contra, sat, ùt opinor, solidè probatam assertionem nostram *Num.* 88. positam, celebris, & alioquin valde laudandus *P. Franciscus Henno*, in obsequium *Scotisticæ* scholæ suæ, oggerit, & ab aliis, parili stylo, obmoveri solent; non est, cur hic loci refutemus; aut enim ex hactenus dictis, elidi facilè possunt; aut in recentioribus authoribus, è quorum numero est *P. Carolus Renatus Billuart*, *Ordinis FF. Prædicatorum. Tom.* 3. *Summæ suæ S. Thomæ*, *hodiernis*, *ùt ait*, *Academiarum moribus accomodatæ. Tract. De Baptismo. Dissert.* 3. *art.* 4. *pag.* 546. *& seq.*) elisa reperiuntur. Hoc unicum me pungit, quod adversæ opinionis authores, *Carolo*, *æquè sapienti* ac *Magno* Imperatori, Augustæ Civitatis nostræ *Aquensis* Conditori, Gallis non minùs, quàm Germanis, venerabili, hanc lappam affigant: quasi *Saxones* coëgerit ad Baptismum, & eatenus dilaudatus fuerit ab Adriano 1. prout sinistrè refert Author Annalium *Francorum* apud *Duchesne*. Non tam enim injuriosum, id est Imperatori, carnis quidem infirmitatibus lapso, sed cum Davide ad pœnitentiam converso, ac de tota Ecclesia optimè merito Principi, quàm reapse falsum. Constat enim tam ex *Fastis*, civitatis nostræ *Aquensis*, quàm ex *speculo saxonico*, vulgò *Sachsen-Spiegel*, quòd Imperator iste magnificus, nulli secundus; non *vi*, Saxones ad Baptismum coëgerit; sed illos instrui, & zelosissimis exhortationibus, ad Baptismi lavacrum spontè suscipiendum, perduci curaverit. In cujus rei testimonium irrefragabile, audiri meretur *Alcuinus*, *Epist.* 1. inquiens: *Carolum Magnum suâ sollicitudine*, *devotione ac benignitate*, *per veræ salutis consilium* & *per optimam voluntatem*, *Saxones convertisse*; & non nisi, post iteratas ipsorum rebelliones, & à fide defectiones; fidei causâ, in ipsos arma convertisse, ut promissis, & fidei spontè susceptæ, stare cogerentur. In quo nihil, nisi laudabile, & posteris Imperatoribus, Ecclesiæ & fidei defensoribus, imitabile.

95. Celebris est QUÆSTIO: num propter delicta, quæ directè & immediatè in Deum, seu Divinitatem ipsam, commit-

tuntur; bellum suscipi possit contra idololatras, seu paganos extraneos? *Didacus Covarruvias*, operosè hac de re tractat in expositione Regulæ *peccatum &c. part.* 2. §. 10. sed, sicut ipse indistinctè, aliorum secutus est Doctorum sententiam, quæ habet: *punitivam* potestatem, nemini, sine *propriè dictâ jurisdictione*, competere; & idcircò resolvit: Principem Christianum, non posse infideles sibi alioquin non subjectos, punire propter Idolatriam; ita plerique Theologi *Covarruviam* secuti, sustinent: Principem Christianum, defectu jurisdictionis, non posse indicere bellum Idololatris sibi non subjectis, nisi [ùt limitat *F. Sylvius in* 2, 2. *D. Thomæ. q.* 10. *art.* 8. *concl.* 2. *pag. mihi* 62.] fortè infideles, in suis sacrificiis, occiderent innocentes: quo casu [inquit] posset bellum movere, etiamsi innocentes consentirent in suî occisionem. Quia jure naturæ, potest defendi innocens, & eripi à morte, quam pati vult, ut sibi injustè inferatur.

96. Verùm, sicut Episcopi Papâ inferiores, subsidiariam, in sano sensu, universalis Ecclesiæ curam nacti sunt. *Omnes enim* [inquit Divus *Cyprianus Epist.* 30.] *nos decet pro corpore totius Ecclesiæ, cujus per varias quásque provincias, membra digesta sunt, excubare*] ita Regibus, præter peculiarem propriorum subditorum curam, generalis etiam totius humanæ societatis sollicitudo incumbit. Si Dicas: Deum sufficere vindicandis injuriis in se commissis, aut committendis per Idololatras, juxta illud: *Deorum injurias à Diis vindicandas*, & *perjurium*, *satìs Deum habere ultorem*. Ast; si huic insistendum foret principio; quidnî idem de aliis delictis, contra legem Dei patratis, dicamus? Nam & illis quoque puniendis, omniscius & omnipotens Deus sufficit; quanquam illa ab hominibus, nemine prudentûm dissentiente, ultimo etiam supplicio puniantur. Si Replices, ajásque: alia delicta, ideo ab hominibus puniri; quia vel in homines committuntur, vel homines inde periclitantur. *Contra* est. Quia non solùm ab hominibus puniuntur delicta, quêis homines alii directè læduntur; sed, & quæ quis in seipsum, & contra naturæ præscriptum patrat, ùt patet de iis, qui sibi ipsis mortem consciscunt, aut cum bestiis concumbunt; cum Dæmone detestandam societatem habent &c. Profectò, vera Religio, in societate humana, plurimum ponderis habet, id quod *Plato*, etsi gentilis, agnovit dicens: *Religionem esse propugnaculum potestatis & legum, imò & vinculum honestæ disciplinæ*. Cui consonat illud *Philonis*: *Efficacissimum amatorium & vinculum indissolubile benevolæ amicitiæ, est unius Dei cultus*. item illud ejusdem Philonis: *Summa & maxima concordiæ causa, de uno Deo sensus, ex quo velut fonte, procedit insolubilis & animos inter se vinciens amicitia*. Ejusdem mentis fuit *Josephus*. libro: *contra Appionem*. inquiens: *Eandem de Deo habere sententiam, nihilque vitâ & institutis inter se discrepare, pulcherrimam, in animis hominum, concordiam excitat*. Unde *Aristoteles. lib.* 7. *politic.* dixit: inter curas publicas, primam debere esse, *de rebus divinis*: & Romani juris conditores, juris prudentiam definivêre; *Divinarum humanarúmque rerum notitiam*.

97. Hæc verò omnia, non tantùm in una aliqua civitate, perpendenda sunt; sed & in communi generis humani societate, vim habere debent. Siquidem ùt scripsit *Cicero, lib.* 1. *de natura Deorum. Pietate sublatâ, fides etiam & societas humani generis, & una excellentissima virtus* Justitia *tollitur*. Unde *Epicurus* cùm Divinam providentiam sustulisset; *justitiæ* quo-

quoque nihil reliquit, nisi nomen inane, utpote, quam non nisi, ex sola conventione, nasci somniabat; neque durare ulteriùs; quàm communis duraret utilitas; abstinendum verò ab his, quæ alteri nocitura essent, solo pœnæ metu. Hanc *Epicuri* insaniam, post Aristotelem, *lib. 5. De Republ. cap.* 11. & *Senecam Epist.* 97. reprehendit *Lactantius lib. 5. Instit.* inquiens: *Si ergo pietas est cognoscere Deum, cujus cognitionis hæc summa est, ut eum colas; ignorat utique justitiam, qui religionem Dei non tenet. Quomodò enim potest eam nôsse, qui, unde oriatur, ignorat?*

Itaque Religio vim & usum majorem habere debet in communi totius generis humani, quàm in parva aliqua civili societate; quia in *hac*, in Numinis reverentiam, conditæ reperiuntur & hominum leges, quarum facilis est executio; in *illa* verò diffusissima communitate, aut nullæ exstant leges, communi consensu populorum, receptæ; aut, si quæ exstant, non nisi Divini Numinis metu, ad suî observantiam, mortales constringunt. Quòd, si igitur daremus; Principem Christianum non posse vindicare injuriam Deo, ab idololatris illatam; nemo superesset, qui tantam, in mundo, puniret impietatem. Sed aliud discimus, ex sanctionibus etiam civilibus Imperatorum; ùt jam nihil dicam, de Summorum Pontificum constitutionibus. Siquidem *l.* 4. *Cod. de Hæreticis*. Fassi sunt Imperatores; Religionem contaminatam, *ad omnium pertinere injuriam*. Quasi dicerent: cunctis vindicandam esse injuriam Deo *immediatè* illatam.

98. Ut non solùm fundatè, sed & distinctè & clarè loquamur: OBSERVANDUM hic est; quædam *longinquè*, *arguitivè* seu *illativè* spectare ad veram Religionem, *naturalem* scilicet (de qua hîc potissimùm loquimur) quædam verò ita perspicuè, directè & per se, in animos mortalium incurrere, tanquam pertinentia ad Religionem; ut ea nemo etiam per breve tempus, *invincibiliter* ignorare possit. Talia sunt: 1. Existere Deum. 2. Deum nihil esse eorum, quæ videntur oculis corporeis, sed ens aliquod sublimius. 3. A Deo curari res humanas, & æquissimis arbitriis dijudicari. 4. Eundem Deum, opificem esse rerum omnium *extra se*. Ex quibus notionibus *contemplativis*, sequuntur *activæ*; ùt: Deum honorandum, amandum; colendum; eíque obtemperandum. Unde *Aristoteles Topic.* 1. 9. dixit: eum, qui Deum honorandum, aut parentes amandos neget; *non argumentis convincendum*, *sed pœnâ edomandum esse*. Itaque hæ de Deo notiones, ita perspicuæ sunt; ut ab omni ævo, per omnes terras, omnes nationes (paucissimis exceptis) consenserint. Siquidem, ùt *Tertullianus* adversus *Marcionem*, ait: *Animæ à primordio*, CONSCIENTIA DEI, *dos est*. Et *ibid. Nos defendimus*: (inquit) *Deum primùm naturâ cognoscendum, deinde doctrinâ recognoscendum. Naturâ, ex operibus; doctrinâ, ex prædicationibus*. Quod ipsum præclarè expressit *Philo. De unius Imperio*. Ubi ait: *Nihil artem præferens casu oritur: maximam autem artem mundus præfert, testatúrque, à summè perito summéque perfecto, se fabricatum. Notitia, quâ Deum esse, credimus, hinc ortum habet*. Has itaque notiones, qui negat, nullatenus culpâ vacat. *Hæc enim est summa delicti, nolle agnoscere, quem negare non possis*. Inquit *Divus Cyprianus*, *De Idolorum vanitate*.

99. Equidem; quia de pœnis humanis, seu per homines infligendis, hic agimus; ideo discrimen rursus faciendum, inter notiones ipsas, & inter modum ab iis discedendi. Profectò, hæc naturæ dictata: *esse aliquod Numen*, [præscindendo ab unitate vel pluralitate] & *curari ab eo res humanas*; adeò sunt universalia; ùt ad religio-

 nem,

nem, sive veram sive falsam, constituendam, sint necessaria. Nam religio *accessus ad Deum* vocatur, & accedentem ad Deum, credere in primis oportet, *esse Deum*; & ab eo, præmia dari colentibus se. Id quod Gentilis agnovit *Cicero lib.* 1. *de Natur. Deor.* inquiens: *sunt Philosophi & fuerunt, qui nullam, habere censerent humanarum rerum, procurationem, Deos; quorum si vera sententia est; quæ potest esse pietas, quæ Sanctitas, quæ Religio? Ratio* est: quia negare Providentiam Dei; seu: à Deo curari res humanas; & abnegare ipsius Dei existentiam, in effectu morali, pariasunt. Ipsa igitur pessimorum ingeniorum impietas, ita has generales de Deo notiones, exanimis mortalium eradere non potuit, quin apud omnes, sub utroque hemisphærio gentes, per tot jam sæcula conservatæ sint. Unde *Seneca Epist.* 117. ait: *Deos esse; inter alia sic colligimus, quòd omnibus de Diis opinio insita est, nec ulla gens usquam est adeò contra leges morésque projecta, ut non aliquos Deos credat.* Ex quo profectum, quòd *Pomponius* in *l. veluti. ff. de just. & jure.* Religionem erga Deum, *juri* adscribat *gentium.* Has igitur notitias omnino primævas & universales, ad falsæ etiam de cætero Religionis nomen, *essentialiter* spectantes; qui *primi* tollere incipiunt, tantæque insanissimæ impietatis Authores sunt, sicut in bene constitutis civitatibus, coërceri solent (exemplo *Epicuræorum*, olim ab ipsis gentilibus, passim urbibus ejectorum) ita nomine totius humanæ societatis, quam sine ratione violant; exterminari, quin & extremis suppliciis plecti merentur.

100. Cæteræ notiones, etsi modicissimè illustratis, notissimæ, non ita visæ fuerunt evidentes cunctis Paganis, qui nec legem Moysis, nec Evangelium novæ legis audiverunt, quin eorum aliqui putaverint, Deos esse *plures* uno: alii verò arbitrati fuerint, Deum esse *corporeum*, & oculis corporeis visibilem; sicut quidam populi, *solem*, *aërem*, *sydera* &c. tanquam Numen adorâsse, & etiamnum adorare leguntur. Harum inquam notionum cognitio, temporum lapsu, apud quasdam barbaras Nationes, obliterata, & quadantenus extincta conspicitur; eò quòd creditum fuerit, saltem ex generalissimis principiis supra positis, consistere posse Religionis simulachrum.

101. Quid autem? An idololatræ & falsorum Deorum cultores, bello impeti, & converti nolentes, morte puniri possunt? Resp. Tametsi Divina lex, populo quidem *Hebræo*, per *Moysen* promulgata, & ad omnes mortales peræquè prorogata (quantum attinet Decalogi præcepta, de quibus lib. 1.) summopere prohibeat, & detestetur falsorum Deorum cultum; non omnes tamen indiscriminatim, istius criminis reos, morte punit; sed eos demum, quorum facta, circumstantiam habent singularem, seu adjunctam crimini atrocitatem. Sic punitur Princeps, qui alios seduxerit. *Deut.* 13. ℣. 16. Sic civitas, quæ incepit colere Deos antea ignotos. *Deut.* 12. ℣. 23. sic & is, qui astra colit, ut legem totam, ac proinde veri Dei cultum, deserat. *Deut.* 17. ℣. 2. Sic porrò & is *Levitici* 20. ℣. 2. corripiendus legitur, qui liberos suos *Molocho*, id est: *Saturno* obtulerit. *Cananæos* verò, & vicinos illis populos, pridem aliorum exemplo, ad pravas superstitiones, delapsos, non illico Deus summè patiens & misericors puniendos judicavit; sed tunc demum, si idololatriæ culpam aliis sceleribus cumulâssent. *Genes.* 15. ℣. 16. Taceo; quod longanimis Deus, & in aliis populis, ignorantiæ etiam crassiori & consequenter culpabili, circa falsorum Numinum cultum, subitò non inflixerit flagella iracundiæ suæ. *Act.* 17. ℣. 38. Quia Religio

ligio cuique *sua*, licet *erronea*, videtur optima, utpote, quæ affectu magis, quàm ratione dijudicari solet; ùt patet in nostri temporis *Sectariis* & *Sycophantis*, qui se erigunt in sacræ Scripturæ interpretes, & id rectum, faciendúmque jactitant, quod suo arriserit palato. Tametsi autem nequaquam excusabiles sint Ethnici; qui, aut astrorum, aut aliarum rerum naturalium virtutes, aut spiritus, sivè in imaginibus; sive alio modo colunt; equidem, si summi Dei cultum non deserant; errantibus magìs, quàm impiis accensendi sunt; præsertim, si ipsi hujusmodi idolatrici cultûs, Authores non fuerint. Aliud est de iis, qui aut cacodæmones, quos tales esse nôrunt, aut flagitiorum nomina aut homines profligatæ & abominabilis vitæ, divinis honoribus colere instituunt. Unde illi, qui hominum innocentium sanguine, & humanis victimis, Deos colebant, à Romanis, sub pœnæ comminatione, jussi sunt ab hujusmodi immanitate desistere, ùt refert *Plutarchus*, *Quæst. Roman.* 12.

102. Hæc ita, ùt opinor, rectè procedunt in Principe Christiano, aut alio quocunque, quò ad infideles ipsi nullatenus subditos; aliter enim discurrendum est de infidelibus, Principi sive Christiano, sive etiam Pagano, subditis. Quia tales à suo supremo Domino temporali, compelli possunt, ut servent legem naturæ, præsertim circa cultum unius Dei, ac proinde, ut abstineant ab idololatria, blasphemia & similibus peccatis, *immediatè* in majestatem Divinam patrandis. *Ratio* est: Quia *lex naturæ omnibus promulgatur ex hoc ipso, quòd Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam.* Ut ait Doctor *Angelicus* 1. 2. *q.* 90. *art.* 4. *ad* 1. adeóq; potest Princeps subditos suos compellere ad illam servandam; eò quòd sit custos legis naturalis. Et fanè si id non posset, ad nullius legis observantiam, illos adigere valeret; quin, ùt ostendimus *lib.* 1. *In præfatione* nullæ leges humanæ obligant, nisi quatenus sunt conformes juri naturali *præceptivo* vel saltem *permissivo*. Quò facit: quòd rectus ordo *politicus* fundetur in observatione legis naturalis. Cùm ergo Princeps curam habeat ordinis *politici*; utique ad ipsum spectat, subditos constringere ad observantiam legis naturalis. Quamobrèm encomiis celebrantur *Constantinus* & *Carolus Magnus*, quòd idolorum delubra destruxerint; & rebelles domuerint. Si autem

103. Petas 1mò. Utrum infidelium ritus sint tolerandi? Ante resolutionem suppono: quæstionem esse de solis illis infidelibus, in quos Christiani Principes aliquam habent potestatem. Nam cæteros, neque Ecclesia, neque Principes Orthodoxi, cogere possunt ad servandam etiam naturæ legem, neque punire in iis valent peccata, contra isthanc legem commissa, nisi ea, vel in Christianæ Reipublicæ, vel in proximi detrimentum vergant, ùt supra dictum. Hoc præsuppositô Resp. 1mò. Judæorum ritus rectè ab Ecclesia tolerari, quanquam ipsi Judæi, in illis exercendis peccent. Ut ùt enim non sint *facienda* mala, ut eveniant bona; *permittere* tamen interdum licet quædam mala, vel propter aliquod bonum, quod ex eis provenit: vel propter majus malum, quod exinde vitatur. Ex hoc autem, quòd judæi tolerantur in suis ritibus, hoc bonum resultat; quod testimonium fidei nostræ, habeamus ab ipsis hostibus, quorum ritus continent figuram ejus, quod nos in veritate credimus. Quocirca Divus *Gregorius*, *lib.* 11. *Epist.* 15. *& lib.* 12. *Epist.* 18. vult: judæos permitti, suas sine impedimento, solemnitates & cæremonias observare. Idcirco enim Judæi non fuerunt à Deo extincti, sed per universum orbem, sine

fine sceptro, fine imperio, dispersi sunt; ut ex eorum quoque codicibus, Christianæ non desit argumentum veritati, prout argumentatur Magnus *P. Augustinus*, *Epist.* 59. & *lib.* 18. *de Civit. Dei. cap.* 46. Tametsi autem Judæorum ritus & eorum libri, qui simpliciter continent expositionem veteris testamenti, ob dictum finem, tolerentur; intolerabiles tamen sunt eorum libri, qui continent blasphemias & execrationes contra Christum & Ecclesiæ fidem: quinimò, si periculum sit, ne judæi per suos ritus, Christianis sint scandalo; Ecclesia potest & debet huic periculo obviare; unde *Romæ*, *Pragæ*, *Francofurti*, & alibi, in bene ordinatis Civitatibus, Judæi à Christianis separatim habitant: &, ne crescat istius gentis ambitio & perfidia; *cap. Judæi*, & *cap. consuluit tit. de Judæis &c.* sancitum; ne Synagogas novas erigant, aut veteres exaltent, vel amplificent. *Adde:* quòd, cùm Judæi, hortante *Juliano* Apostatâ (prout refertur *lib.* 6. *Historiæ tripartitæ cap.* 43.) templum Jerosolymitanum restaurare vellent; divinitus fuerint impediti. Resp. 2dò Aliorum infidelium ritus, non æquè facilè tolerandos esse; quia ritus ipsorum, nihil utilitatis afferre possunt; proinde, cùm aliunde sint contra legem naturæ; boni Principis officio incumbit, hujusmodi ritus extirpare, si id facere possit, absque hoc, quod majus malum incurratur; aut majus bonum impediatur. Quamobrèm in Concilio *Viennensi*, Catholicis Principibus rigidè prohibetur; ne permittant, Sarracenos sibi subditos, publicè *Mahumetem* invocare, aut peregrinationem, ad ejus sepulchrum instituere. *Clement. unic. de Judæis.* Quò spectat id, quod Divus *P. Augustinus Epist.* 50. docet, videlicet: *Ezechiam* & *Josiam* Reges *Juda*, eatenus singulariter serviviffe Deo; quòd lucos & templa idolorum, & illa *excelsa*, quæ contra præcepta Dei fuerant extructa; diruerint. Si

104. Petas 2dò. An cum infidelibus, fideles possint communicare? Doctor *Angelicus* 2. 2. *q.* 10. *art.* 9. & post ipsum tota Catholicorum Doctorum universitas, docet: non licere communicare cum infidelibus illis, qui à fide orthodoxa semel susceptâ, defecerunt; cujusmodi sunt: Apostatæ, & Hæretici, hodiedum nominatim excommunicati, nec tolerati. Nam Ecclesia, in pœnam & abominationem eorum, fidelibus interdicit, ne cum ipsis communicent: cum infidelibus verò strictè dictis, qui videlicet fidem nunquam susceperunt; non interdicit quidem communionem in eorum pœnam, cùm in spiritualibus, non subsint Ecclesiæ; sed duntaxat ad cautelam simplicium & infirmorum, ne seducantur; ut aliis in fide robustioribus, ea non sit prohibita communicatio, nisi in ipso opere Religionis, cujuscunque fuerit generis. Si quis enim actum Religionis ipsorum exerceret; eô ipsô, censeretur sectam ipsorum approbare, & veram fidem negare. Quinimò, écontra non licet, hujusmodi infideles admittere ad inspectionem S. Eucharistiæ, ùt ex Divo *Dionysio*, tradit *D. Thomas.* 3. *parte. q.* 80. *art.* 4. *ad* 4. & multò minùs ad auditionem totius missæ. *can. Episcopus. De consecrat. Dist.* 1. *Totius* inquam: eos enim admitti posse ad missam *Catechumenorum*, in isto Canone traditur, Confer *Sylvium ad* 3. *partem D. Thomæ. q.* 83. *art.* 1. *quæsito* 18. Huc refertur signanter Matrimonium, in quo ita communicatio est interdicta, ut illud à fideli, cum judæo aut pagano contractum, prorsus sit irritum; cum Hæretico verò initum; validum quidem sit; sed *regulariter* illicitum, ut alibi diximus, & tradit *Sylvius ad supplementum D. Thomæ. q.* 59. *art.* 1. Cæterùm, in contractibus civilibus,

bus, puta: emptione, venditione &c. & aliis actibus merè *politicis*, aut *adiaphoris*; jure positivo, non invenitur prohibita conversatio cum Paganis & Hæreticis illis, qui non sunt nominatim denuntiati, neque notorii Clericorum percussores. Præstat tamen, absque causa rationabili, etiam in conviviis præsertim, vitare hæreticorum familiaritatem, & societatem, hortante Apostolo ad *Rom.* 16. ℣. 2. ad *Timoth.* 3. ad *Tit.* 3. & *S. Joanne*, in Epistola sua secunda. *Sermo* enim *eorum*, *ùt cancer serpit*, *& per dulces sermones & benedictiones*, *seducunt corda innocentium*. & ideo S. Joannes Apostolus, nec eodem loco voluit consistere cum *Corintho*, neque *S. Polycarpus*, *Marcionem* aliter, quàm *primogenitum Diaboli*, agnoscere voluit. prout refert *S. Irenæus. lib.* 3. *contra Hæres. cap.* 3. Confer Divum *P. Augustinum Epist.* 162. & quanquam etiam cum Judæis aliunde, honesta commercia: emptionis venditionis &c. sint licita; multis tamen casibus, prohibita cum ipsis invenitur communio. Sic *cap. Etsi Judæos. tit. De Judæis.* & alibi, non licet cum eis habitare vel comedere; azymis ipsorum vesci; eis tanquam medicis, uti; vel medicinam ab ipsis accipere; cum iis intrare balnea; aut interesse ipsorum servitiis. Unde *Gregorius XIII. annò* 1581. speciali Bullâ, sub gravibus pœnis, sanxit; ne quis, vel Judæos, vel alios infideles, ad Christianorum ægrotantium curam vocet, aut admittat. Ex quibus

105. Colliges 1mò. Apostolum 1. *ad Corinth.* 10. dicentem: *Si quis vocat vos infidelium*, *& vultis ire*; *omne*, *quod vobis apponitur*, *manducate*. Ideo ita locutum fuisse; eò quòd secundùm se, non sit illicitum interesse convivio Paganorum, præsertim mixtim inter Christianos habitantium, si videlicet absit scandalum & corruptionis periculum.

106. Colliges 2dò. Commercium earum rerum, cum Paganis, prohibitum Christianis, quibus Christianos impugnant, cujusmodi sunt: arma, pulvis pyrreus, chalibs, ferrum, *&c.* Qui enim talia vendunt aut ministrant Paganis, eo tempore, quo bellum gerunt cum Christianis; *ipsô jure* excommunicantur per Bullam *Cænæ*, & per constitutionem *Clementis III.* in *cap. Olim. tit. De Judæis.*

107. Colliges 3tiò. Quorundam antiquorum Ethnicorum, *ex professo*, obscæna non tractantium libros, ob sermonis elegantiam, non rejici; Judæorum verò *Thalmudica* commenta, & Hæreticorum codices, studiosè contra fidem congestos, prorsus proscribi debere. *Ratio discriminis est*; quòd quorundam Gentilium libri non contineant, nisi errores valde manifestos & à tota Christianitate explosos; Hæreticorum verò præsertim libri, sub variis coloribus, proponant errores occultos & non cuivis obvios.

108. Colliges 4tò. Ritus hæreticorum, Principibus Catholicis minimè tolerandos fore, si in eorum potestate fuerit, eos extirpare vel impedire, absque notabili jactura boni communis. *Ratio*; quia per dulces sermones *hæreticorum*, & simulatas *eorum benedictiones*, seducuntur corda hominum *innocentium*. Ad *Rom.* 16. De his Apostolus loquens ad *Galatas cap.* 5. *Utinam* (inquit) *abscindantur*, *qui vos conturbant*. Unde *Apocal.* 2. reprehenditur *Angelus*, id est, Episcopus *Pergami*, quòd aliquos apud se haberet tenentes doctrinam *Nicolaïtarum*: & similiter *Angelus*, seu Episcopus *Thyatiræ*, quòd permitteret *mulierem Jesabel Pseudo-propheten docere & seducere servos Dei.* Quinimò, in veteri testamento, quando apud Judæos florebat vera Religio, non permittebantur ritus falsæ Religionis, prout constat ex *Deuteron.* 18. & 4. *Reg. cap.*

cap. 18. & 23. Quòd si, ut modò in imperio *Romano-Germanico*, ritus hæreticorum vel omnino nequeant impediri; vel non absque gravissimo Ecclesiæ detrimento; licitum erit eis permittere publicum *Sectæ* suæ exercitium: id quod maximè obtinet, si hæretici plura loca occupaverint, ex quibus expelli nequeant; aut: si hi vicissim è suis ditionibus, Catholicæ Religionis exercitium exterminarent, & Catholicos premerent. Ob hanc necessitatis rationem, S. *Athanasius* Ecclesiam unam *Arianis* permittendam censebat *Alexandriæ*; si & ipsi, Catholicis unam permitterent *Antiochiæ*, ùt refert *Theodoretus*, *lib.* 2. *c.* 12. Vide *Divum Thomam* 2. 2. *q.* 10. *art.* 11. & ibi *Sylvium. conclus.* 3. Si

109. PETAS 3*tiò*. Num Hæretici, mortis supplicio justè puniri possint? RESP. *Affirmativè*. Et veritas hujus assertionis, sat eruitur ex S. Scriptura. Siquidem *Deuteron. cap.* 13. præcipitur, ut interficiantur falsi Prophetæ; quod præceptum executi sunt: *Elias*, 3. *Reg. cap.* 18. *Jehu*, 4. *Reg. cap.* 10. & *Josias*, 4. *Reg. cap.* 23. Quinimò *Deteron.* 17. generaliter statutum legitur: *Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, &c. morietur homo ille.* Jam verò; *si ante adventum Christi, circa Deum colendum & idola spernenda, hæc præcepta servata sunt; quantò magìs post adventum Christi servanda sunt*; inquit *Divus Cyprianus. De exhortatione ad Martyrium. cap.* 5. Nostri autem temporis hæretici, præsertim illi, qui *ex professo*, scribendo vel prædicando, fidem impugnant; sanctos, & signanter superbenedictam matrem Dei vilipendunt, ac Hierarchicum Ecclesiæ ordinem à Christo stabilitum subvertere nituntur; quid aliud sunt, quàm falsi Prophetæ. Nam, sicut illi populum, à vero Dei cultu; ita hi, Christianos à vera fide, & consequenter à vero Dei cultu avertere allaborant: Neque enim sine fide, Deus verè, *sicut oportet*, coli potest. Unde *Optatus Milevitanus, lib.* 3. *contra Parmenianum*, laudat factum *Macarii* Præfecti, quòd hæreticos occidisset; atque eum, in hoc facto, comparat cum *Moyse*, *Phinees* & *Elia*. Et quòd hæc fuerit mens Orthodoxorum Patrum, liquet 1*mò*. Ex Concilio *Chalcedonensi*, in quo *Eutyches* non solùm pœnâ, sed & igne dignus judicatus fuit. 2*dò*. Ex *Epistola* 93. *S. Leonis Papæ*, in qua laudat Principes Christianos, quòd gladio animadvertissent in hæreticos. 3*tiò*. Ex *S. Bernardo*, *serm.* 66. *in Cantica.* ubi ait: *Procul dubio, gladio coërcerentur illius videlicet, qui non sine causa gladium portat; quàm in suum errorem, multos trajicere permittantur.* 4*tò*. Ex *Lucio III.* qui in *cap. Ad abolendam. tit. De hæreticis.* Vult: eos brachio sæculari tradi puniendos. Quibus accedit definitio Concilii *Constantiensis*, *sess.* 15. damnantis articulum 14*tum.* Joannis *Hus*, qui reprehendebat eos, qui docebant; hæreticos esse judicio sæculari tradendos. ADDE: quòd *Leo X.* hunc damnaverit *Lutheri* articulum: *Hæreticos comburi, est contra voluntatem spiritûs &c.* Bene itaque scripsit Divus *Hieronymus Epist. ad Cresiphontem. cap.* 2. quòd Priscillianus *& sæculi gladio, & totius orbis authoritate, fuerit occisus*, quia scilicet in Synodo *Burdigalensi* condemnatus, appellaverat ad *Maximum* Imperatorem, qui etsi aliunde fuerit tyrannus; in hoc tyrannidem non exercuit, ùt notat ibid. *S. Hieronymus.* Confer *S. Antoninum, part.* 3. *Historiæ. tit.* 19. *cap.* 1. §. 4. ubi scribit: centum octoginta *Albigenses* hæreticos, cùm reverti nolent, fuisse occisos. *Ratio* est: Quia hæretici nolentes audire Ecclesiam, sed in sua pervicacia persistentes; indigni sunt maternâ Ecclesiæ benignitate, adeóque tanquam malefactores

res Rempublicam perturbantes, brachio sæculari extradi possunt ultimo supplicio afficiendi. Et Sanè; si illud supplicium rectè exerceatur in latrones corporum; cur non & in latrones animarum? cujusmodi sunt hæretici, utpote *lupi rapaces non parcentes gregi*.

110. Dices 1mò Si oporteret occidere hæreticos, malè dixisset *Apostolus*. 1. *Corint*. 11. *oportere hæreses esse*. Resp. Apostolum ita locutum fuisse, suppositâ & spectatâ hominum malitiâ, ac animosâ luxuriantium ingeniorum pervicaciâ; quomodo etiam oportet esse morbos, propter hominum intemperantiam, & dispares hominum complexiones & affectiones. Tametsi autem impediri non possit, ne mala ista eveniant; non tamen sequitur; quòd si evenerint; curari & tolli non debeant, si possint. Ita retorque argumentum, *à pari*.

Dices 2dò. Christus *Matth*. 13. loquens de *Zizaniis* (quo nomine intelliguntur hæretici) jubet: ut sinantur crescere usque ad messem. Resp. Vocabulo Zizaniorum, ibi non solos hæreticos indigitari; sed generatim homines impios, quos cùm vetat Dominus, instar Zizaniorum, eradicari; non prohibet; ne iste vel iste, in aliorum exemplum, puniatur; sed, ne conemur omnes simul perversos extirpare; præcipuè, si id fieri non posset, sine ingenti clade bonorum, id quod insinuat, per verba mox subjecta: *ne fortè simul cum eis eradicetis & triticum*. Confer Divum *P. Augustinum lib*. 3. *contra Epist. Parmeniani. cap*. 2. Junge Doctorem *Angelicum* 2. 2. *q*. 11. *ad* 3. *& q*. 108. *art*. 3. *ad* 1. Quare, dum de extirpandis hæreticis, quæstio occurrit; si ad instar Zizaniorum, sine nocumento tritici, seu detrimento orthodoxorum, extirpari non possint, sicut prô dolor! non possunt in Imperio nostro *Romano-Germanico*, præcipuè post pacem *Monasteriensem*; prudentia suadet; ut divinæ providentiæ, res relinquatur.

Dices 3. Christus *Matth*. 18. jubet eum, qui Ecclesiam non audierit; haberi ùt Ethnicum & Publicanum; non verò jubet illum interfici. Similiter Apostolus ad *Titum*. *cap*. 3. vult, hæreticum post unam & alteram correptionem vitari solùm, non occidi. Et esto; ibi occidi non prohibeat hæreticum; jubet tamen, ut ei ad minimum *bis* parcatur, id quod non faciunt *Inquisitores hæreticæ pravitatis*, qui, *ne semel* parcunt lapsis, sed eos ad rogum mox condemnant. Resp. Sicut Ethnici & publicani, à suis Principibus, capite plecti possunt; si vel Rempublicam perturbent, vel crimina perpetrent, quibus ultimi supplicii pœna fuit per legem decreta; ita & hæretici, in quos pœna mortis sancita, ultimo supplicio affici possunt. Cæterum, Christus loco citato, solùm instruit discipulos suos & Ecclesiæ moderatores, qualiter, contra peccatores & rebelles, non solùm in causa fidei, sed & aliis causis, ordinatè & gradatim procedere, eósque à communione fidelium excludere debeant. Ad locum Apostoli Resp. Apostolum ibi instruere *Titum*, quà Episcopum, non verò convertere sermonem ad Magistratum politicum, cujus est, tum hæreticos ab Ecclesia judicatos & rejectos; tum alios criminosos Reipublicæ noxios, pœnâ ultimi supplicii punire: id quod Episcopus per se facere non debet. Ad id, quod subjicitur: Resp. Apostolum ibi non velle, ut hæretico incorrigibili & contumaci *bis* parcatur; sed, ut priusquàm acrius quid in ipsum statuatur; semel atque iterum seriò admoneatur, quam regulam observare jubentur cuncti judices Ecclesiastici, neque Magistratus ullus, sententiam mortis in hæreticum ferre potest, nisi is an-

tea sæpiùs fuerit monitus, vel ab Episcopo vel aliis probis & eruditis viris.

Dices 4tò. Christus nihil egit vi, ùt loquitur Divus *P. Augustinus lib. De vera religione. cap.* 16. Igitur nec Ecclesia, vi agere debet in hæreticos. Unde nec Apostoli leguntur eos *morte* punivisse, sed duntaxat *excommunicatione*. & idem *Augustinus* in Epistolis 50. 127. & 158. arbitratur; in hæreticos non esse animadvertendum *supplicio capitis*, propter mansuetudinem christianam, etiam circa indignos servandam; sed *mulctis solùm pecuniariis*, aut his similibus, pœnis; veluti: exilio &c. Resp. Magnum Patrem *Augustinum*, id, quod objicitur, correxisse *lib.* 1. *retract. cap.* 13. ubi inquit: *Non mihi occurrerat, quòd vendentes & ementes flagellando ejecit de templo.* Præterea; idem S. Pater *Epist.* 50. sic perorat: *ubi est, quod isti clamare consueverunt; liberum est credere vel non credere? cui vim Christus intulit? quem coëgit? Ecce habent Paulum Apostolum; agnoscant in eo, priùs cogentem Christum, & postea docentem; priùs ferientem, & postea consolantem.* Cæterum; quòd Apostoli non imploraverint brachium sæculare contra hæreticos; idemmet S. Pater *Epist.* 48. & 50. ideo contigisse ait: quòd nullus tunc temporis, fuerit Princeps Christianus, qui in subsidium vocari potuerit; adhuc enim implebatur illud *Psal.* 2. *Astiterunt Reges terræ & Principes convenerant in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus.* Quod autem *Augustinus* ita judicaverit; constat ex ejusdem *lib.* 1. *contra Epistolam Parmeniani. c.* 8. ubi conquerenti, *Parmeniano*, quòd *Constantius* Donatistas, capitali sententia damnaverit: Respondet: *Quid non isti justè patiuntur? priùs probent, se non esse hæreticos vel schismaticos, tum demum de indignis pœnis suis, lividam emittant vocem.* & *ibid. cap.* 10. asserit: tam justè in Hæreticos ac Schismaticos, vigorem legum exerceri; quàm in *veneficos*, quales utique morte puniendi sunt. & rursus; *tract.* 11. *in Joannem*, de hæreticis inquit: *Sempiternas mortes faciunt, & temporales se perpeti conqueruntur.* quam eorum querelam iniquam satis insinuat, dum id, quod *Nabuchodonosor* contra blaphemos Dei, decrevit; contra *Donatistas*, statui posse, asserit.

III. Dices denique 5tò. cum *Grotio. lib.* 2. *De J. B. & P. cap.* 19. §. 50. *Athanasius* ideo in Arianam hæresin acriter invehitur, quòd *prima* in contradicentes, usa esset judicum potestate, & quos non potuisset verbis inducere, eos vi, plagis, carceribúsque, ad se pertrahere annireretur: *Atque ita* [inquit] *quàm non sit pia, nec Dei cultrix, manifestat.* Et de talibus *Gregorius* ad Episcopum Constantinopolitanum: *nova* (ait) *& inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.* In Gallia quoque, ùt refert *Sulpitius Severus*, jam olim Ecclesiæ judicio, damnati sunt Episcopi; qui, ut in *Priscillianistas* gladio animadverteretur; curaverant, ùt sapienter dixerit *Plato*: *errantis pœnam esse, doceri.* & *Seneca*: in *Tragœdia*:

Quis nomen unquam sceleris, errori dedit? Et idem, *de ira. lib.* 14. *Non est prudentis, errantes odisse, alioquin ipse sibi odio erit.* Unde *S. Chrysostomus* in expositione *Epist. ad Eph. cap.* 4. ℣. 17. ait: *eum, qui ignorat, neque malo affici, neque accusari oportet; sed æquum est, ut discat, quæ ignorat.* Ita argumentatur *Grotius* & ex eo *Pufendorfius* ac cæteri Protestantium declamatores. Resp. Divum *Athanasium* ita rectè scripsisse; tum, quia *Ariani* hæretici, jus nullum habebant puniendi illos, qui orthodoxam fidem abnegare recusabant; tum, quia pejus agebant, quòd ipsimet, carnifices & tortores existerent Christianorum. Ad verba *S. Gregorii Papæ*,

pæ, Resp. Ipsum meritò reprehendisse illos, qui verberibus & tormentis, nitebantur infideles cogere ad fidem, quod & nos cum Sanctis Patribus supra citatis omnino reprobavimus. Ast, hîc nobis non est sermo, de infidelibus propriè dictis; qui videlicet fidem nunquam, in Baptismatis Sacramento susceperunt, & in quos, Ecclesia jurisdictionem non habet; sed de Apostatis à fide; quos utique Ecclesia, pro delictorum atrocitate, punire potest. Falsum verò est, ideo olim in *Gallia* damnatos fuisse Episcopos, quòd in *Priscillianistas* supplicium mortis statui curaverint; sed, quia imprudenter, *Maximi* Imperatoris judicio subjecerant illos, qui *Priscilliani* partes fovebant; ex quo factum, quòd per tyrannidem *Maximi*, alii etiam innocentes trucidati fuerint. Confer hac de re *Baronium. Tom.* 4. *ad annum* 386. ubi refert; quòd absque delectu, optimi quique Christiani, quorum ora jejuniis pallerent; & ex disciplina, gravior esset incessus; mox, ùt hæretici habiti fuerint; quasi talia, ex hypocrisi affectâssent. Adeò, ùt ùt persecutio illa, licet ab initio non fuerit visa injusta; iniquissima tandem evaserit, quatenus in dispendium & interitum bonorum Christianorum, conversa fuit. Itaque *Ithacius*, & alii cum eo Episcopi, *Priscillianum* & ejus sequaces accusabant, & Imperatorem urgebant, ut eos morte damnaret, idque non tam pietatis, quàm vindictæ studio, quod neutiquam licebat. Hoc ipsum observavit *Sulpitius lib.* 2. *Historiæ. sub finem*, ubi de *Ithacii* consortibus, sic scribit: *Quorum studium in expugnandis hæreticis, non reprehenderem; si non studio vincendi, plusquàm oportuit, certâssent.* Et postea subdit: eò dementiæ devenisse *Ithacium, ut viros jejuniis deditos, tanquam Priscilliani socios, in crimen accerseret, ipsique S. Martino palàm objectaret hæresis infamiam.*

Pro historiæ intellectu, Noveris: *Priscillianum* à Synodo *Burdigalensi* condemnatum, appellâsse ad *Maximum* tunc temporis Imperatorem, apud quem deinde Episcopi aliqui, cum *Ithacio*, agebant partes accusatorum, propter quod factum reprehensi sunt, quia non debebant Episcopi, talem causam utpote spiritualem, permittere Imperatoris arbitrio decidendam, adeóque peccârunt, quòd apud ipsum Imperatorem, extiterint accusatores *Priscillianistarum*. Ad textus, quos *Grotius* ex *Platone*, *Seneca* & *S. Chrysostomo*, adducit, verbô respondemus: nos nequaquam contendere: quosvis, etiam Christianos, errantes circa fidem, mox rapi debere ad supplicium mortis; sed illos præcipuè Hæresiarchas aut hæresum professores, qui cum pertinacia, tuentur errores, & prorsus incorrigibiles ac Reipublicæ exitiales existunt.

111. Porrò, sicut (præscindendo à *Pacificatione* vulgò *Religiosa*, & à Pace *Westphalica*, aliisque Imperii *Constitutionibus*, *Recessibus* & *Declarationibus*) Hæretici contumaces, morte puniri possunt; ita eorum bona, *ipsô jure* confiscantur, seu *Fisco* addicuntur, per textum in *cap. cum secundùm leges. tit. de Hæreticis in* 6. Hac de re, videri merentur *Azor Tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. & *lib.* 8. *cap.* 12. *Lorcas* in 1*dam* 2*dæ D. Thomæ q.* 11. *art.* 4. *Disp.* 46. & 47. *Reiffenstuel ad tit. de Hæreticis &c.*

112. Supra, à *n.* 95. latè discussimus, an propter delicta directè in Deum patrata, bellum suscipi possit in extraneos Paganos? Hîc subjicere placet & illam quæstionem; an bellum licitè suscipiatur contra eos, qui *in naturam* delinquunt? Ubi prænotandum; quòd, etsi in civilibus & politicis, & alias regulariter loquendo,

nemini liceat falcem mittere in alienam messem, aut punire delicta, alibi extra territorium, ab extraneis, inibi præsertim existentibus, patrata; nihilominus Reges, aut qui pares Regibus, sunt jus habeant pœnas poscendi, nedum ob injurias in se, aut subditos suos, commissas; sed & ob eas, quibus jus naturæ aut Gentium, immaniter læditur. Nam facultas, humanæ societati consulendi, per pœnas in facinorosos exequendas, quæ primitus penes singulos fuit, ùt alibi notavimus; Civitatibus & judiciis institutis, penes summos Imperantes remansit, & etiamnum residet, non quidem eo sensu; ut *propriè* extraneis imperent; sed, quia nemini, extra Deum, parent. Profectò, tantò honestiùs est, *alienas* injurias, quàm *suas* vindicare; quantò in *suis* magis metuendum est, ne quis, doloris sui sensu abreptus, aut modum excedat; aut certè animum inficiat. Hanc ob rem, à *Seneca lib.* 1. *de Benef. cap.* 14. *Socrate*, *Philone*, & alii vetustis scriptoribus, prædicatus fuit *Hercules*, quòd *Antæo*, *Busiride*, *Diomede*, & similibus tyrannis, liberârit terras, quas, *Senecâ* teste, *transiit, non concupiscendo, sed vindicando, & injustos puniendo. Hercules* [inquit *Philo de Legatione*] *purgavit terras & maria, certamina subiens, hominibus omnibus partim necessaria, partim perutilia, ut tolleret hominum, animantiúmque aliorum ea, quæ exitialia aut noxia essent.* Et de eodem *Valerius Maximus lib.* 5. *cap.* 3. ait: *Quidquid ubique monstri aut sceleris fuit, virtute animi ac robore dextræ comminuit*; ut ideo cæca Gentilitas *Herculem* retulerit in classem Deorum suorum.

Christianè loquendo; non videtur negandum, bello posse impeti eos, qui in jus naturæ omnibus manifestum & primævum delinquunt. Pro cujus intellectu, hîc observandum, quod & alibi annotavimus: alia esse principia generalia, aut his proxima, quæ cunctis usum rationis habentibus, *de se* perspicua sunt: veluti: quòd sit honestè vivendum; suum cuique tribuendum, nemini suum rapiendum. Alia verò esse dictata, quæ ex principiis quidem generalibus deducuntur; non tamen ita de se perspicua sunt, ut omnibus suî cognitionem ingerant; ùt: quòd usuræ *lucratoriæ*, sint illicitæ; innupti concubitus, vel etiam incestuosi, sint vetiti *&c.* Planè, sicut in Mathematicis, quædam sunt notitiæ *primæ*; quæ statim ac exaudiuntur, assensum obtinent; quædam verò veræ quidem *in se*, sed non, *quò ad singulos audientes*: quia non æquè patent. Sicut (inquam) circa leges civiles, eos excusamus, qui ob ætatem, sexum, status conditionem, aut ingenii, stupiditatem, illas inculpate ignorant, aut non satis penetrant; ita circa quasdam naturæ leges, par est, aliqualiter saltem excusari eos, quibus aut ratiocinationis imbecillitas, aut prava educatio obstant. Nam, sicut ignorantia legis, si *inevitabilis*, seu *invincibilis* sit, ex integro tollit peccati culpam; ita etiam ignorantia, si non sit planè *affectata*, *supina*, & *crassa*; sed ex negligentia, aut ex non adhibita summa diligentia, provenerit, delictum minuere existimatur. Unde *Aristoteles* barbaros, qui pravè educati, circa talia delinquunt; iis æquiparat, qui morbo corruptos habent appetitus. *Unaquæque enim Gens, hoc legem naturæ putat, quod didicit.* Inquit Divus *Hieronymus* 2. *adversus Jovinianum*. Observandum præterea; à natura vetitis hìc non esse accensenda ea, 1*mò*. de quibus dubitatur, & inter doctos disputatur, an reverà sint jure naturali prohibita. Nec 2*dò* ea, quæ solo jure Divino *positivo*, sunt interdicta. Neque 3*tiò* ea, quæ legibus civilibus, aut populorum quorundam moribus repugnant His præmissis.

113. Dico: veriùs esse: quòd bello impeti & castigari possint illi, qui contra generalia naturæ præcepta passim agunt, veluti: qui in parentes, impii sunt; qui homines, instar pecudum, occidunt, & eorum carnes epulantur; qui piraticam exercent: Sodomiæ sunt dediti; aliáve prorsus horrenda crimina communiter perpetrant. Huic assertioni nostræ, favet Magnus Pater *Augustinus, lib. 5. de Civit. Dei.* ubi inquit; quòd *genere humano decernente, terrena civitas, quæ talia scelera facienda decerneret aut decrevisset*, evertenda foret. De talibus enim barbaris, & feris magis, quàm hominibus, rectè dici potest, *naturale* in eos esse bellum. Quia parum interesse videtur, an in belluas generi humano noxias; an in homines, belluis similes, bellum instituatur; dummodò instituatur; rectâ intentione; sæpe enim sub prætextu, barbaras Gentes, ad mores cultiores reducendi, velatur alieni cupiditas; & sub nomine Religionis, quæritur Regio. Unde, quando *Victoria, Relect. 1. de Indis. n.* 40. *Vasquez Controvers. Illustr. l. 1. cap. 25. Sylv. verbo Papa* §. 7. *Azor*, *Molina* & alii contendunt; in suscipiente bellum, requiri; ut quis læsus sit in se, vel Republica sua; aut, ut in eum, quem bello impetit, jurisdictionem habeat; intelligendi sunt de bello, quod *ordinariè*, & ob injurias hominibus illatas, suscipitur; non verò de illo, ad quod natura ipsa cunctos incitat. Quinimò, si istorum Authorum sententia, indistinctè, vera esset; jam hostis in hostem, jus nullum puniendi habebit, etiam post susceptum bellum, quod tamen jus, absque ulla civili jurisdictione, belligerantibus plerique concedunt, & usus omnium Gentium confirmat, non tantùm postquàm debellatum est, & alteruter victoriam obtinuit; sed etiam fervente adhuc bello; adeóque hoc jus, profectum esse censetur ex illo jure naturali, quod ante civitates institutas, fuit, & etiamnum viget in illis plagis, ubi homines in familias distributi, non in civitates, redacti, vivunt; sicut in quibusdam *Americæ* regionibus, & etiamnum vivere dicuntur. Porrò sententia nostra, vel ipsis Gentilibus moratioribus, æqua fuit visa. Unde *Plinius lib. 3. cap. 1.* Romanorum, in genus humanum, merita, ex hoc capite deprædicat, dicens: *Non satis æstimari potest, quantum Romanis debeatur, qui sustulêre monstra*, in quibus *hominem occidere, religiosissimum erat, mandi verò, etiam saluberrimum* Confer Josephum *Acostam. De procuranda Indorum salute. lib. 2. cap.* 4.

114. *Statistæ*, seu *Politici*, nostri temporis ad inducendum, ùt ajunt *æquilibrium*; jure Gentium, putant esse licitum, armis diminuere alterius Regis vel populi potentiam excrescentem, quæ nimiùm aucta, nocere posset, sed vinci non posset. Sub hoc prætextu, non quidem ex justitiæ, sed utilitatis ratione; quidam arma rectè sumi arbitrantur; ast, si aliæ non adsint circumstantiæ; ab omni æquitatis ratione abhorret, ut quis ideo armis alium adoriatur; *quia* ab illo, vim pati posset. Tali enim modo, nullus de vita sua, unquam securus esset, & homo homini, perpetuus esset hostis. Igitur, adversus incertos metus, à Divina providentia, & ab innoxia cautione, non à vi, præsidium petendum est, prout ingenuè tradit *Grotius de J. B. & P. lib. 2. cap. 1. §. 17.* Ut enim *justa* sit, sive *offensio*, sive *defensio*; *necessaria* esse debet, qualis non est, nisi constet, non tantùm de vicini Regis aut populi potentia; sed &, de ejus nocendi animo; ita, ut *moraliter certum* sit, ex vicina potentia, nobis, *quasi præsens* imminere periculum. Quamobrèm minimè probanda

banda est eorum sententia, qui ex inde, justam belli causam metiuntur; quòd vicinus, nullâ conventione seu pactione impeditus, in suo territorio, arcem aut fortalitium struat; aut munimentum erigi curet, ex quo aliquando damnum dari possit. Nam adversùm talem metum, quisque sibi consulere potest, arces & munimenta, in suo fundo, in oppositum, extruendo.

115. Inter causas justas suscipiendi belli, numeratur indigna & probrosa tractatio *Legatorum*, ab aliis Regibus, ad exteras nationes, legitimè missorum. Et hanc ob causam, olim Romani, bellum suscepêre in *Senonas*, in *Illyrios*, & *Ligures*; in *Corinthios* & *Tarentinos*: ut videre licet apud *Appianum*, *Polybium Livium* & *Dionysium Halicarnassensem*, quos citat *Grotius* in *Annotat. ad* §. 11. *cap.* 18. *lib.* 2. De bellis, quondam per Germanos & Francos, ex isto capite, susceptis; exempla adfert *Aimonius lib.* 3. *cap.* 61. & 88. Quinimò sacræ paginæ memorant; *Davidem* eo nomine, gessisse bellum, adversus *Ammonitas*. Confer *Joan. Voet. De Jure milit. c.* 1 *n.* 25

116. Ne obiter, hoc, de Legatis dictum sit; Observandum est, nos hîc loqui de *Legatis*, qui mittuntur ab iis, qui *Summi Imperii* sunt compotes inter se: Nam alii Legati *Provinciales*, *municipales*, aut similes, ab iis missi, qui Summum Imperium non habent; non *Jure Gentium*, sed *Civili*, reguntur. Vide *D. Abraham de Wicquefort. lib.* singulari, cui Titulus: *l'Ambassadeur & ses Fonctions*, *Sect.* 2. ubi demonstrat, quòd non nisi summi imperantes [*les Souverains*] Legatos, vulgò (*Ambassadeurs*) mittere possint. Legatus enim est Minister publicus, quem Summus Princeps ad extraneam potestatem mittit, ut ibibi personam suam repræsentet vigore mandati, litterarum credentialium, aut alterius commissionis, ex qua constet de ejus charactere seu qualitate. Ubi observandum: quòd quivis minister publicus non sit habendus pro Legato [*Ambassadeur*] sed ad id necessum sit, ut habeat qualitatem *repræsentantis* suum supremum principem; quo charactere, si careat, poterit quidem censeri tanquam v. g. *Internuntius*, *Nobilis missus*, *Residens*, *Agens Commissarius*, *Secretarius Legationis*, aut ipsius *Legati*, non verò tanquàm *Legatus*, etsi talis, absente suo Domino principali, negotia gerens, *Juris Gentium* protectione penitus gaudeat, teste *Wicquefort loc. cit. Sect.* 1. Cæterùm, Principes Electores Germaniæ, Regibus non multum absimiles, jus habent, ut se repræsentari faciant per Legatos. *Par des Ambassadeurs. Wicquefort loc. cit. Sect.* 4. Quanquam verò Ministri secundæ classis, puta: *ablegati*, *Residentes*, *Commissarii* &c. dignitate sint inferiores Legatis plenipotentiariis *repræsentantibus*: nihilominus communi Publicistarum calculo receptum, & *Statuum Hollandiæ* Declaratione, 29. *Martii* 1651. firmatum, quòd secundi Ordinis Ministri, sine ulla contradictione, gaudere debeant cunctis prærogativis, quæ *Jus Gentium* Legatis attribuit. Vide *Wicquefort loc. cit. Sect.* 5. Duo autem sunt circa Legatos, quæ ad jus Gentium, passim referuntur. Primum; ut admittantur; deinde, ne violentur. Equidem, haud indistinctè, cunctos Legatos admitti præcipit Gentium jus; sed solùm vetat, sine causa, rejici. Causa autem rejiciendi, resultare potest, ex eo; *qui mittit*; ex eo, *qui mittitur*; & ex eo, *ob quod mittitur*. Ex primo capite, Senatus Romanus negavit, se posse admittere *Carthaginensium* Legatos, quorum exercitus existebat in Italia. Sic & *Totilæ* legationem rejecit *Justinianus*. Ex secundo capite, *Theodorus*, quem *Ptolemæus* ad *Lysimachum* ablegaverat; ab hoc rejectus fuit,

(id,

(id, quod ob vitium, aut nævum personæ missæ aut minùs gratæ, accidere potest.) Ex tertio capite, repudiari potest Legatus, si causa mittendi suspecta est; veluti: si mitteretur ad concitandum populum.

117. Cæterùm, ea, quæ de Legatorum immunitate, & inviolabilitate, juris, Gentium esse dicuntur; intelligenda sunt de illo Rege vel populo, ad quem mittuntur, idque, postquàm Legatio fuit admissa; non obstante, quòd Rex vel populus, ad quem legatio directa, sit hostis illius, qui mittit. Unde *Caduceatoribus* in bello pax est; & Lacedæmonii, qui Persarum *Feciales* interfecerant: dicuntur, omnium hominum jura violâsse. *Nónne* [inquit Cicero, *primâ Verrinâ*] *Legati inter hostes, incolumes esse debent*? Hoc jus de non violandis Legatis [inquit *Tacitus*, *lib.* 1. *Annal.*] est *hostium jus*, *& Sacra Legationis, & fas Gentium.* Ut meritò *Pomponius*, *l. si quis. ultimâ. ff. de Legat.* ita referatur scripsisse: *Si quis Legatum hostium pulsâsset; contra jus Gentium, id commissum esse existimatur; quia Sancti habentur Legati: & ideo, si, cùm Legati apud nos essent Gentis alicujus, bellum, cùm eis indictum sit; liberos eos manere; id enim juri Gentium convenit esse. Itaque eum, qui Legatum pulsâsset, Quintus Mutius, dedi hostibus, quorum erant Legati, solitus est respondere.* Cui correspondet, quod censuit *Ulpianus* relatus in *l. lege Julia. ff. Ad legem Juliam, de vi publica.* Eum hac lege, scilicet *Julia de vi publica*, teneri; qui Legatos, Oratores, comitésve eorum, pulsâsset, aut injuriâ affecisset. Quid; quòd *Josephus Flavius*, antiquæ Historiæ. *lib.* 15 tantoperè exaltet Legatorum Sanctimoniam; ut eis commune cum Angelis Dei, nomen, accommodet? Quò respexisse videdur *Cicero*, dum in *tertia Verrina*, sic peroravit: *Legatorum jus, Divino humanóque vallatum præsidio, cujus tam Sanctum & venerabile nomen esse debet, ut non modo inter sociorum jura, sed & hostium tela, incolume versetur.* Eò & reflexit *Procopius*, *lib.* 3. *Gothicorum* inquiens: *Omnibus, ut generatim loquar, barbaris mos, Legatos venerari. Inter arma enim*, ùt *Aimonius*, *Clodovæum* Regem, dixisse meminit: *Sola Legatio*, pacis *sequestra est, & hostem exuit, qui legatione fungitur.* Confer *Cromerum*, de Polonis. *lib.* 20 De Turcis: *Leunclavium. lib.* 8 *& lib.* 17. De Mauris; *Marianam. lib.* 12. *Hoc* (scilicet Legati) *nomen & hostes hostibus valet reconciliare; quid ergo fieri magìs impium potest, quàm Legatos occidere pro æquitate loquentes?* ait *Josephus. lib.* 15 *Historiæ antiquæ.*

118. An ergò comites, familiares, officiales & domestici Legatorum, eâ sanctimonia tuti sunt, ut nec ipsi, nec res ipsorum, capi vel arrestari possint? Resp. Hæc sancta esse *accessoriè*, ac proinde quatenus Legato visum fuerit. Quamobrem, si comites aut domestici, qui in famulatu sunt; gravius quid deliquerint; postulari à Legato poterit, ut eos dedat, & secundùm leges loci, ubi deliquerunt, puniri sinat. Quod, si facere detrectaverit Legatus; apud eum, à quo missus est, ea de re agi & instari poterit. Intereà tamen, nihil attentari debebit; neque Vi, quis hujusmodi delinquentium, capiendus erit; nisi fortè commisisset crimen exceptum, quo videlicet jus Gentium sit læsum. Vide *Grotium de J. B. & P. lib.* 2. *cap.* 18. §. 4. Vide omnino *Wicquefort loc. cit. Sect.* 28. *& Sect.* 29. ubi ostendit, quòd nec ipsimet Legati semper sint inviolabiles. Si enim Legatus ipse primò violet jus Gentium, frustra hujus juris assistentiam implorat.

Quòd bona mobilia Legatorum attinet; hæc, utpote *accessio personæ*, pignoris causâ,

causâ, aut ad solutionem debiti, apprehendi aut capi non possunt à creditoribus; nec ordinarii judicis, seu *Prætoris* decreto, neque *manu* [ùt quidam volunt] *Regiâ*. Omnis enim coactio abesse à Legato debet, tam quò ad ejus personam, quàm res ejusdem, quò plena ei sit securitas. Vide rursus *Wicquefort. loc. cit. Sect.* 27. *pag. mihi* 383.

Quòd, si Legatus in loco Legationis, æs alienum contraxerit, nec ibi bona immobilia possideat; interpellandus erit amicabiliter, ut debitum solvat; &, si monitus, solvere detrectet; supplicandum erit ei, qui hujusmodi Legatum misit; ac porrò, ita contra morosum hujusmodi debitorem, agendum erit; sicut agi solet adversus debitores extra territorium positos.

Quis (inquies) si id juris statuatur; cum Legato contrahere vellet? Resp. Sicut Regibus ipsis, seu supremum dominium habentibus, non desunt creditores; eò quòd fide regiâ contenti sint; ita nec deesse videmus creditores, qui fidem habeant Legatis, quorum integritas & morum honestas, quasi pignoris loco habetur. Porrò, Quæ in contrarium Oggeri possunt ex jure Romano, non sunt capienda de Legatis, à Regibus aut summis potestatibus, missis; sed de Legatis *Provincialibus* aut *municipalibus*. Si

Roges: Num Legatus jurisdictionem habeat in familiares suos? Item: an ipsi competat jus Asyli, in domo sua, pro omnibus cò confugientibus? Resp. Utrumq; hoc pendere ex concessione ejus, apud quem Legatus degit. Neutrum enim juris Gentium esse, tradit *Grotius loc. cit.* §. 8. *in fin.* Consonat *Wicquefort. loc. cit. Sect.* 28.

119. Hic quæri potest, an *jure talionis*, interfici, aut malè tractari possit Legatus ab eo missus, qui tale quid patraverit in Legatum ejus, ad quem alter destinatur? Resp. Tametsi hujusmodi ultionis non pauca legantur in Historiis exempla; equidem, quia in his, non tantùm reperiuntur, quæ justè; sed &, quæ iniquè, & perperàm gesta sunt; ideo ab hujusmodi exemplis, non est deducenda conclusio. Profectò, ipsum Gentium jus, non tantùm *mittentis* cavet *dignitati*; sed & *ejus*, qui mittitur, *securitati*, idque ex tacito quodam contractu. Legato igitur *misso* fit injuria; tametsi *mittenti* nulla fieret. Quamobrèm, non magnanimè tantùm, sed & ex jure Gentium, *Scipio* respondit de Legatis *Carthaginensium*, à quibus Legati *Romanorum* malè excepti erant; non esse id faciendum Legatis Carthaginentium, quod ipsi, in Romanorum Legatos, commiserant. Confer *Cromerum. lib.* 19. & 21.

RESPONSUM JURIS
AD
Recens natam Quæstionem.

NUm Sedis Apostolicæ Legatus, seu Nuntius Apostolicus ad Tractum & inferioris Germaniæ missus, ut juxta mandatam sibi à summo Pontifice facultatem, Apostolicæ Legationis munus expleat, teneatur uni vel alteri privativè Ci-

Civitati imperii liberæ (ubi intra fines missionis suæ, residere ac Tribunal suum stabilire constituit) exhibere Bullam, Diploma, seu litteras (ut ajunt) *Credentiales*, quibus fidem faciat de munere Legationis suæ; ita, ut cæteroquin fas sit Civitatis Magistratui non suscipere, vel saltem non revereri hujusmodi Nuntium, Legationis dignitate insignitum?

Ratio dubitandi desumi posset ex *Can. Nobilissimus. Dist. 97.* ex quo colligitur, consuetudinis esse, quòd Legatus Pontificis ad Regem quempiam missus exhibere debeat litteras missionis suæ. Id quòd *Glossa* his verbis exprimit: *Oportet ergò, quòd Legatus exhibeat litteras Legationis suæ, ad hoc, ut credatur ei.* Atque hoc maximè volunt Authores obtinere in Legato missò, qui non sit Cardinalis. Siquidem asserenti se Legatum (dummodò noscatur esse Cardinalis) creditur, sine alia probatione, eò quòd Cardinales non soleant à Curia abesse, sine officio Legationis: inferiori autem Prælato asserenti, se Nuntium Apostolicum, non habetur fides, nisi ostensis litteris Papalibus. Arg. *cap. Cum in jure. 31. de Offic. & Potest. Judic. delegati.* Ita tradunt *Azor. Instit. moral. part. 2. lib. 5. cap. 27. quæst. penult.*

Augustinus Barbos. *ad leg. 1. C. de mandatis Princip. n. 5. & seq.*

Speculator. *tit. de Legat. §. Superest. ỳ. Quid si Legati.*

Joannes Andreas. *in cap. 1. de Offic. Legat. in 6.*

Antonius De Butrio. *in cap. Constitutus. de Appell.*

Besoldus. *in Thesauro pract. adaucto. ỳ. Credensbrieff.*

Ubi dicit vulgatum esse Brocardicum, quòd Nuntiis seu Legatis Papæ vel Cæsaris, non sit habenda fides, sine litteris Credentialibus.

Idem repetit Rosenerus. *in Thesaur. loco. Comm. lib. 12. cap. 36. n. 9.*

Huc referri posset instrumentum pacis Osnabrugensis, seu Cæsareo-Suecicæ, in cujus *art. 5. §. 11.* Civitatibus Imperii liberis, asseritur Superioritas Territorialis, talis scilicet, qualis competit aliis sublimioribus Imperii statibus in subditos & incolas Territorii sui. Ex quo supposito principio videtur deduci posse, quòd liberæ Imperii Civitates, pari cum Principibus & aliis immediatis Imperii statibus, superioritate Territoriali gaudentes, non tantùm jus habeant in incolas aut advenas, intra Territorium suum, domicilium figere volentes, verùm vel maximè iis, non secùs ac aliis Principibus *non ligiis* Imperii, exhiberi debeant litteræ Credentiales à Legato seu Nuntio Ponficis Neo-adventante.

Equidem, concludendum omninò est, quòd Legatus seu Nuntius Sedis Apostolicæ, ad Tractum Rheni & inferioris Germaniæ partes missus, nequaquàm obstrictus sit intra fines Legationis suæ, cujuscunq; Civitatis etiam Liberæ Magistratui edere vel exhibere litteras Papales seu Credentiales, ad effectum, ut Magistratus loci, in quo Nuntius Apostolicus Sedem ac Tribunal suum figere seu erigere constituit, eidem Nuntio competentem honorem, reverentiam, immunitatémque præstare teneatur. Ita tradit Joannes à Chokier. *Part. 3. polit. Tract. de Legato. cap. 36. pag. Mihi. 83.* his verbis: *Illud silentio non est involvendum, si Legatus mittatur ad diversas unius Provinciæ Regiones, satis ei esse, si in Curia Præsidis, litteras fidei edat, quia per omnes Provinciæ Regiones ei exinde creditur, in Legatis verò* NB. *Apostolicæ Sedis hoc observatur, ut in ingressu Provinciæ sibi decretæ, soleant Legationis suæ litteras publicare, ne quis deinceps possit ignorantiam aliquam prætexere.*

Id, quod Prælaudatus Author quondam Vicarius Generalis Sereniſſimi Principis & Epiſcopi Leodienſis, de perpetua praxi & obſervantia, circa Legatorum Pontificiorum ingreſſum in Provinciam, modúmque per edictum publicum promulgandi Apoſtolicæ Legationis officium, citra neceſſitatem, alicui particulari Civitati aut ſtatui edendi litteras Credentiales, tradit; evidens habet fundamentum: ſiquidem, cùm Sedes Apoſtolica, ab immemoriali tempore, abſque interruptione, Legatos ſeu Nuntios ſuos, in partem Apoſtolicæ ſollicitudinis, ad Tractum Rheni & inferioris Germaniæ ditiones mittere conſueverit; & ita jure, ſibi, utpote Chriſti in terris Vicario per orbem univerſum competente, Eccleſiaſticam Juriſdictionem ſuam exercuerit; quis abſque novitatis, ne dicam, temeritatis nota, prætendere poteſt, quòd Nuntius Nuntio ſuccedens, teneatur alicui particulari ſtatui exhibere litteras facultativas, ſeu (ut ajunt) credentiales. Nunquid ſummus Pontifex eſt ordinarius totius orbis Chriſtiani? *Cap. de Tranſlat. Epiſc.*

Cap. Solitæ. de Majorit. & Obed. Extrav. Unam ſanctam.eod. tit. inter comm. Nunquid eſt Ordinarius Ordinariorum, habens pro Diœceſi ſua, totum orbem.? *Cap. ad honorem. De Auth. & uſu pallii. Can. Cuncta per mundum IX. q. 3.* Quo Pacto igitur in privati ſaltem Catholici alicujus ſtatûs arbitrio, poſitum ſit, non aliter velle recipere, vel revereri Sedis Pontificiæ Nuntium, in partem Apoſtolicæ ſollicitudinis gerendæ miſſum, quàm, ſi, neſcio, cum quibus novis cæremoniis, prævie exhibuerit Legationis ſuæ Diploma, & ita quadantenus ſæculari Magiſtratui ſibi in ſpiritualibus ſubordinato, prævie præſtiterit ſubmiſſionis homagium nullibi gentium uſitatum?

Sanè, ſi limatiùs trutinentur ea, quæ publiciſtæ de litteris fidei, ſeu Credentialibus exhibendis, ſcribunt: evidèns evadet; quòd ad unum omnes loquantur de Legato, qui præter ordinem, ſingulariter, ad expediendum certum aliquod negotium, à ſummo Principe vel Republicâ ſuperiorem non recognoſcente, ad alium ſummum Principem vel Rempublicam deſtinatur: ut proinde mirum non ſit, quòd ejuſmodi Legatus extraordinariè miſſus, fidem facere debeat de munere legationis ſuæ, quia dubitari peræquè poſſet tam de identitate & qualitate miniſtri miſſi, quàm de enixâ voluntate Domini mittentis. Atqui verò, cùm Sedes Apoſtolica non extra ordinem, non ad unum Principem, Civitatémve, non ad unum ſingulare negotium gerendum, ſed more ſemper uſitato, ad totum corpus Circuli Rhenani & Weſtphalici, cum ordinaria facultate Nuntii Apoſtolici (qui Præſidi Provinciæ, vel Proconſuli æquiparatur, & cujus officium per mortem Papæ Legantis non exſpirat, tametſi Juriſdictione necdum uti cœperit, imò Provinciam ſuam necdum ingreſſus fuerit. *Cap. 2.* juncta *Gloſſa. ℣. Declaramus. de Offic. Legat. in 6.* Reiffenſtuel *ad dict. tit. n.* 11.) de facto, ex relationibus publicis notorio, in vicem Præceſſoris Nuntii ſurrogaverit Reverendiſſimum & Excellentiſſimum Dominum Crivelli Archi-Epiſcopum Cæſareenſem, neque de identitate perſonæ miſſæ, minùs verò de voluntate Pontificis Romæ publicata, & Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino Goddard Inter-Nuntio, dudum intimata, ulli rationabile dubium ſuboriri poſſit, non eſt conceptibile; ſub quo colore, particularis aliqua Civitas, in qua altefatus Dominus Nuntius reſidere conſtituit, petere queat ſibi privativè exhiberi Pontificias litteras, cùm eum, qui certus eſt, certiorari ulteriùs non oporteat. *Reg. Jur.*

Jur. 31. *in* 6. Quod si Civitas una, ad effectum recognoscendi Apostolicæ Sedis Nuntium, prætendere posset, prævię sibi exhiberi debere litteras Papales; quidnî, pari stylo, quodvis oppidulum diversæ jurisdictionis, sub prætextu inspiciendarum Credentialium, reverentiam obedientiámque, in persona Nuntii Apostolici, summo Pontifici exhibendam, tergiversando, excutere posset? Certè (ut à minori ad majus, argumentum ducatur) potiori jure Serenissimus Princeps & Episcopus Leodiensis, in cujus Diœcesi Nuntius Apostolicus jurisdictionem sibi mandatam exercet, exigere valeret, editionem litterarum Apostolicarum, vigore, quarum, jurisdictio nomine Pontificis exercenda sit. Quis autem unquam audivit Nuntio Apostolico, intra districtum Legationis suæ, alicubi residenti, hac super re, status quæstionem motam fuisse ab ullo Principe sive sæculari sive Ecclesiastico?

Novitas itaque non admodùm laudabilis est, quòd Civitas aliqua non contenta civili insinuatione, per ministrum Reverendissimi & Excellentissimi Domini Nuntii factâ, insuper prætendat intueri litteras Papales, ad neminem in particulari, sed ad totum corpus Circuli Rhenani & Westphalici, sive generatim, ad ditiones Rheni & inferioris Germaniæ, directas.

Ad rationem dubitandi ex *Can. Nobilissimus. dist.* 97. & *Glossa* ibidem petitam, liquet responsio ex dictis. Siquidem loca omnia juris Canonici loquuntur in hypothesi, quâ Legatus non ad explicandam, more solito, jurisdictionem Papalem, in Provincias præsertim Catholicas mittitur, sed de casu singulari, quo à Pontifice Prælatus ad Regem vel Rempublicam, in finem specialis negotii expediendi, extraordinariè destinatur. Quo eventu nemo ambigit, Legatum Pontificis, mandatum, litterásque Credentiales exhibere debere. Atque hoc sensu, de litteris Credentialibus, Dominus Wicquefort celebris publicista, licet ácatholicus loquitur *dans son Traitè des Ambassadeurs, & de ses Functions.* livre 1. section 15. pag. 169. *bis verbis: Les Bulles, dont les Legats sont porteurs, leur servent & de Lettres de creance, & de pouvoir general: elles marquent leur charactere, & font connoître leur authorité & leurs facultés. C'est pourquoi, j'ai dit: que les Legats sont comme plenipotentiares, leur pouvoir étant d'autant plus grand, que par là, le Pape estend le sien* - - - - - - *Les lettres de creance sont necessaires à l'Ambassadeur, tant parce qu'elles donnent le charactere, & le font connoître* NB. *au Prince, à qui on l'envoye, que parce que sans elles, il n'est pas capable de negocier. Il est vrai, qu'elles ne sont pas si absolument necessaires, que quelque fois on ne puisse être ministre publique sans cela. Pour reparer ce defaut, il faut, qu'il soit muni de quelque autre instrument, pouvoir, procuration, passeport, ou: ce, qu'on appelle en Hollande*: Actus ad omnes populos, *qui fasse connoître & respecter sa qualité.* Eccè! quàm distinctè mox citatus Author differat de Legato, Plenipotentiario, seu Vulgò, de Ambassiatore, ad Principem quendam, certi negotii tractandi causâ misso, cui fides non adhibenda, nisi litteras Credentiales exhibuerit, vel in harum defectu, alio instrumento publico, fidem faciente, munitus sit.

Porrò, id quod ex instrumento pacis Osnabrugensis oggeritur; nihil sub recessu habet; tum quia *Innocentius. X. Pont. Max.* sese pro muneris sui Apostolici æterna memoria, opposuit, huic pacificationi, quatenus de Religionis negotio, in perniciem status Ecclesiastici, contra sacrorum Canonum jura, à paciscentibus pote-

ſtate legitimâ deſtitutis, quidpiam immutatum, tranſactúmve fuit: tum quia in eodem pacis inſtrumento, ſubſecutíſque Imperii Receſſibus, deciſum fuit; quòd Religionis, & Pontificiæ juriſdictionis exercitium, in eodem ſtatu deinceps continuari debeat, in quo reperiebatur ſubſiſtere *anno* 1624. qui eſt annus decretorius pro Cynoſura poſitus, ad diſcernendum, in quali poſſeſſione bonorum & jurium Eccleſiaſticorum, tam Ca- quàm ácatholici deinceps, donec Divinæ Providentiæ aliter placuerit, imperturbatè quieſcere debeant. Jam verò, citra controverſiam eſt; quòd ſummus Pontifex pro ſuo beneplacito, ante & poſt dictum annum 1624. ad Tractum Rheni & inferioris Germaniæ partes, ſuos miſerit Nuntios Apoſtolicos, abſque hoc, quod alicujus Civitatis, præſertim Catholicæ, Magiſtratum, per litteras Credentiales, reddiderit certiorem de qualitate & facultate perſonæ miſſæ. Nihil ergo hac in re innovandum eſt, neque ſub prætextu Superioritatis Territorialis, quæ ad temporalium gubernationem reſtricta intelligi debet, ſummi Pontificis, à Deo poteſtatem ſuam ſpiritualem in omnes Chriſti oves habentis, Authoritas, Juriſdictio, Immunitáſque, citra piaculum grande, & populi Chriſtiani ſcandalum, perturbari poteſt. Quòd, ſi qui ſecus facere & Legatos Apoſtolicos non admittere, ſeu in officio delegationis impedire præſumpſerint, ipſo facto excommunicationem incurrunt; & eorum terræ, Eccleſiaſtico interdicto ſubjiciuntur, donec reſipiſcant. *Extrav. Super gentes. de Conſuet. inter Comm.* Ita ſalvo meliore, conſultus Reſpondi, Aquiſgrani *F. Ant. Hochkirchen.*

120. Egimus hactenus de cauſis, ob quas bellum geri poteſt. Nomine autem cauſarum, non intelleximus ſolas *ſuaſorias*, à juſtificis, diſtinctas, quæ videlicet nudam utilitatem, vincendi facilitatem, bellandi oportunitatem, aut quid ſimile, præter fas, reſpiciunt; ſed duntaxat cauſas juſtas; quæ ſcilicet legitimum titulum conſtituant, & belligerantes, à peccato, immunes reddant. Vide ſupradicta *n.* 17. *& ſeqq.* Igitur juſta belli ſuſcipiendi cauſa, nulla alia eſſe poteſt, quàm *injuria*, prout docet Magnus Pater *Auguſtinus*, *lib.* 4. *De civit. Dei cap.* 4. inquiens: *iniquitas partis adverſæ, juſta bella ingerit. Remotâ* enim *juſtitiâ; quid ſunt regna, niſi magna latrocinia?* ait ibid. S. Pater. Verbo: Sola læſio enormis, vel jam illata nobis, vel jam jam certò imminens, eſt cauſa *juris*, ſeu *juſtifica* alteri bellum inferendi. Cæterùm, *denegatio officii humanitatis*, item *noxiæ* vel *innoxiæ utilitatis*, non eſt cauſa belli *juſtifica*. Itaque bellum *juſtum* eſt, quòd geritur ab eo, qui cauſam belli *juſtificam* habet: écontra bellum *injuſtum*) ratione cauſæ ſcilicet) atque *illegitimum* eſt: quod geritur ab eo, qui cauſam, belli *juſtificam* non habet. Porrò, bellum, licet ratione cauſæ *juſtificæ* maximè poſſit eſſe *juſtum*; equidem ob circumſtantias, v. g. Impotentiæ noſtræ, & præpotentiæ hoſtis noſtri, poſſet fieri minùs ſuaſorium, imò iniquum. Confer *Schierſchmid* in *elementis juris naturalis*, *ſocialis & gentium. cap.* 1. §. 312. *& ſeq. pag.* 285. *& ſeq.*

121. Cæterum; ex quibus fontibus, cauſis, ſeu capitibus, actiones naſcuntur *forenſes*; ex iiſdem & bella provenire poſſunt. Nam, ubi judicia deficiunt; ibi bella incipere ſolent. Dantur autem actiones *forenſes*, aut ob injuriam *non factam*, quæ tamen fieri timetur; aut ob injuriam *jam factam*. Ob injuriam necdum factam, competit actio, quâ petitur cautio *de non offendendo*; item *damni infecti*; competunt & *interdicta* alia, *ne vis fiat* &c. Ob injuriam verò *jam factam*, agitur; aut, ut reparetur; aut, ut puniatur. Quod reparandum.

randum venit, aut spectat id, quod *nostrum est*, vel *fuit*. In quem finem, *vindicationes* & *condictiones* quædam comparatæ sunt. Aut respicit id, quod nobis debetur, sive *ex pacto*, sive ex *maleficio*, sive ex lege. Quò & pertinent ea, quæ *ex quasi contractu*, & *quasi maleficio*, petenda veniunt, per cæteras condictiones, jure civili, introductas. Porrò, factum *ut puniendum*, parit accusationem, & judicia publica.

Ad instar igitur actionum forensium, bella justa dicuntur, quæ vel, ob defensionem, vel ob recuperationem rerum ablatarum, vel, ob persecutionem rerum nobis debitarum; vel, denique ob punitionem maleficiorum, suscipiuntur. Unde, dum Divus P. *Augustinus*, *lib. 6. quæst.* 10. *super Josue.* dixit: *Justa bella definiri solent, quæ ulciscuntur injurias*, vocem *ulciscendi*, latiùs sumpsit, ùt patet ex sequentibus, ubi non quidem injuriarum singulas species adducit; sed, quid nomine injuriæ, intelligat; exemplis indigitat, inquiens: *Sic gens & civitas petenda est, quæ vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere; quod per injuriam ablatum est.*

122. *Prima* igitur justi belli causa, est injuria nondum quidem facta, *sed facienda*, sive in corpus nostrum, sive in res nostras. Si corpus impetatur, vi præsente, cum periculo vitæ non aliter evitabili; tunc bellum esse licitum, etiam cum interfectione periculum inferentis; omnes admittunt: cùm & ex tali causa, bellum privatum, extra culpam fit. Natura enim, quemque sibi, maximè commendat, non solùm ob formalem injustitiam, aut peccatum alterius periculum inferentis; sed etiam, ob factum alterius peccato carentis; puta: si is bonâ fide militet; si is, me alium putet, quàm sim; aut, si is insaniâ aut insomniis agitatus, me invadat. Ex hoc enim, quòd alter culpâ vacet; non mihi tollitur jus, me defendendi & tuendi, non magis; quàm, si bellua mihi periculum intentaret: sufficit enim, quòd ego non tenear id, quod ille machinatur, pati. Multùm tamen falluntur & fallunt, qui metum qualemcunque, ad jus præoccupandæ interfectionis, sufficere existimant. Requiritur enim, prout diximus alibi, periculum *præsens*, & quasi in puncto, *moraliter* [cum modica latitudine] non *physicè*, accepto, veluti: si insultator arma arripiat, & quidem ita, ut appareat, cum id facere occidendi animo; tunc enim, si aliter periculum evadi nequit, præoccupari facinus poterit. An & quatenus ob injurias, quibus res nostræ privatæ impetuntur, liceat interimere raptorem, affatim dictum supra *cap. 9. n. 44. & seq.*

123. Diximus, sine causis *justificis* & *necessariis*, bellum non esse suscipiendum, tametsi verò plerique belligerantium, causis saltem *suasoriis* & *apparenter etiam justificis* moveantur; sunt tamen & alii, qui cupidine gloriæ, & alienarum opum aviditate illecti, absque alio justo titulo, alienas Provincias, nemine quid simile cogitante, invaserunt, & injustâ vi occupârunt, de quibus dici potest illud, quod à Romanis Jurisconsultis est proditum: *l. Pro hærede.* §. *ult.* & *seq. ff. De hæreditatis petitione.* scilicet: Prædonem esse eum, qui rogatus de possidendi causa, nullam aliam adfert, nisi: *quia possideat.* Audiamus Magnum *Augustinum. lib.* 4. *De civit. Dei. cap.* 6. *Inferre* (inquit) *bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos, solâ regni cupiditate conterere; quid aliud, quàm grande latrocinium, nominandum est?* Ejusdem sententiæ fuit Gentilis *Cicero. lib.* 1. *de Offic.* dicens: *Ea animi elatio, quæ cernitur in periculis & laboribus, si justitiâ vacat; nomo-*

modò virtutis non est, sed potiùs immanitatis omnem humanitatem repellentis. & *Andronicus* Rhodius: *Qui magni compendii sui causâ accipiunt, unde non oportet; hi pravi, impii, injustique appellantur, quales sunt tyranni & urbium vastatores*: de quibus ita *Philo* in Decalogum: *Qui verò furum vires nacti sunt, hi totas prædantur urbes, pœnarum securi, quòd supra leges eminere videantur. Tales sunt homines ingenio minimè civili, dominatuum & potentatûs avidi, magna furta committentes, qui pulchris nominibus Magistratuum & imperiorum, id obtegunt, quod veriùs latrocinium appelletur.* Hujusmodi alienarum ditionum invasores, Pseudopoliticorum reguntur axiomatibus, Christiano genio, indignis. Veluti:

Pro fœdere, proque justitia, est ensis. Item: *Id in summa fortuna æquius, quod validius.* Vide dicta in *Prolegomenis n.* 6. & 7. Profectò, optimi quique viri, quovis tempore censuerunt, plus, justitiæ & veritatis regulas valere debere, quàm imperium & opes terrenas. Alioquin enim nec piratis, nec latronibus, justa deficeret bellandi causa, nec deesset ipsis speciosum sceleris sui velamen; dum plura quàm possident, desiderantes, rapinis victitare & locupletari cupiunt. Quoscunque igitur non alia, quàm scelerata cupido, aliena occupandi, ad arma stimulaverit; eos meritò non Principes, sed Prædones appellaveris.

124. Postquàm, sat prolixè, de causis bellandi justis, egimus; de causis injustis, facilè judicari poterit. *Rectum* enim *obliqui* index est. Perspicuitatis tamen gratiâ, summa genera libabimus. Et quidem, quòd qualiscunque metus, ex vicina potentia, non præbeat justam belli causam, supra *n.* 114. ostensum. Idem dictum, de sola utilitate; quæ par jus non inducit cum necessitate. Neque, ubi sexûs fœminini copia est; ob negatum alibi connubium; bellum suscipi potest; quale perperàm ex hoc capite, suscepisse narratur *Darius* in *Scythas*, & *Antonius Caracalla*, in *Artabanum* Parthorum Regem: An mutandæ sedis, seu habitationis amore, puta: ut paludibus, & sterilibus plagis relictis, salubrius & fœcundius solum possideatur; bellum geri queat? QUÆRI posset; sed *negativè* Respondendum; quia, sicut non omnis fert omnia tellus; ita non omnes homines, pari conditione & felicitate gaudere debent; multò minùs, jus prætexere possunt, alienas plagas occupandi. Unde à *Tacito. lib* 4. *Hist.* non laudantur *Germani*, quòd eam ob causam; bellum gesserint. Non minùs improbum est, inventionis titulo, sibi vindicare ea, quæ ab alio tenentur, etiamsi is, qui tenet, sit improbus, de Deo malè sentiens; aut hebetis ingenii. Siquidem inventio est eorum, quæ *nullius* sunt. Neque ad dominium requiritur aut virtus moralis, aut intellectûs perfectio. Unde Græci, malè egerunt; dum ob morum diversitatem, & ingenii hebetudinem, barbaros, sibi hostes *naturaliter esse*, censebant. Alia est *quæstio* supra attacta; an, ob peccata gravissima, naturam aut societatem humanam impugnantia, dominium ab impiis auferri possit?

125. Quid? si homines singuli, aut populus integer in servitutem redactus sit? ánne, ad vindicandam libertatem, bellum gerere poterit? *Ratio dubitandi* est: quòd libertas cuivis naturaliter competere videatur. *Respondendum* tamen: nec libertatis consequendæ obtentu, licitè à servis suscipi bellum. Pro quo notandum; quòd & alibi diximus, quòd libertas jure naturali *permissivo*, & præcedente omne factum humanum, competat hominibus & populis; non verò jure naturali *præceptivo* & *absoluto*. Natura enim

fert

fert quidem, ut quis servus non sit; non verò *jubet*, ne quis servus fiat. Nam hoc sensu, nemo liber est, & fortuna, factum hominis, aut lex effecit; ut alius sit liber, alius servus. Quamobrèm, qui legitima ex causa, in servitutem sive propriè, sive impropriè dictam, devenerunt; suâ conditione contenti esse debent, docente Apostolo 1. *ad Corinth.* 7. ℣. 21.

126. Petes: An Romanorum Imperator, jus habeat sibi subjugandi remotissimos & incognitos populos, & eorum terras occupandi? *Ratio dubitandi* est; quòd Imperator interdum se vocet *mundi dominum.* Vide *l. Hostes. ff. De captivis &c.* & modernum imperium *Romano-Germanicum*, successerit in veteris Imperii Romani jura. Sed *Respondendum* est *negativè*, contra *Bartolum*, ad *dict. legem. Hostes.* Ubi illum, *hæreticum* ausus est pronuntiare, qui id negaret. Nec Obest; quòd Imperator dicatur interdum *dominus mundi*; & de populo Romano jactitatum fuerit:

Orbem jam totum Victor Romanus habebat.

Similia enim per *Antonomasiam*, & ob excellentiam Imperii, dicta intelliguntur. Adde: quòd Augustissimus Imperator *Romano-Germanicus*, licet aliis mundi Regibus & Monarchis dignitate præemineat; nequidem omnia illa possideat, quæ olim populi Romani fuerunt. Multa enim, ùt bello quæsita, ita & bello amissa sunt. Alia quoque pactionibus, alia derelictione, in aliorum populorum, aut Regum jus transierunt. Quâ de re, videri meretur *Jason* ad *l. Cunctos populos. col. 2. Cod. De Summa Trinitate. Menochius. Consil. 2. n. 102. Cardinalis Tuschus. practic. Conclus. n. 345. §. Rex Hispaniæ. Chassanæus. De gloria mundi. part. 5. consid. 28. Azor. Instit. moral. lib. 2. c. 5. p. 2.*

127. An, & quatenus, Pontifex vel Ecclesia, jus habeat in populos paganos; &, num Papa possit alteri Principi Christiano concedere facultatem occupandi gentilium regiones? habes ex dictis. *cap. 3. n. 60.*

SECTIO SEPTIMA.

An bellum, sine indictione, injustum sit?

128. Bellum publicum & solemne, ùt supra notavimus, speciali ratione, justum dici solet, non quidem semper ex causa, unde oritur, neque ex rerum gestarum magnitudine; sed ob peculiares quosdam juris effectus. Quatenus autem bellum sine prævia indictione susceptum, justum vel injustum reputari debeat; ex definitione *hostium*, optimè intelligi poterit.

129. *Hostes sunt* (inquit *Pomponius*, *in l. 1. De V. S.*) *qui nobis, aut, quibus nos publice bellum decernimus: cæteri, latrones aut prædones appellantur.* Cui consonat *Ulpianus* in *l. Hostes. ff. De captivis.* Ibi: *Hostes sunt, quibus bellum publicè populus Romanus* [quo nomine venit Rex, aut quivis populus summum habens Imperium] *decrevit, vel ipsi, populo Romano; cæteri, latrunculi vel prædones, appellantur. Et ideo, qui à latronibus captus est, servus latronum non est, nec postliminium illi necessarium est. Ab hostibus autem captus, puta: à Germanis & Parthis, & servus est hostium, postliminio, statum pristinum recuperat.* Et iterum *Ulpianus*: *l. si quis ingenuam. §. 1. ff.* eod. tit. *In civilibus dissensionibus, quamvis sæpe per eas, Respublica lædatur; non tamen in exitium Reipublicæ contenditur. Qui in alterutras partes discedent, vice hostium non sunt eorum, inter quos jura captivitatum, aut postliminiorum fuerint: & ideo captos & venumdatos, postedque manumissos, placuit supervacuò repetere à Principe ingenuitatem,*

quam

quam nulla captivitate amiserant. Præterea; ut bene observavit *Cicero*: *Philippicâ 4tâ: Ille hostis est, qui habet Rempublicam, Curiam, Ærarium, consensum & concordiam civium, & rationem aliquam, si res ita tulerit, pacis & fœderis.*

130. Sicut autem Respublica vel Civitas, non statim talis esset definit; si quid, etiam communi culpâ, admittat injustum; ita nec societas piratarum aut latronum, civitas efficitur ex eo, quòd quandam inter se æqualitatem (sine qua nullus cœtus subsistere valet) observent. Nam, hi, criminis causâ, sociantur, & turba hominum, non lege congregata; sed injustitiæ continuandæ causâ, in unum coacta, reputantur. Cives verò, etsi interdum delicto non vacent; juris tamen fruendi causâ, sociati sunt, & exteris jus reddunt, si non adæquatè juxta juris naturæ præscriptum [quod apud quosdam ferociores populos ex parte, quasi obliteratum reperitur] saltem, aut juxta mores suos; aut secundùm pacta cum aliis inita. Quare non immeritò *Ciceronem* reprehendit *Grotius. l. 3. De I. B. & P. cap. 3. §. 2.* quòd dixerit: *De Republ. 3.* ibi nedum *injustam*, sed prorsus *nullam* esse Rempublicam; *ubi injustus est Rex, ubi injusti Optimates; aut ipse populus*: quam sententiam Magnus Pater *Augustinus, lib. 19. De Civit. Dei. cap. 24.* correxit, dicens: *Nec ideo tamen, vel ipsum, non esse populum, vel ejus rem, dixerim non esse Rempublicam, quamdiu manet qualiscunque multitudinis rationalis cœtus rerum, quas diligit concordi communione sociatus.* RATIO: quia sicut corpus morbidum, corpus tamen est; ita civitas, quanquam graviter ægrota; tam diu civitas manet, quamdiu manent leges, & subsistunt judicia, ac alia, quæ necessaria sunt ad jus incolis & alienigenis reddendum.

131. Dictum; à latronibus, Prædonibus, aut Piratis captos, non fieri capientium servos, neque jure *postliminii* indigere; fieri tamen potest, ut prædonum primipili, sive *capitanei*, justi bellicuces fiant; &, ut, qui latronum societatem antea constituerant; aliud genus vitæ amplexi, Civitas fiant; prout observavit magnus, juris Naturalis & Gentium Doctor, *Augustinus. lib. 4. De Civit. Dei. cap. 4.* Ubi de Latrociniis differens, ait: *Hoc malum, si in tantum, perditorum hominum accessibus crescit, ut & loca teneat, sedes constituat, civitates occupet, populos subjuget; Regni nomen assumit.*

132. Ut speciali significatu, & quò ad singulares effectus, de quibus postea; bellum sit justum; non sufficit; quòd inter summas utrimque potestates geratur; sed necessum etiam est; ut pro re nata, publicè decretum & intimatum sit parti adversæ; ut noverit; an, pro injuriis satisfacere; an, armis ad id cogi malit? Quò respexit *Cicero. lib. 1. De Officiis.* Ita scribens: *Ast belli quidem æquitas, sanctissimè feciali, populi Romani, jure, præscripta est: ex quo intelligi datur, nullum bellum esse justum, nisi, quod aut rebus repetitis, geratur, aut denuntiatum ante sit & indictum.* Confer *Paulum Voet. De jure Milit. c. 1. n. 6.*

133. Ad decidendam propositam quæstionem, accuratè faciendum est discrimen *1mò.* Inter ea, quæ *jure naturæ* exiguntur; & inter ea, quæ quidem jus naturæ absolutè non exigit, *honesta* tamen sunt. *2dò.* Inter ea, quæ *jure Gentium*, ad effectus huic juri proprios requiruntur, & inter ea, quæ ex peculiaribus quorundam populorum institutis descendunt. Profectò, naturali jure, ubi scilicet aut vis improvisa, arcenda est; aut ab illo, qui manifestè deliquit, pœna deposcitur; nulla requiritur denuntiatio, ut meritò apud *Ælianum lib. 1. Plato* dixisse referatur; quòd bellum ad propulsandam vim susceptum, non à *Caduceatore*, sed *à natura* indicatur. Idem di-

dicendum; si res nostras, contra raptores tueri, necessum habeamus. Aliud est; si pro re una, res alia; aut pro debito pecuniario, aliud æquivalens; & multò magis, si res eorum, qui debitori subditi sunt, invaditur; tunc enim interpellatio requiritur, ut constet, alio modo non posse fieri, ut nostrum, aut nobis debitum consequamur. Jus enim illud, non *primarium* est, sed *secundarium* & *surrogatum*. Pari modo; priusquàm, Summam Potestatem habens, propter debitum aut delictum subditi, impetatur; præmittenda erit interpellatio, quæ illum constituat in culpa, ex qua aut damnum dare, aut ipse delinquere censeatur. Cæterùm, illis etiam in casibus, quibus vis de præsenti illata, confestim reprimenda non est, etsi jus naturæ non præcipiat, talem fieri interpellationem; honestè tamen & laudabiliter interponitur, videlicet; ut vel ab offendendo abstineatur; aut delictum pœnitentiâ & satisfactione expietur. Quò spectat præceptum, quod *Deuteron.* 20. Deus Hebræis dedit, ut videlicet civitatem oppugnandam, priùs ad pacem invitarent. Porrò, in iis etiam casibus, quibus requiritur denuntiatio, non peræquè requiritur, ut *clarigatio* ab utraque belligeraturorum parte fiat; quia ab una parte, facta sufficit. Unde supervacuæ observationis argumentum est, quòd bellum utrimque indictum aliquando legatur.

134. Denuntiatio autem aut *conditionatè*, aut *purè* fieri potest. *Conditionatè* fit, si belli comminatio proponatur, casu quo, injuria non fuerit reparata. *Purè* fit; si ob injurias aliter non reparabiles, bellum *absolutè* declaretur. Confer De Turcis. *Reinkingium. lib.* 2. *class.* 3. *cap.* 4.

135. Quibus cæremoniis, veteres bellum indixerint; ex *Arnobio. lib.* 2. *contr. Gent Varrone*, *De lingua Latina. Plinio*, *lib.* 22. *cap.* 12. & aliis antiquitatum relatoribus, discendum est. Græci per *Caduceum*, cum sagminibus & hasta sanguinea, bellum indicere solebant. Romani, Græcorum exemplo, primùm amicitiæ & societati, si qua intercessisset, renuntiabant; deinde, si intra triginta dies, satisfactio pro injuriis non offerebatur; iterum hasta mittebatur, tanquam indicium belli mox secuturi. Vide *Voet. loc. cit. cap.* 1. *n.* 6. *pag. mihi* 13. Verùm, hos ritus uni alteríve populo proprios, cum *jure Gentium* confundere non oportet. Scimus enim nec hujusmodi formalitates perpetuò olim fuisse observatas, nec modò observari.

136. PETES: An indicto illi bello, qui summum in populo imperium habet, simul indictum censeatur omnibus ejus non tantùm subditis, sed & extraneis confœderatis commilitantibus? RESP. *Affirmativè*: quia isti omnes sunt *accessio* ipsius. Unde, ùt *Baldus* ait: ad *l.* 2. *Cod. De Serv. n.* 70. *Diffidato Principe*, *diffidati sunt & ejus adhærentes*. Ubi NOTA: quòd *diffidare*, sit *indicere bellum*. Vide dicta *lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 77. *& seqq.*

137. Quid, si principali bello finito, quis eos adoriri velit, qui alteri adversario suppetias tulerunt? RESP. Ut in ipsos bellum *publicè* justum geratur, opus esse novâ indictione seu *clarigatione*, id est clarâ declaratione. *Ratio* est, quia populus, qui alteri suffragatus fuit, & auxilium præbuit, non potest tunc ùt *accessio* considerari; sed, ùt quid *principale*.

138. Sed, cur ad bellum publicè & jure Gentium justum, seu *irreprehensibile*, prævia requiritur denuntiatio? *Ratio* non solùm est, ne quid clam aut dolo agatur; sed, ut certò constet, haud ausu privato, sed voluntate utriusque populi, aut populi capitum, geri bellum, cui adscribi possint effectus peculiares, de quibus mox.

SECTIO OCTAVA

Quid & quantum liceat in Bello Solemni & publicè justo?

139. Certum est, illa omnia in bello solemni & justo licere, quæ boni communis necessitas postulaverit, sive circa vindicandam injuriam ab hoste illatam; sive, quò ad recuperanda bona ablata; sive, quò ad consequendam pacem & pacis securitatem. *Ratio* est; quia Princeps justum bellum gerens, est instar judicis respectu hostium, judex autem potest ea facere, quæ ad vindicandam injuriam sunt necessaria. Dein; bellum ad hoc geritur, ut fiat æqualitas & recompensatio damnorum, ad quam & ipsi hostes alioquin in conscientia tenentur. Porrò, finis belli est pax & securitas Reipublicæ. Ergo &c.

140. In bello solemni, aliquid licitum vel illicitum esse potest ex compromisso vel conventione partium belligerantium, vel nudè, ex *naturæ*, vel *Gentium jure.* Unde, cùm in materia *morali*, *media* bonitatem vel malitiam hauriant à *fine*, ad quem ordinantur, sequitur; quòd, si jure intendere possimus finem, jus etiam habeamus adhibendi media necessaria ad illum finem assequendum.

Quocirca; si vitam aliter servare non possem; licet mihi, vi qualicunque arcere eum, qui eam impetit, etiamsi fortè is, ob dementiam, vel aliter, peccato vacet. Quia jus hoc, non proprie ex peccato alterius oritur; sed ex jure, quod mihi pro me, natura concedit. Ex eadem ratione; citra culpæ alienæ considerationem, rem alienam, ex qua mihi certum periculum imminet, invadere possum, non quidem in eum finem, ut dominus ejus efficiar; hoc enim non postulat defensionis aut indemnitatis ratio; sed, ut illam tantisper custodiam, donec securitati meæ satis cautum sit. Sic sistendo in jure naturali, rem meam ab alio detentam eripere possum, aut aliud tantundem valens, si in individuo rem meam recuperare nequeo. Idem est de re, non quidem mea, sed mihi debita. Quibus casibus consequor quoque rei sic acceptæ dominium; quia alio modo, læsa æqualitas reparari nequit. Sic porrò, ubi justa est punitio, justa etiam est omnis vis, sine qua ad pœnam perveniri non potest. Quâ ratione intra justum, scilicet, qui peccato correspondeat, modum, licet res hostium corrumpere, conculcare, comburere &c.

141. Theologicè & Christianè loquendo, absque divina revelatione, non licet *per se*, & ex intentione *directa*, in bello quantumcunque justo, occidere innocentes, quanquam *per accidens*, & præter intentionem, id culpâ vacet. *Ratio prioris* desumitur ex illo *Exod.* 23. *Insontem & justum non occides.* Non enim possunt occidi ob culpam propriam, cùm, ùt supponitur, sint innocentes; neque ob culpam Reipublicæ; quia Respublica non potest puniri in suis partibus, nisi secundùm id, quod subest ejus dominio vel potestati; cujusmodi non est vita innocentium. *Ratio posterioris* est; quia alioquin sæpe nocentes, seu hostes debellari & vinci non possent. Itaque, si ad consequendam victoriam, necessùm sit v. g. turrim, vel subjecto pulvere pyrreo, vel tormentis bellicis, dejici; aut urbem concuti, in qua sunt innocentes; non peccatur hoc facto, quia insontium mors non intenditur, sed solùm non evitatur. Sic navis piratis, aut domus latronibus plena; tormentis peti potest, etiamsi intra eandem navem aut domum sint pauci infantes, mulieres, aut alioquin innocentes, quibus inde creetur periculum. *Nec*, ùt inquit Divus *P. Augustinus* ad *Public. Epist.* 154. *Reus est*

mortis

mortis alienæ, qui suæ possessioni murum circumduxit, si aliquis ex ipsorum usu percussus intereat. Equidem, non semper ex omni parte licitum est, quod summo jure permissum: sæpe enim, ùt bene observat *Grotius de I. B. & P. lib. 3. cap. 1. §. 4.* Charitas non permittit, ut summo jure utamur. Quare [inquit] etiam, quæ extra propositnm accidunt, & accidere posse prævidentur, cavenda erunt; nisi multò majus sit bonum, quò nostra actio tendit, quàm malum, id, quod metuitur; aut nisi in pari bono & malo, multò major sit spes boni, quàm mali metus, quod prudentiæ arbitrandum relinquitur; sed ita, ut semper in dubio, ad eam partem, quæ alteri magìs, quàm sibi consulit, *velut tutiorem*, inclinandum sit. Profectò, quòd sæpe inconsulto impetu, in insontes desævitum sit, scimus ex cæde, quam *Theodosiùs Thessalonicæ* fieri jussit, & quam culpam *S. Ambrosio* hortante, idem Imperator exemplariter expiavit.

Dixi: *Absque divina revelatione, innocentes trucidari non posse.* Si enim Deus author vitæ & necis ita jusserit; extra culpam erunt interfectores, quales erant Israëlitæ *Deuter. 2. Josue 6. 1. Reg. 15.* Equidem, quod Deus olim jussit, aut modo jubere posset; id nobis in exemplum mox trahendum non est, quia plenissimum illud dominii jus, quod in omnes mortales habet, nobis in alterum, *regulariter* non concessit. Quin potiùs divinæ misericordiæ recordantes, perpendere, & cordi ducere debemus; quod ipsemet Deus, hominum *suo jure* dominus, ob paucissimos bonos, parcere soleat quantumvis magnæ malorum universitati, prout *Genes. 17.* discimus ex colloquio Abrahami cum Deo, occasione *Sodomorum.*

142. Cæterùm, nomine innocentium, non tantùm veniunt pueri & infantes vel senes ad arma inepti, sed etiam presbyteri, monachi, conversi, peregrini mercatores suis mercimoniis, non autem bello vacantes; rustici item, dum versantur in agricultura: istos enim, sicut & jumenta, quibus arant, aut semina portant ad agros, congruâ securitate lætari debere, definivit *Alexander III. cap. Innovamus. De Treuga & Pace.* Hísque addi debent mulieres arma non tractantes, & alioquin insontes; itidem Clerici sacris ordinibus initiati; pauperes, Legati, seu Oratòres Principum. *can. Paternarum. & can. Illi. caus. 24. quæst. 3.*

Hujusmodi ergo personas bello non cooperantes, *per se* & ex *directa intentione* interimere non licet. Unde, licet in actuali conflictu, indiscriminatim occidi possint omnes contra pugnantes, non possunt tamen trucidari *per se* infantes etiam *Turcarum*, *Saracenorum* vel *hæreticorum*, sub prætextu, quòd in futurum immineat ab ipsis periculum. Sunt enim, quà tales, verè innocentes, neque potest quis puniri propter peccatum futurum. Malis ergo, quæ ab his in futurum timeri possent; aliis modis occurrendum erit, veluti: *exilio, servitute, spoliatione.*

143. Prædictis tamen non obstantibus, in bello justo, innocentes, qui sunt pars Reipublicæ hostilis, spoliari possunt iis rebus, quibus hostes usuri sunt adversum eos, qui gerunt justum bellum, ùt: armis, navibus, equis, annonâ &c. *Ratio:* quia aliter hostis vinci, & pax obtineri non posset. Quinimò hostium subditi, etiam aliis fortunæ bonis possent spoliari & in captivitatem duci, si alioquin pax obtineri, aut salva consistere, vel etiam condigna satisfactio extorqueri non posset. Confer *Victoriam. Relectione 6. n. 42. Valentiam. Punct. 3. De Bello. Azorium. Tom. 3. Instit. lib. 2. c. 7.*

144. Nec Obest; quòd innocentes

earum, debiti consequendi causâ, quæri poterit. Si alter damnum nondum dederit, sed dare voluerit, jus erit, rerum retentione eum cogere, ut de futuro caveat, datis obsidibus, pignoribus, aut alio modo. Quòd, si prætereà evidentissima sit hostis mei in me injustitia, & alter eum in bello iniquissimo confirmet; jam non tantùm *civiliter* tenebitur de damno, sed & *criminaliter*, ad instar illius, qui judici imminenti hominem criminosum & manifestè reum eximit. Atque eo nomine, licebit in eum statuere, quod delicto convenit. Quare & intra justum modum spoliari poterit.

148. Dictum supra, bellum *solemne* speciales habere effectus, qui bellum ex natura sua non sequuntur. Ubi sciscitari posses: an in tali bello, liceat odisse, crudeliter trucidare, & inhumaniùs tractare hostes, & indiscriminatim omnia ipsis, usque ad indusium & calceamenta, surripere? juxta illud Virgilii: *Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit*. Resolutio pendet à sano intellectu vocis *licet*. Strictè enim id *licitum* dicitur, quod est rectum ex omni parte, piúmque est, etiamsi fortè aliud quid fieri possit laudabiliùs: quo sensu locutus fuit Apostolus 1. *Corinth.* 6. dicens: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*. Sic licet Matrimonium contrahere, quanquam laudabilior sit, ex pio proposito, cælebs castitas, prout ex eodem Apostolo differit Magnus Patriarcha *Augustinus* ad *Pollentium lib.* 1. *cap.* 18. Repetere quoque nuptias licet, sed laudabilior est viduitas. Potest etiam Christianus conjux licitè relinquere conjugem Paganam, quam & licitè retinere potest, prout tradit idem S. Doctor *lib.* 1. *De adulterinis conjugiis. ad Pollentium. cap.* 13. & 18. ex quibus capitibus multa excerpsit *Gratianus* quæ retulit in causam 28*vam quæst.* 1. *Utrumque* (inquit ibid. *Augustinus*) *quidem pariter licitum est per justitiam, quæ coram Domino est: & ideo nihil horum prohibet Dominus, sed non utrumque expedit*. Alio latiore sensu, quid licere dicitur: non quòd salvâ pietate, & juxta officiorum regulas fieri possit; sed, quod factum, non subjaceat pœnæ apud homines. Sic apud multos populos, scortari licet: sic apud *Lacædemonios* & *Ægyptios* furari licebat: sic per *Legem XII. Tabb.* debitoris corpus inter creditores dividi licebat. Atque hac ratione, omnia Regibus licere dicuntur; eò quòd à nullo mortalium puniri possint. Verùm *Claudianus* Principem erudiens, rectè dixit:

Nec tibi quid LICEAT, sed quid fecisse DECEBIT, *occurrat*.

Oportet enim [inquit *Plinius* in Epistolis. *lib.* 5. *quæ sunt inhonesta, non quasi* ILLICITA, *sed quasi* PUDENDA *vitare*. & *Cicero*, pro *Balbo*. *Est enim aliquid, quod* NON OPORTEAT, *etiamsi* LICEAT. Non igitur omne, quod per leges licet, seu non punitur, æquum & justum semper est naturali aut divino jure. Quocirca, dum vulgò dicitur; in solemni bello, licere hosti, hostem lædere, & in persona & in rebus; & quidem ex utraque parte *indistinctè*, id est, etiam ex parte illorum, qui pugnant in bello *injusto*; id intelligendum est, quò ad solam impunitatem; miles enim, qui in bello etiam injusto, adversarium occidit vel spoliavit, in alieno fortè territorio deprehensus, eam ob causam tanquam homicida, aut fur, puniri non potest. *Ratio*, cur id gentium placitis inductum sit, hæc est: quia nempe inter duos populos, de jure belli, pronuntiare velle, periculosum fuit visum aliis populis, qui eâ ratione, bello alieno implicari possent. Unde *Massilienses*, in causa *Cæsaris* & *Pompeii* prudenter dicebant: neque sui judicii, neque suarum esse virium, discernere; quænam pars justiorem

rem haberet causam. Quò facit; quòd etiam in bello justo, vix satis cognosci possit ex indiciis externis, quis justus sit sese tuendi, sua recuperandi, aut pœnas exigendi modus; ut proinde satiùs videatur, hæc religioni belligerantium exigenda relinquere, quam ad aliena arbitria vocare.

149. Illa ergo in bello solemni, lædendi *licentia*, id est *impunitas*, quatenus primò ad personas porrigitur, non tantùm eos comprehendit, qui actu ipso, arma gerunt; aut, qui bellum moventis subditi sunt; sed omnes etiam, qui intra fines hostiles repęriuntur, eò quod ab illis quoque damnum metui possit. Id, quòd maximè verum, si qui peregrini commisso cognitóque bello, intra fines hostiles veniant, & hostibus se immisceant. Qui verò ante bellum, intra fines hostiles venerant, & intra tempus, quo tutò discedere potuerunt, non abivêre; videntur jure gentium, pro hostibus haberi posse. Qui autem vere subditi sunt hostium, ex causa scilicet permanente, eos jure gentium, ubivis locorum offendere licet, si ipsorum personas consideramus. Siquidem, dum alicui bellum indicitur, simul indicitur ejus populi hominibus: hostis autem, gentium jure, ubivis impeti potest, teste *Euripide*, qui dixit:

Ubicunque prensum, jura lædi hostem sinunt.

Impunè ergo interfici possunt in solo proprio, in solo hostili, in solo *nullius*, in mari. Quòd autem eos non liceat invadere, interficere aut violare, in territorio pacato; id non provenit ex ipsorum persona, sed ex jure ejus, qui ibi imperium habet. Confer *Albericum Gentilem. Hispanicarum advocationum. lib.* 1. *cap.* 6. & *Webnerum*, in *Consilio Franconico.* 92. Nam civili imperio constitui potuit, & defacto sancitum est; ne quid *per vim* agatur in eos, qui in imperantis territorio reperiuntur; sed, ut implorato judicis officio, causa examinetur. Adeóque, ubi judicia vigent, ibi personarum spectantur merita, & cessat jus illud promiscuum nocendi.

150. Diximus supra: non esse licitum, in bello utcunque justo, occidere *innocentes*; puta: mulieres, infantes &c. sed, ùt facilè advertes; ibi *tò: licitum* accepimus pro eo, quod culpâ vacat coram Deo & in conscientia, non verò pro eo, quod coram hominibus impunè habetur; seu, quod legibus non vindicatur. Etsi igitur iniquum, inhumanum, & culposum sit, hujusmodi insontes trucidare; jure tamen gentium, in bello solemni, infantium quoque & fœminarum cædes impunita relinquitur, & isto belli jure comprehenditur, saltem, si veteris temporis ferociam spectemus. Sic *Thraces* olim, sic *Macedones*, sic & *Romani*, sine discrimine, captis urbibus, etiam mulieres & pueros interfecerunt. *Tacito* quoque referente *lib.* 1. *Annal. Germanicus* Cæsar, cum vicos *Marsorum* ferro flammísque devastâsset, nec sexui, nec ætati pepercit. Quinimò *Titus* judæorum etiam pueros & fœminas, in spectaculo, feris dilaniandos objecisse dicitur.

Adeò procul olim excurrebat belligerantium licentia, ut ne senes, minùs alii captivi, exempti fuerint. Sic quinque millia captivorum, ab *Annibale* occisa leguntur. Neque gentes ferociores, ullo tempore, excludi arbitrabantur potestatem occidendi bello captos, & servos (*à servando*) quòd nempe subitò trucidati non essent, effectos. Taceo, quòd & supplices, sine miseratione interdum interempti narrentur. Unde Divus *P. Augustinus lib.* 1. *De Civit. Dei. cap.* 2. laudat *Gothos*, qui supplicibus, & in templa confugientibus

gientibus pepercerant: ***quod belli jure fieri licuisset*** [ait] ***illicitum sibi esse judicârunt.***

151. Porrò, gentium jure, qui se dedunt, nec vitam semper habent salvam; tum, quia necessariò recipi non debent; tum, quia sine ulla conditione, aut veniæ promissione, in deditionem accepti, jus non consequuntur in vitæ suæ conservationem; sed duntaxat *spem gratiæ*, arbitrio victoris, nanciscuntur. Quò facit; quòd hic mos ferè perpetuus fuerit Romanorum, in hostium duces, sive captos sive deditos, ut triumphi die, occiderentur, prout discimus ex *Cicerone. 5tâ verrinâ*; ex Historia *Livii. lib.* 28. & *Tacito*, qui *lib.* 12. *Annal.* refert: quòd *Galba* decimari jusserit, quos deprecantes in fidem acceperat. Si

152. Petas: Quo pacto, tanta ferocia defendi aut sustineri possit? Resp. Quosdam historicos hujusmodi immanitatem excusare per *pœnam Talionis*, aut per nimiam hostium captorum pertinaciam in resistendo. Verùm, hæ causæ, ùt ùt videri possint *suasoriæ*, minimè tamen sunt *justificæ*. Tum, quia *pœna Talionis* justa & propriè dicta, in eandem personam, quæ deliquit, exercenda est; quod non fit persæpe saltem, cùm plerumque capiantur illi, qui parilem ferociam non exercuerunt. Tum, quia nullus miles ob pertinaciam in resistendo, supplicio dignus est, quin potiùs virtus etiam in adversario laudanda; & tantum abest, ut in eo crimen sit; ut ècontra pro crimine habeatur, si quis è præsidio aut statione discesserit injussu belliducis. Igitur, rigor ille, apud homines aliter defendi non potest, quàm, quòd jure gentium non sit vetitus, sed maneat impunitus.

153. Quemadmodùm autem multa, *gentium jure*, permissa sunt, quæ *jure naturæ* sunt vetita; ita nonnulla vetantur, permissa *jure naturæ*. Profectò, si quem interficere liceat, nihil interest, an eum gladio vel veneno interimas, si jus naturæ spectetur. Etsi enim generosiùs sit, ita hostem occidere, ut is suî defendendi copiam habeat; equidem, qui mori meruit, aut jure occidi potest, hujusmodi generositatem absolutè prætendere nequit. Cæterum, jure gentium, olim & nunc receptum inter populos *moratiores*, ne hostem veneno interficere liceat. Atque hic mos inolevit, communis utilitatis intuitu, ne pericula bellorum aliunde sat frequentia & gravia, nimium intenderentur; præcipuè, quia alioquin, ne vitæ Regum & Principum consultum esset; utpote, quæ à veneno minùs, quàm aliorum tuta foret, nisi defenderetur aliqua juris religione & metu infamiæ. Unde communis exempli interesse, ne tale clandestinum scelus admittatur, ajebant Consules Romani, in Epistola ad ***Pyrrhum***, quam recitat *Gellius, lib.* 3. *cap.* 8. ut meritò dixerit *Valerius Maximus; lib.* 5. *armis bella, non venenis geri debere.* Quare dum ex *Vegetio*, *Baldus lib.* 2. *Consil.* 188. asserit: licitum fore, hostem veneno è medio tollere, merum jus naturæ respexit, non verò illud, quod gentium consensu inductum est.

154. Rogabis: An licitum sit, spicula, gladios, globósve sclopetorum, veneno inficere? Resp. Hoc quoque esse contra *jus gentium*, non quidem *universale*, sed gentium saltem *Europæarum* & aliarum *moratiorum*. Etsi enim *Gethæ*, teste *Ovidio*; *Parthi*, *Lucano* narrante, *Scythæ* observante *Plinio*; aliæque olim & nunc fortassis nationes planè barbaræ, venenis arma sua inficere consueverint, ut irremediabilia vulnera hosti inferrent, & geminarent mortis causas; ea tamen crudelitas, cultioribus populis exosa habetur, nec absque infamia usurpatur.

155. An fontes, rivos seu flumina veneno

neno inficere licet isto belli jure? Resp. Non videri licitum, fontes, unde homines communiter bibunt, veneno inficere. *Ratio*; ne in infinitum extendantur in quoscunque pericula. Quòd, si absque veneno, fontes, rivi aut flumina ita solùm corrumperentur, ut bibi non possent; v. g. ob acorem, salsedinem, fœtorem &c. non videretur hoc esse prohibitum; quia id perinde haberetur, ac si avertatur flumen, aut fontis venæ intercipiantur, quod naturali & gentium jure non apparet vetitum.

156. An immisso clam percussore, *jure gentium*, hostem inopinatò trucidare licet? Resp. Sub distinctione: aut percussores hujusmodi violant fidem expressam tacitámve, aut nulla tenentur fide? Si primum; nullatenus operâ talium hominum uti licet, ad occidendum v. g. Regem suum, ad trucidandum proprium belliducem; ad interficiendum eos, à quibus vitæ gratiam aut asylum consecuti sunt. *Ratio* est: quia hujusmodi percussores, *quorum facto perfidia inest* contra jus gentium agunt, proinde & illi, in jus illud delinquunt, qui tali perfidiâ utuntur ad trucidendum hostem. *Ratio rationis* est eadem, quam mox de veneno attulimus, ne nimium intenderentur pericula eorum maximè, qui militibus stipati, facilè apertâ vi occidi nequeunt; quales sunt Reges ipsi, aut in eminentiore gradu constituti. Igitur in bello solemni, aut inter eos, qui belli solemnis indicendi jus habent, id non licet: adeóque consules Romani olim bene ad *Pyrrhum* scripserunt: *Communis exempli & fidei visum est; ut* TE *salvum velimus.* & *Seneca* in *Tragœdia*: *Regi tuenda est maximè Regum salus.* Ita quidem ratiocinatur *Grotius De J. B. & P. lib.* 3. *cap.* 4. §. 18. Supra tamen *cap.* 1. *n.* 21. & 22. discernendum dixit: num quis subditum impellat ad violandam Principi suo datam fidem; num verò quis sponte sese obtulerit. Primo casu, ait illicitè agi; cùm non minùs ille delinquat, qui ad enorme crimen aliquem commoverit, quàm, si illud ipse commisisset. Secundo casu, ait, oblato spontè non expetito proditoris auxilio uti, non fore divinis legibus inhibitum, nec improbatum populorum consuetudine. Vide *Joannem Voët loc. cit. n.* 31. Si secundùm, omninò id gentium jure licebit. Sic *Pipinus*, *Caroli Magni* parens, uno comitatus satellite, trajecto Rheno, hostem in cubiculo interfecisse narratur. *Ratio*: quia non solùm jure naturæ, sed & gentium, hostem ubivis, & quovis stratagemate, occidere licet, & talia facta tanquam fortiter gesta, passim ab historicis laudantur. Neque tantùm, qui ausu adeò intrepidò hostem occiderunt; sed, & qui illorum operâ usi fuerunt, jure gentium inculpati habentur. Nec obest, quòd tales percussores deprehensi acerbissimis suppliciis affici soleant. Nam hoc non exinde venit, quòd in jus gentium deliquerint; sed, quia eodem *jure gentium* vicissim in hostes sic deprehensos quidvis licet; &, quia belligerantes, gravius aut levius malum, pro sua utilitate, aut aliorum terrore, in hostem statuunt.

157. An, in solemni bello, etiam stupra permissa in hostium fœminas? Ita arbitrati fuêre efferati quidam populi, qui armis subjacére putârunt, quidquid hostile est, adeóque nec injuriam posse committi in corpora captarum fœminarum; verùm saniùs judicant cultiores populi, qui non solam injuriam, sed efferatæ libidinis actum animo volverunt, perpendendo; quòd is neque ad securitatem pertineat, neque ad pœnam; ac proinde non bello magis, quàm pace, impunitus esse debeat. Unde gentes moratiores, jure vetitum esse censuerunt, alienis abuti mu-

mulieribus. Sic *Marcellus* priùsquam *Syracusas* caperet, teste *Magno P. Augustino lib.* 2. *De Civit. Dei*, curam gessit pudicitiæ etiam in hoste servandæ. Atque hanc continentiam inter Christianos servari omnino decet & oportet, non tantùm, ùt disciplinæ militaris partem; sed & ùt partem juris gentium; ita, ut qui pudicitiam vi læsit, quamvis in bello; ubique pœnæ sit obnoxius. Hanc ob caussam *Chosroës* Persarum Rex, referente *Procopio: Persicorum lib.* 2. laudatur, quòd eum, qui *Apameæ* puellæ vim attulerat, crucifigi mandaverit.

158. Vidimus de iis, quæ victores in corpora hostium subjugatorum possunt, vel non possunt, jure gentium *permissivo*. Si enim justitiam *internam* coram Deo, & æquitatem spectemus; fatendum est cum *Cicerone*: *lib.* 1. *De Offic.* esse *quædam officia, quæ etiam adversus eos servanda, à quibus injuriam acceperis. Est enim ulciscendi & puniendi modus.* Itaque spectatâ justitiâ *internâ* & naturali, prout supra *n.* 141. *& seq.* exposuimus; ex proposito, nemo justè interfici potest, nisi in pœnam interfici mereatur; aut, nisi alioquin vitam & res nostras tueri non valeamus; quanquam illud ipsum, ob res caducas, ex mente Divi Patris *Augustini*, justè non fieri videatur, aut saltem lege charitatis vetante, committi non debeat. Pœna autem, ut justa sit, opus est, ut ipse, qui interficitur ita deliquerit, ut propter crimen, ab æquo judice, ad ultimum supplicium condemnari possit. Ex quo resultat: quòd ob infortunium, ob coactam militiam *&c.* nemo ab hoste captus, rectè interfici queat. Sicut enim par est eos puniri, qui datâ operâ &, sponte injuriam inferunt; ita æquum est ignosci his, qui ad militiam coacti, præter voluntatem suam, peccant. Mitiùs quoque puniendi sunt, qui culpâ, id est ignaviâ aut negligentiâ, quàm qui dolo & versutiâ deliquerunt. Quò facit illud *Marciani* in *l. Perspiciendum. ff. De pœnis*: Delinquitur: aut *proposito*, aut *impetu*, aut *casu*. *Proposito* delinquunt latrones, qui factionem habent: *impetu* autem, cùm per ebrietatem, ad manus aut ferrum venitur: *casu* verò; cùm in venando, telum in feram missum, hominem interfecit. Porrò mera infortunia, quæ prævideri non potuerunt, nec pœnam merentur, nec ad restitutionem damni obligant. Actiones autem *formaliter* injustæ, & pœnam inducunt, & ad damni dati resarcitionem stringunt. Culpa autem inter casum *merè fortuitum*, & actum *formaliter* injustum, media, licet obnoxia sit restitutioni, pœnam tamen sæpe non meretur præsertim capitalem.

159. Circa jus interficiendi hostes subactos, discrimen faciendum inter illos, qui authores belli fuerunt; & illos, qui belliduces secuti sunt: hi enim mitiùs quàm priores, tractandi sunt. Quinimò in ipsis quoque belli authoribus, distinguendæ sunt causæ: sunt enim quædam non quidem in se justæ, apparenter tamen rationabiles. Veluti: si non odio, neque crudelitate, sed officio & recto studio, susceptum suasúmve fuerit bellum. Sic magnanimus Princeps (inquit *Seneca*: *lib.* 2. *De clementia. cap.* 7.) *Hostes dimittet salvos, aliquando etiam laudatos, si honestis causis, pro fide, pro fœdere, pro libertate, in bellum accincti sunt.* Unde, si quis ob fidem juratò datam, si fœderis, & promissi vicissim auxilii causâ, si consanguinitatis intuitu, si ob dubiam belli causam; aut errorem probabilem; alteri suppetias tulerit; militem subministraverit; annonam suppeditaverit; non ideo, victus extrema meretur supplicia, sed victoris clementiam & discretionem. Et licet justitia non exigat, sæpe tamen convenit

benignitati, convenit modestiæ; convenit animo excelso; ut supplicibus venia detur, exemplo Elephantum, Leonum, & generosarum aliarum ferarum, quæ mordere non solent animalia abjectiora. Igitur, si Princeps in bello victor, non id quod leges humanæ permittunt, & coram mundo impunè habetur; sed, quod sui est officii, quódque coram Deo justum piúmque est, consideraverit; parcet etiam hostili sanguini, neminíque mortem inferet, nisi ob propria delicta illud supplicium meritus fuerit: aut nisi Princeps ipse (idem est de alio pugnante) aliter vitæ suæ incolumitati consulere, aut victoriam consequi non potuerit, prout supra dictum.

160. Pari ratione, jure naturali, & ex justitia *interna*, parcendum est pueris & fœminis, nisi hæ aliquid peculiariter vindicandum admiserint, aut virilia officia & ipsæ usurpent, ùt de *Amazonibus* jactitatum. Est enim fœmineus sexus, ùt *Statius* loquitur *rudis insciúsque ferri*. Idem obtinet in maribus illis, quorum vitæ genus ab armis alienum est. Unde Philistæi, hostes judæorum, non nocuerunt collegio Prophetarum, quod erat *Gabæ*, ùt liquet ex 1. *Samuelis. cap.* 10. ℣. 5. *&* 10. & *Gothi* à *Procopio lib.* 2. *Gothicorum.* laudantur: quòd sacerdotibus *Petri & Pauli* extra Romam, pepercerint. Sacerdotibus hac in parte, æquantur, qui à mundanis negotiis abstracti, monasticam vitam amplexi sunt. His enim sacri *Canones* naturalem æquitatem secuti, parci volunt, ùt supra annotavimus. His adduntur 1*mò*. illi, qui studiis litterarum honestis & humano generi utilibus, operam navant. 2*dò*. Agricolæ. 3*tiò*. Mercatores, sive temporariam in hostico moram trahant; sive sint subditi hostium perpetui. Nam & horum vita ab armis aliena est, ac sub hoc nomine, ex identitatis ratione, comprehenduntur & alii opifices & artifices, quorum quæstus pacem amat, non bellum.

161. Quòd, si etiam loquamur de iis, qui arma gesserunt; æquum est, ut iis victis & captis vita relinquatur. Nam, ùt ait Divus *P. Augustinus : Ad Bonifacium. Epist.* 1. *Hostem pugnantem necessitas perimat, non voluntas. Sicut bellanti & resistenti violentia redditur, ita victo & capto misericordia jam debetur; maximè, in quo pacis perturbatio non timetur*. Igitur, qui ne captivis parcunt, contra æqui & boni naturam agunt, & indubitanter coram Deo delinquunt. Cæterùm, sicut victis & captis vita relinquenda, ita sive in prælio, sive in obsidione, non est repudianda deditio hostium, neque in deditos strages exercenda, id quod verum est, licet ad extremum usque, hostis pertinaciter restiterit, & ad deditionem, ex necessitate, compulsus fuerit; humaniùs enim est servare supplices; quod agnovit *Cicero: lib.* 1 *offic.* inquiens*: Ii qui armis positis, ad Imperatorum fidem confugiunt, quamvis murum aries percusserit, recipiendi*. Quininimò Hebræi interpretes notant, majoribus suis, in more fuisse; ut quam oppugnarent urbem, eam non cingerent coronâ, sed partem liberam relinquerent effugere volentibus, quò cum minori sanguinis effusione, res perageretur. Sic *Scipio Æmilianus* cùm Carthaginem eversurus esset, edixisse fertur; ut, qui vellent, fugerent. Porrò, dicta, ex æquitate naturali, procedunt & obtinent, etiam in iis, qui sine conditionibus, gratiæ & arbitrio victoris sese submiserunt & supplices fiunt. Nam trucidare deditos, sævum censuit *Tacitus lib.* 12. *Annal.* imò contra jus belli, *naturale* scilicet, id rati sunt, *Salustius* & *Livius*. Quamobrèm, laborandum potiùs, ut hostis metu ad deditionem cogatur, quàm ut interficiatur. Si

162. Dicas*:* Interdum ab hostibus

Tu-

Talionem exigi posse, aliquando etiam terrore concuti debere alios, ne pertinaciter resistant. Resp. Has exceptiones contra æquitatis & juris naturalis præcepta, nil penitus operari, nec justificare cædem. Neque à captivis deditis, aut dedere se cupientibus, regulariter periculum imminet; quare, ut occidantur justè, oportet, crimen antecedat, & quidem tale, quod æquus judex morte vindicandum censeret. Qua de causa aliquando in captos aut deditos, sævitum legimus; aut deditionem *sub vitæ pacto* haud acceptam. Puta: si qui de injustitia belli liquidò convicti, nihilominus temerariè in armis perstitissent, & cladem causâssent: si immanibus convitiis famam hostis lacerâssent; si fidem, aut aliud jus gentium violâssent; si transfugæ aut perduelles essent. Ast *Talionis* natura, ùt supra dictum, non fert; ut in alios, quàm ipsos delinquentes sæviatur. Nec ad inferendam *Talionem* sufficit, quòd probi cum improbis, insontes cum iis, qui deliquerunt, factione quadam & aggregatione, unum corpus efficiant; nam, ùt ùt hoc, civili & morali sensu, verum sit; fallit tamen in pœnis, propter personalia delicta infligendis, quia pœnæ *suos* tenere, & non egredi debent *authores*. Quare *Plutarchus* hoc nomine meritò arguit *Syracusanos*, quod *Hicetæ* uxores ac liberos ideo duntaxat occiderint; quia *Hicetas*, *Dionis* uxorem, sororem & filium interfecerat. Sed nec utilitas, quæ ex incutiendo aliis terrore speratur, jus dat perpetrandæ cædis, quia citra cædis crudelitatem, aliis modis deterreri possunt hostes futuri. Omnium minimè verò hostes capti vel dediti, mortis merentur supplicium, ideo quòd pertinaciùs restiterint, & fideliùs Principi suo militaverint; dummodò non sciverint bellum fuisse ex parte Principis sui injustum, aut non patraverint talia delicta, quæ aliunde per justam judicis sententiam, morte puniri possent, Porrò, crudelitatis plena est ea hostium superatorum cædes, quæ ob dolorem, ex accepta priùs clade, infertur. Unde laudandi non sunt *Achilles*, *Æneas* & *Alexander*, quòd amicis suis, qui in bello occubuerant, sanguine captorum aut se dedentium, parentaverint.

163 Quòd si multitudo peccaverit, & quid morte dignum patraverit; aliquid de summo jure remitti convenit. Hujus misericordiæ & clementiæ exemplum habetur in ipso Deo, qui *Chananæis* eórúmque vicinis populis longè flagitiosissimis, pacem offerri voluit, quæ vitam ipsis, sub tributaria conditione, concederet. Ut bene dixerit *Seneca*: *lib.* 2. *De Ira. cap.* 10. *In singulos severitas Imperatoris distringitur: at necessaria est venia, ubi totus deseruit exercitus. Quid tollit iram sapientis? turba peccantium.* Mitiùs enim, ùt docet Divus *P. Augustinus, epist.* 64 agendum est *cum multitudine peccantium, severitas autem exercenda est in peccata paucorum.* Unde, *ne nimium multi pœnam subirent, sortitio comparata est*, inquit *Cicero*: *Orat. pro Cluentio.* Confer hac de re *Gailium. De pac. publica. lib.* 2 *cap.* 9 & 36. Si

164. Roges: An obsides propter perfidiam aut peccatum aliud civitatis, occidi possint? Resp. *Negativè*. Cùm enim verior sapientia suggerat, soli Deo dominium in vitam esse reservatum; sequitur, quòd nemo alteri, ex solo consensu suo, possit dare jus in vitam suam, aut civis sui. Unde, cùm obsidis vita non fuerit obstricta illi, apud quem quasi pignori est; utique nec ipse pro delicto civitatis suæ, occidi poterit. Quamobrèm *Narseti* bono duci, atrox visum, de innoxiis obsidibus supplicium sumere: & eandem ob causam, *Livius. lib.* 28. laudat *Scipionem*, qui ajebat: *Se non in obsides innoxios, sed in ipsos, qui defecissent, sæviturum, nec ab inermi, sed ab armato hoste, pœnas exp[illegible]turum.*

Neque Dicas: moribus firmari,seu approbari posse talem conventionem, ut obsides occidere liceat, si ex parte dantis obsides, pacta non serventur. Nec inquam hoc *dicas*; ùt ùt enim talis conventio jus pariat impunitatis coram hominibus; falluntur, tamen & periculosâ authoritate alios fallunt, qui illos à peccato, coram Deo, immunes jactitant, qui intuitu hujusmodi conventionis, obsidi vitam auferrent. Aliud est, si is, qui obses venit, sit, aut ante fuerit in numero graviter delinquentium, aut posteà fidem à se datam, in re,gravis momenti, fefellit. Tali enim casu, utique fieri posset, ut supplicium ejus,injuriâ & culpâ inferentis vacet.Confer *Francisc.Victoriam.De jure belli. n.* 43.

165. Postremò, hìc observandum: singulares provocationes, & commissiones, quæ ad jus consequendum,aut bellum finiendum nullius sunt usûs, sed generositatis & virium ostentationis gratiâ, fiunt; non congruere officio hominis Christiani, sed potiùs ipsi humanitati repugnare. Quamobrèm, belliduces seriò prohibere debent hujusmodi singulares provocationes & dimicationes, sanguinis inutiliter fusi, ei rationem reddituri, cujus vice gladium portant. Unde *Demetrium* meritò reprehendit *Plutarchus*,quod gloriæ magìs studio, quàm ex utilitate, milites in pericula truderet, præliisque objiceret.

Vidimus, quo temperamento, Victori præsertim Christiano, utendum sit contra hostes victos aut deditos; dispiciamus nunc, quâ ratione liceat res hostium eripere, devastare aut corrumpere?

166. Cùm jure Gentium permissum, id est, impunè habitum sit: hostem interficere; mirum non est, si illo jure, licitum sit rapere & corrumpere res hostiles, ne exceptis quidem sacris aut Deo dicatis. Nam; ut *Pomponius* ait: *l. Cùm loca. ff. De religios. &c. Cùm loca capta sunt ab hostibus, omnia desinunt sacra esse. Ratio* Jurisconsulti istius est; quòd, quæ sacra dicuntur, reverà non eripiantur humanis usibus, sed publica reputentur, sacra autem solùm nominentur,à fine,cui destinata sunt; adeò, ut, cùm quis populus alteri populo aut Regi se dedit, tunc insimul dedere censeatur ea, quæ divina dicuntur, quo sensu *Ulpianus* dixit: jus publicum, *etiam in sacris consistere*. Atque idipsum non obscurè insinuant Jurisconsulti *Paulus* & *Venulejus*: *l. Inter stipulationem. §. Sacrum* & *l. continuus. §. cum quis ff. De verb. obligat.* Ubi ajunt: populum ipsum, mutatâ voluntate, posse ex sacro, profanum facere, prout temporum necessitate, in belli usus, res sacras, ab his qui sacraverant, conversas legimus,sub pollicitatione restituendi tantundem. Quinimò Deorum donaria, capi à victoribus solere, notavit *Pausanias. lib.* 8. *& Cicero*: *Verrina 3tiâ belli legem* id dixit. Sic *Livius,lib.*25 Templorum ornamenta,quæ *Syracusis*,Marcellus *Romam* advexit, *parta* ait *belli jure*. Equidem ipsi Gentiles, nefas esse rati sunt, violare, aut corrumpere simulacrum aliquod, cui *Numen aliquod inesse credebant*; qua ratione, impietatis,aut læsi etiam Gentium juris, interdum accusati leguntur, qui talia commiserunt, nimirum ex opinionis,licet erroneæ, suppositione. Aliud est, si hostes, non idem sentiant: sicut Judæis non permissum tantùm, sed & præceptum fuit, *Deuteron.*7. Gentium simulacra abolere. Neque Obstat: quòd confractas Deorum statuas, secum ferre, ipsis fuerit vetitum: ideo enim id Deus jussit, ut tantò magìs Hebræi,superstitiones Gentium detestarentur, impuritatis admoniti, ipso contactûs interdicto; non verò, ut eorum Gentilium sacris parceretur. Sciebant quippe Hebræi, Dei certissimo monitu, in simulacris illis non habitare aut Dei Spiritum, aut bonos Angelos, aut vim astro-

rum;

rum; prout deceptæ Gentes existimabant, sed pravos & humano generi infestos Dæmones, ut rectè dixerit *Tacitus, lib.* 5 in Judæorum institutis describendis: *profana illic omnia, quæ apud nos sacra.* Non mirum ergo, si templa profani cultûs, à *Machabæis* incensa non semel legimus. *Machab.* 5. & 10. Huc facit: quòd narrante *Divo Patre Augustino, De Civit. Dei. lib.* 18. *cap.* 45. Templum Judæorum, à cujus limine omnes, præter Sacerdotes, arcebantur; *Victor non devotione supplicis, sed jure victoris*, ingressus fuerit. Quia Romani nihil in eo, contra jus Gentium fieri censebant. Unde & idem templum excidio datum à *Tito*, memorat *Josephus Flavius. De bello jud. lib.* 6 *cap.* 24 & 34.

167. Sicut autem Gentium jure, dicto modo, sacra profanare impunè habitum; ita à fortiori, permissum, *loca religiosa* subvertere. Nam hæc quoque non mortuorum, sed viventium, sive populi aut alicujus familiæ, propria sunt humandis cadaveribus destinata. Proinde, sicut sacra loca ab hostibus capta, ita & religiosa, hujusmodi eventu, talia esse; desinere censuerunt *Pomponius* & *Paulus JCti* in *l. Sepulchra. ff. De Sepulchro violat.* ibi: *Sepulchra hostium, religiosa nobis non sunt; ideòque lapides inde sublatos, in quemvis usum convertere possumus.* Dummodò tamen mortuorum corpora probrosè non tractentur; quia id foret contra jus hominum sepeliendorum moribus Gentium comprobatum.

168. Hæc ita Gentium jure, quo minora aut frequentia delicta, connivendo, tolerantur; sicut leges civiles, lupanaria & improba fœnora sæpe relinquunt impunita. Si tamen oculos animúmque ad juris naturalis tramitem internámque coram Deo justitiam, Christiano modo, convertamus; concludere oportet, quòd, ut res alterius, sine injuria aut culpa auferri vel destrui possit, unum ex his tribus antecedere necesse sit: nimirum 1mò. Aut necessitas talis, quæ in prima dominii institutione aut rerum divisione, excepta intelligatur: aut 2dò. debitum aliquod procedens ex inæqualitate: nimirum, ut res alterius destructa, imputetur in illud debitum, *quasi percepta*, & quasi exinde debitum foret exstinctum. Aut 3tiò: Delictum aliquod, cui pœna talis correspondeat. Nam, ut propter pecora abacta, aut domos aliquot incensas, totum regnum vastetur; æquitati repugnat. In bello enim, in infinitum porrigi non debet pœna, sed eò usque tantùm, ut delicta æquo modo expientur. Confer *Franc. Victoriam. De jure belli: n.* 52. & 56. Itaque; una ex tribus causis istis, facit abesse injuriam; quanquam, nisi subsit utilitas, stultum sit, nullo suo bono, nocere alteri. Unde, saltem à reatu culpæ, non eximuntur, qui talia ex odio magis, quàm prudenti ratione agunt.

169. Exculpandus autem ille, qui itarem frugiferam occupat & tenet, ne hosti fructum aut annonam adferat, & ita ob inopiam, ad deditionem vel pacem compellatur. Quò propriè collimat lex divina, quæ in vallum, bellíque opera, vult impendi arbores feras, frugiferas verò asservari ad victum; ex ratione: quòd non ùt homines, ita & arbores adversum nos in prælium consurgere possint. Divinam istam legem expendens *Philo*: *De creat.* sic egregiè scribit: *Quid rebus inanimis, quæ & mites sunt, & mites fructus ferunt, irasceris? An verò in morem hominum, qui hostes sunt, inimicitiæ significationem arbores produnt, ut pro his, quæ faciunt aut facere minantur, stirpitus evellendæ sint? Quin prosunt victoribus, præbéntque copiam rerum, quas necessitas exigit, imò & ad voluptatem. Non soli homines tributa ferunt, sed meliora arbores, statis temporibus, ac talia, ut sine iis, vivere non detur.*

tur. Alium ejusdem Philonis, *De humanitate.* præclarum discursum *Grotius*, è græco, in latinum transtulit, quem ob singularem præstantiam, non piget hîc transcribere. *Æquitatem [inquit] suam etiam largiùs dispensans Moyses, valde ed ubertim ac liberaliter utitur, descendens à ratione utentibus, ad muta animantia, ab his verò ad ea, quæ è terra nascuntur, de quibus nunc dicendum est, quando de hominibus ùt præstantissimis, & aliis, quæ animam sentientem nacta sunt, jam egimus. Disertè itaque vetuit; aut exscindere arbores mites, aut exitialiter ante tempus demetere frugiferas terras, aut ullos omnino fructus corrumpere, ut abundantia alimentorum instruatur humanum genus; abundent autem non modò necessaria; sed &, quæ ad vitam delicatiorem faciunt. Necessariæ enim fruges, ad homines nutriendos, seposita res: ad delicias verò omnium, de arboribus nascentium varietas, quæ sæpe, ubi alia deficiunt, succedunt in alimentorum locum. Ultra procedens, terram etiam hostium vastari non sinit: præcipuè verò excidiis arborum abstineri jubet, iniquum existimans, iram in homines conceptam erogari in ea, quæ causa mali nullius sunt. Hoc ipso & illud docet, non præsens tempus spectare tantùm, cùm nihil in suo statu maneat; sed cuncta vicibus ac mutationibns subjecta sint; ita ut facilè sit eos, qui nunc sunt hostes, ubi ad colloquia & pacta ventum erit, rursum fœderatos fieri. At amicos necessariis fraudare, durum, quibus ob futurum incertum, etiam asservari debuerant, quæ usui esse possunt. Verissimè enim dictum antiquis; ita amicis utendum, ut non putentur nullæ supervenire posse inimicitiæ, & ita tractandas offensas, ut amicitia speretur; nimirum, ut quisque intra animum aliquid recondat, quo tutus sit; & non eo nimium nudato per verba & facta, mox pœnitentiam agat nimiæ suæ vehementiæ, séque accuset, ubi res sanari ampliùs non potest. Oraculum hoc & civitatibus observandum est, ut pacis tempore parent, quæ ad bellum sunt opus, in bello verò, quæ ad pacem, ac neque amicis supra modum fidant, tanquam qui non possint in contrarium verti, neque hostibus ita diffidant, quasi nunquam possint ad amicitiam reduci. Quòd si nihil etiam pro hoste faciendum esset in spem conciliationis, certè nihil eorum, quæ terra fert hostile, quin amica omnia, utilia omnia, mitissima verò vel maximè necessaria, ut quorum fructus aut alimentum sint, aut par aliquid alimento. Non oportet bellum inferre belli nesciis, non secare, non urere, non extirpare radicicitus, quæ natura, aquarum irrigationibus & æstatum sereno, tenerè educavit, ut tributa hominibus velut Regibus ferrent. Cura autem ei, ut communi rerum omnium & optimo præsidi fuit, illæsam præstare non animantibus tantùm, sed & terræ fœtibus vim ac robur, præsertim verò mitibus, quia majoris tutelæ indigent, nec ad sylvestrium morem fœcunda sunt, sed peritam culturam desiderant, ut firmitatem consequantur.* Unde licet à Corinthiis fœdè tractati fuerint Romanorum Legati, Corinthum tamen excisum, non probat *Cicero. lib.* 1. *Offic.* quinimò *Pro domo sua. Ad Pont. horrificum, nefarium, omni imbutum odio* dicit *bellum istud, quod parietibus, tectis, columnis & postibus infertur.* Egregiam hujus argumenti epistolam *Bellisarii* ad *Totilam*, è Græco latinè reddidit *Grotius.* En ejus particulam: *Antehac sic existimatum est: speciosa struere opera, sapientum esse, & civilis vitæ scientium: structa demoliri, stultorum, & vecordis animi signa ad posteros transmittere non erubescentium. Romam constat urbium, quas sol aspicit, maximam esse ac spectatu dignissimam. Ea non unius labore hominis, nec brevi tempore ad id magnitudinis splendorisque processit, sed plurimi Reges atque Imperatores*

tores

tores, virorum eminentium immensa series, multa sæcula, divitiarum immensa congeries, tum alia, tum artificum primos huc traxêre, ita illi tantâ urbe paulatim effectâ, monumenta suæ virtutis post futuris reliquêre. Quare in eam sævire, id verè injuriam fit facere humano Generi, omnis ævi, eripiendo iis, qui olim fuêre, debitæ laudis memoriam, venturis verò spectaculi voluptatem. Hæc, cùm eum in modum se habeant; cogita de duobus alterum necessariò futurum: ut aut in hoc bello vincaris ab Imperatore, aut tua fortuna sit superior. Si tu victor; eversâ urbe, non aliena, sed tua perdideris: eâdem servatâ, possessione frueris omnium speciosissimâ. Si adversa tibi sors ceciderit, Româ per te incolumi, reposita tibi erit apud Victorem gratia: eâdem jacente, jacebunt extra omnem spem misericordiæ, res tuæ. Neque tantùm nullus ad te, facti fructus redibit; sed & digna facto fama, te ab hominibus universis sequetur. Ita *Bellisarius.*

170. Dices. Ex *Josue cap.* 6. & 2. *Reg. cap.* 3. Scimus, urbes quasdam à Deo damnatas excidio, imò arbores *Moabitarum* jussas fuisse exscindi. Ergo &c. Resp. Id non fuisse factum odio hostili, sed in justam detestationem facinorum, quæ aut palàm erant cognita, aut Deo judice, tanti æstimata.

171. Absque justa ratione, etiam quis sata, aut alimenta hostium destruxerit; si aliunde habeant, unde se sustentare queant: puta; si mare, si fines alii pateant Tali ergo statu, optimum factu, ut agricultura, etiam in ipso collimitio, tuta relinquatur, tributo vicinis imposito, sicut nupero hoc bello, hinc inde factum scimus. Atque hos mores, humanitatis magistri, sacri *Canones*, Christianis omnibus imitandos proponunt: *cap.* 2 *De Treuga & Pace.* Ideoque non agricolas tantùm, sed & animalia, quibus arant, ac semina, quæ ad agrum portant, extra prædæ periculum poni volunt; planè, sicut leges civiles vetant in pignus capi, quæ ad arandum sunt necessaria. *l. Executores. C. quæ res pign.* Quædam, res ita naturâ, comparatæ sunt. Ut ad bellum faciendum, continuandúmve nihil momenti habeant; adeóque hujusmodi rebus, durante etiam bello, utrimq; parcendum esse, humanitatis suadet ratio. Nam rabiosi animi est ea perdere, quæ perdita, nec hosti vires adimant, nec perdenti emolumentum adferant. Unde *Marcellum* laudat *Cicero: Verrinâ* 2*dâ.* Quia *ædificiis omnibus Syracusarum publicis & privatis, sacris & profanis sic pepercit, quasi ad ea defendenda, cum exercitu, non expugnanda, venisset.*

172. Sicut autem eam ob causam, hujusmodi rebus parcendum; ita ex specialiori ratione, non violandæ res sacris usibus dedicatæ. Quanquam enim talia, suo modo publica, veteribus JC*tis* audiant; atque ideò impunè, jure Gentium, violentur & rapiantur; equidem, si nullum inde periculum immineat, conservari talia ædificia & quæ eis insunt & accedunt, suadet rerum divinarum reverentia, inter eos maximè, qui eundem Deum, ex eadem lege colunt, etiamsi fortè sententiis quibusdam aut ritibus diffideant. Unde Franci, Græcorum templis pepercisse olim leguntur, eò quòd cum Græcis, ejusdem essent religionis. Imò & hominibus in Templa confugientibus, ob Divini Numinis reverentiam, parci solitum, discimus ex Divo Patre *Augustino. lib.* 1. *De Civitate Dei*, ubi eam ob causam laudat Gothos his verbis: *Testantur hoc martyrum loca & Basilicæ Apostolorum, quæ in illa vastatione victos ad se confugientes, suos alienósque receperunt. Huc usque cruentus sæviebat inimicus: ibi accipiebat limitem trucidationis furor: illò ducebantur à miserantibus hostibus, qui etiam extra ipsa loca pepercerant, ne in eos incurrerent, qui similem misericordiam non haberent:*

rent: qui tamen ipsi alibi truces, atque hostili more sævientes, posteaquàm ad loca illa veniebant, ubi fuerat interdictum, quod alibi, jure belli, licuisset; tota sæviendi refrænabatur immanitas, & captivandi cupiditas frangebatur. Porrò, quòd eisdem Apostolorum Basilicis, Gothi, sub *Vitige* Romam obsidentes, pepercerint; testatur *Procopius: Gothic.* 2 Quinimò *Zosimus, lib.* 4. *De Tomitanis* barbaris. Ait: nedum Christianis, sed & infidelibus, jus confugii in talia loca profuisse.

173. Dicta de locis *sacris* cum proportione extendenda sunt ad loca *religiosa*, quæ in honorem defunctorum, sepulturæ causâ, structa sunt. Nam & hæc, ùt ùt, dicto modo, jure Gentium, impune violentur, æquiùs tamen, nedum humaniùs est, illa relinquere intacta: & eò collimat effatum JC*torum*: summam scilicet esse rationem, quæ pro religione facit. *l. Sunt personæ. ff. De religios. & sumptib. fun.* Unde *Livius: lib.* 14. *Philippi* bellum, nefarium dixit; *quasi Diis superis inferisq; illatum. Philippus* enim ultra jus victoriæ, in templa, aras & sepulchra desæviit. Eandem historiam tangens *Polybius* hoc addit judicium: *Quæ neque nobis ad bellum futura sunt usui, nec hostibus incommodatura, ea ire perditum, templa maximè, & quæ in iis simulacra & similia ornamenta, quis neget malæ mentis, & præ ira, furibundæ, esse opera?*

174. Non solùm naturalis sed & civilis ac politica suadet ratio, ut servetur moderamen in servandis hostium rebus, quæ bellum non morantur, & quibus destructis, hostis desperatior & pervicacior; quibus verò conservatis, idem hostis flexibilior reddi consuevit. Non imprudens itaque fuit *Agesilai* consilium, contra quàm sentiebant *Achæi*, ut sata relinquerentur intacta, ajens: *quò plus hostes sevissent, eò pacis fore cupidiores; Alioquin enim si immitiùs actum, spoliatis arma superesse.* Sic *Livius* de capta à Gallis urbe, narrat: *Placuerat Principibus Gallorum, non omnia concremari tecta, ut quodcunque superesset urbis, id pignus, ad flectendos hostium animos, haberent.* Præterea; si non devastentur urbes, sata non conculcentur, Regio non depopuletur, sed humanitatis leges observentur; bellum gerens, non solùm magnam ostendit generositatem, sed & hosti suggerit spem clementiæ aptam ad frangendos & conciliandos animos. Hinc *Augustus* Cæsar, in Pannoniis, rapinâ abstinebat, quia sperabat fore, *ut sic eos, sine vi, sibi adjungeret*; id quod *Plutarchus* de *Quintio* & Romanis sub ipso militantibus, accidisse refert, inquiens: *Hujus modestiæ non multò post, fructum cepère; Nam, ut in Thessaliam perventum est, defecerunt ad eum urbes. Tum verò & qui intra Thermopylas habitabant Græci, Quintium ardentibus votis desiderabant: Achæi verò renuntiatâ Philippi amicitiâ, societatem, adversus eum, cum Romanis inierunt.* Qui contrariis consiliis moti, aliter egerunt, sequiorem fortunam experti sæpe fuerunt: exemplo *Annibalis*, de quo ita *Livius, lib.* 26 *Præceps in avaritiam animus, ad spolianda, quæ tueri nequibat, ut vastata hosti relinquerentur, inclinavit. Id fœdum consilium, cùm incepto, tum etiam exitu fuit: neque enim indigna patientium modò abalienabantur animi, sed cæterorum etiam: quippe ad plures exemplum, quàm calamitas pertinebat.* Quamobrèm Summi Principes Christiani, rem suo nomine dignam peregerint, si violentis urbium direptionibus & Regionum devastationibus intercesserint: hortationibus, comminationibus, aut etiam [si ita suaserit charitatis & commiserationis officium] armis. Majus certè Christianorum inter se, decet esse vinculum, quàm olim fuit Græcorum, quorum bellis, nequa urbs Græca exscinderetur, cautum erat *Amphictyonum* decreto.

creto. Quinimò veteres narrant: ***Alexandrum Macedonem*** nullius rei à se gestæ magis ductum fuisse pœnitentiâ, quàm quod ***Thebas*** evertisset.

175. Hìc demum ponderari & disquiri potest: an, & quatenus in bello, dolis uti liceat? Nam *Homerus* hosti nocendum dixit:

Sive dolo, seu vi manifestâ, clàmve palàmve. & Virgilius:

Dolus an virtus, quis in hoste requirat?

Unde veteres regulam elicuére: laude dignum esse, hostem fallere; nihilq; dolis in bello utilius fore: Hostes decipere, & justum & licitum esse, imò, quæ vi fiunt in bello, minoris censenda, quàm quæ astu & dolo. Quinimò JC*ti* Romani crediderunt, bonum esse dolum, si adversus hostem, quis machinaretur. *l.* **1.** ***ff. De dolo malo.*** Quod tamen ***Bartolus*** intelligit de dolo *per privatum* commisso: nam Dux debet hosti fidem servare. *l. conventionum ff. De pactis.* Adferunt quoque Jurisperiti exemplum de ***dolo bono*** in eo, qui promittit Judæis aut Saracenis, se ad illorum religionem convolaturum, ut ab iis discat linguam & scientiam, quâ perceptâ, eos refellat. Confer ***Petrum Costalium***, ad *tit. ff. De dolo malo.* ubi citat ***Geminianum*** & ***Jasonem.*** Sic quoque nil interesse dicitur, an quis vi, aut fallaciâ, potestatem hostium evaserit. *l. nihil. ff. De captivis.* In horum sententiam concessisse videtur & ipse ***S. Pater Augustinus***: *quæst.* 10. *super Josue.* Ubi sic scribit: ***Cùm justum bellum suscipitur, vi apertâ pugnet quis, aut ex insidiis; nihil ad justitiam interest.*** Confer ***Dnum Pontas*** in Dictionario Casuum conscientiæ. *Verb. Bellum. casu* 1. Ut quæstio hæc solidè definiatur; sedulò examinandum est, an dolus semper sit de genere malorum, sive, an dolus *intrinsecè* vitium habeat? an verò ex suapte natura indifferens sit ad bonum vel malum, ita ut universim dolus non sit semper malus, id quod Jurisperiti de dolo agentes, supponunt: dum dolum, alium dicunt ***bonum*** alium ***malum.*** Pro hujus rei explanatione

176. Observâsse juvabit; quòd dolus alius consistat in actu ***negativo***, alius in actu *positivo.* Dolus in ***actu negativo*** consistens, censetur dissimulatio veritatis. Unde, cùm quæ scis & intendis, non semper aliis aperire tenearis; sequitur; quòd dissimulare quædam apud quosdam, id est tegere & occultare, fas sit. *Licet* (inquit magnus Ethicus ***Augustinus***: *lib. contra Mendacium. cap.* 10.) *Veritatem occultare prudenter, sub aliqua dissimulatione.* Vide Divum ***Thomam*** 2. 2. *q.* 40. ***art.*** 3. Imò hujusmodi dissimulationem necessariam atque inevitabilem esse iis, quibus Reipublicæ regimen commissum est, evincere conatur *Cicero: pro Milone.* Et *pro Plancio.* Quò referri meretur: quòd ***Abrahamus***: *Genes.* 1. ex usitato tunc loquendi more, ***Saram*** uxorem suam, propinquæ consanguinitatis intuitu, vocaverit ***sororem suam***, ut matrimonium dissimularet. Vide rursus *D. Thomam* 2. 2. *q.* 110. *art.* 3.

Dolus in *actu positivo* consistens, si reperiatur ***in rebus***, vocatur ***simulatio***; si ***in sermone***; appellatur ***mendacium.*** Ubi NOTA: quòd, ùt in *Dialectica* dixi; voces ***articulatæ***, ex natura ipsa, & citra hominum voluntatem, nihil significent, sed sint signa ***ad placitum.*** Voces inquam ***articulatæ***, ut discriminentur voces ***inarticulatæ***, seu confusæ, ùt: suspirationes aut gemitus dolentium, quæ rei potiùs appellatione, quàm vocis, veniunt. Verum quidem est, quòd hominis natura, id, supra cæteras animantes, peculiare habeat; ut conceptus animi, vocibus ad id repertis, aliis possit indicare; liquet tamen etiam, quòd non solis vocibus tale indicium fieri possit; sed & nutibus, ut apud mutos, sive illi nutus, quid ex natura, habeant cum re significata com-

commune; sive tantùm, ex hominum instituto seu placito. Nutibus pares sunt notæ hieroglyphicæ, quæ res ipsas ex quadam convenientia significant. Profectò, si voces, nutus, & notæ, ex nationis alicujus beneplacito vel usu, definitam rem, conceptúmve loquentis vel gesticulantis importent; mendacio, vel dolo malo uti videtur, qui aliud cogitat vel intendit, quàm hujusmodi voces vel signa edita enuntient. Aliud est in rebus aut actibus externis, qui pro libertate & arbitrio operantis vel agentis, mox illud, mox istud indicare possunt. Ex quo fit, ut interdum rebus aliis uti liceat, etiamsi prævideamus futurum, ut alter inde falsam concipiat opinionem. Huc referri potest exemplum Christi, qui *Lucæ* 14. finxit *se longiùs ire*, id est: speciem prætulit ituri longiùs. Nisi malis dicere: eum verè quidem, sed *conditionatè* voluisse longiùs ire; *nisi magno nisu & precibus retineretur*, quomodo & Deus multa velle dicitur, quæ non fiunt. Alterum exemplum addi potest de *Paulo* Apostolo, qui *Act.* 16. *Timotheum* circumcidit, cùm satis sciret, Judæos hoc ita accepturos, quasi circumcisionis præceptum, quod reverà abolitum tunc erat, adhuc obligaret Israëlis posteros. Hoc inquam fecit *Paulus*; non, ut Hebræos in errore suo confortaret; sed, ut familiariùs cum Judæis ipsis conversandi occasionem sibi & Timotheo nancisceretur; cogitans, eos errorem posteà dedocere, & Evangelicam veritatem ipsis oportuniùs insinuare. Neque erroris mox corrigendi, malum, tantî erat, quantî illud bonum, quod *Paulus* intendebat per Evangelii annuntiationem. Unde *Clemens Alexandrinus* de viro bono agens, dixit: *ob utilitatem proximi, faciet quædam, quæ spontè alioquin ac primaria intentione non faceret.* Tertium exemplum peti potest in ficta fuga, qualem *Josue cap.* 8. suis commilitionibus præcepit ad *Hajum* expugnandum, & alii Belliduces sæpe instituunt ad eludendum hostem. Nihil obstante, quòd inde hostis cladem postea patiatur; talis enim astutia, licita est ex belli justitia: & quanquàm hostis, fugam accipiat, ùt signum pavoris; equidem istum errorem alter evitare non tenetur, utens suâ libertate huc illúcve eundi, & magis minúsve celeriter, & hoc illóve gestu vel habitu properandi. Quò & referri possunt actus eorum, qui hostium armis, signis, vestibus, velis, usi passim leguntur. Hæc enim omnia istius sunt Generis, ut à quovis pro arbitrio, etiam contra consuetudinem usurpari possint: consuetudo enim talis, singulorum populorum arbitrio, non verò ex communi Gentium consensu aut conventione descendens, saltem ex rationabili causa, variari potest, citra crimen aut perfidiam.

177. Non levis sanè est difficultas in decidendo quæstionem de mendacio, de quo, non pauca disseruimus *lib.* 1. *cap.* 12. *à n.* 4. *usque ad n.* 15. Quinimò ipse magnus Pater *Augustinus*, *loc. cit.* fatetur hanc esse *magnam quæstionem*, *latebrosam tractationem*, *disputationémque inter doctos alternantem*, quia ex Philosophis, *Socrates*, & ejus Discipuli: *Plato*, *Xenophon*; *Cicero* & *Stoici*, inter sapientis dotes, posuêre: *mentiri, ubi & quomodo oportet.* Illud jam *loc. cit.* observavimus: aliud esse, *mendacium dicere*; aliud *mentiri*. Mentitur enim, qui scienter verba profert cum intentione significandi id, quod mentis conceptui sive in intelligendo, sive in volendo adversatur. Non mentitur verò, qui dicit rem falsam, quam veram existimat; sed, qui dicit rem veram quidem; sed, quam falsam putat, utique mentitur. Ex quo resultat; quòd ad mendacii naturam requiratur falsitas significationis, seu voluntas fallendi. Quòd, si tamen vox aliqua, aut sermonis complexio, plures significatio-

nes

nes admittat; sive ex vulgi usu, sive ex artis consuetudine; sive ex figura aliqua intelligibili; tunc, si animi conceptus uni illarum significationum conveniat, non censebitur mendacium, etiamsi putetur is, qui audit, in aliam partem id accepturus. Et, quanquam passim & temerè, amphibologicè loqui non oporteat; sermo tamen hujusmodi, ex accedentibus causis, potest honestari, puta: si id pertineat ad erudiendum eum, qui curæ nostræ est traditus, aut ad evitandam iniquam interrogationem. Vide dicta *loc. cit.* Ubi etiam insinuavimus, écontra accidere posse, ut tali loquendi genere uti, non modò illaudabile sit, sed & improbum, videlicet; dum Dei honos, aut amor proximo debitus, aut reverentia erga superiores, aut rei, quæ agitur, natura exigunt, ut quod animo cogitatur, omnino patefiat. Planè, sicut in contractibus id aperiendum, quod natura contractûs intelligitur exigere.

178. Ad communem ergo mendacii notionem requiritur, ut, quod dicitur, scribitur, notatur, innuitur; intelligi aliter nequeat, quàm in illo sensu, qui à mente proferentis discrepet, quémque genuinum sensum ipse proferens, vel ex natura negotii, quod tractatur; vel ob jus, quod alter, quocum agitur, habet; verbis accommodare teneatur. Ex quo intelliges; quâ ratione veriloquium interdum dicatur spectare ad justitiam; & cur Divus Pater *Augustinus* in definienda mendacii natura, ponat *fallendi voluntatem*. Atque ex his rectè intellectis, sententiarum dissidia conciliari, & non paucæ Doctorum conclusiones, quæ primâ fronte, scrupupulum ingenerare possent, fundamentaliter penetrari valebunt.

Sic vera est conclusio; quòd mendacium non committatur ab eo, qui infanti vel amenti quid dicit, quod falsam habeat significationem. *Ratio* est; quòd infantibus & amentibus non insit judicii libertas, ac proinde nec illa per injuriam violari possit. Unde, communi hominum sensu, permissum esse creditur: *ut puerorum ætas improvida ludificetur*, & utilitatis ipsorum gratiâ, multa fingantur. Sic 2*dò* non mentitur, qui sermonem ad illum dirigit, qui ex figurata vel parabolica locutione non decipitur [eò quòd, intelligat figuratè & parabolice proferri sermonem] esto tertius, qui obiter hujusmodi sermonem audit, inde falsam hauriat persuasionem. *Ratio:* quia cum tertio non agitur, ideóque nulla est ad eum obligatio. Ad hoc genus, Divi *Chrysostomus*, *Hieronymus*, & *Cyrillus* adversus *Julianum*, *lib. 9. circa finem:* item *Tertullianus*, *lib.* 1. *&* 3tio *contra Marcionem*, retulerunt *Pauli* Apostoli sermonem, quo Antiochiæ *Petrum* ùt nimium Judaïzantem, reprehendit. Censent enim; *Petrum* satis intellexisse, id non seriò fieri; sed duntaxat, ut adstantium infirmitati consuleretur. Sic *tertiò*. Mendacium saltem *injuriosum* non committitur; quoties certum est, eum, ad quem sermo dirigitur, non ægrè laturum, ob commodum, quod inde consequetur; si ipsi aliud pro alio, significatum fuerit. Planè, sicut furtum non committeret, qui ex præsumpta domini voluntate, rem ipsius consumeret, ut inde magnam ipsi utilitatem pararet. In his enim, quæ adeò rationabiliter præsumuntur, & moraliter certa sunt, præsumpta voluntas, pro expressa habetur. Volenti autem, constat, injuriam non fieri. Quocirca, non videtur peccare medicus, qui ægrotantem pusillanimem, persuasione non verâ consolatur. Neque Bellidux injuriosi mendacii culpam admittit; si periclitantibus in prælio, ex falso nuntio, animum addat. *Ratio:* quia quod bonum est, id vero videtur melius. ADDE: quòd læsio judicii in hoc genere, ideo minoris sit habenda, quia

ferme momentanea est, cùm paulò post, de veritate ipsa, & intentione loquentis constare soleat. Tametsi autem maximè supremus Princeps, qui jus *supereminens* in omnia subditorum jura habet, in bonum, sive publicum, sive aliorum privatorum, faciliùs falsiloquio uti posse videatur; Deo tamen omnipotenti, & summum jus vitæ etiam & necis, in omnes mortales habenti, nullatenus convenire falsiloquium, rectè agnovit *Plato*, *lib.* 3. *De Republ.* eò quòd infirmitatis nota sit, ad talia confugere. Accommodatius exemplum inculpatæ falsiloquentiæ, assignari potest in *Josepho*, qui regiâ vice imperans, fratres primùm quasi exploratores; deinde, quasi fures, fictè, nec ita sentiens, accusat. Simile exemplum habemus in *Salomone*, qui sapientiæ divinitus acceptæ specimen dando, inter mulieres, de partu litigantes, veritatis explorandæ causâ, eam tulit sententiam, quâ voluntas scindendi infantis significaretur, licet animus ei à tali voluntate longissimè abfuerit, & nihil aliud intenderit, quàm detegere veram matrem eíque suum adjudicare partum.

179. Non adstipulor tamen *Grotio*, *lib.* 3. *de J.B. & P. cap.* 1. §. 16. contendenti, licitum esse mentiri, quoties vita innocentis, aut par aliquid, aliter servari, aut alter ab improbi facinioris perpetratione, aliter averti non potest. Minùs, Christiano digna est sententia Gentilium sapientûm, qui dicebant: apud hostem falso sermone uti licere; & à communi regula, de non mentiendo; exceptionem statuebant: *nisi nempe hostis fallendus sit.* Citat quidem *Grotius* Divum *Patrem Augustinum*, sed minimè sibi faventem: non enim S. Doctor docet: mendacium *jocosum* aut *officiosum* omni vacare culpâ; sed, quòd *tantam non habeat culpam*, quantam habet mendacium perniciosum. S. Patris verba in Psal. 5tum, relata à *Gratiano, Can. nequis. caus.* 22. *quæst.* 2. Sic adducit *Grotius*: *Duo verò sunt genera mendaciorum, in quibus non est magna culpa*, SED TAMEN NON SUNT SINE CULPA, *cùm aut jocamur, aut proximo, consulendo, mentimur. Illud autem primum in jocando, ideo non est perniciosum, quia non fallit, novit enim ille, cui dicitur, causâ jocandi, fuisse dictum. Secundum autem ideo minus est, quia retinet nonnullam benevolentiam.* Sic inquam *Grotius* ex *Gratiano* refert textum *S. Patris*, verùm nec integrè nec accuratè. Textus enim adæquatus sic sonat: *Ne quis arbitretur perfectum & spiritualem hominem, pro illa temporali vita, in cujus morte non occiditur, sive sua, sive alterius anima, debere mentiri. Quoniam aliud est mentiri, aliud est verum occultare: siquidem aliud est, falsum dicere; aliud, verum tacere; ut siquis fortè vel ad istam visibilem mortem, non vult hominem perdere, paratus esse debet, verum occultare, non falsum dicere, ut neque prodat, neque mentiatur, ne occidat animam suam pro corpore alterius. Duo sunt omnino genera mendaciorum, in quibus non est magna culpa, sed tamen non sunt sine culpa, aut cùm jocamur; aut, ut proximis prosimus, mentimur. Illud primum in jocando, ideo non est perniciosissimum, quia non fallit. Novit enim, ille, cui dicitur, joci causâ, esse dictum. Secundum autem ideo minus est, quia retinet nonnullam benevolentiam. Illud verò, quod non habet duplex cor, nec mendacium quidem dicendum est, tanquam, verbi gratiâ: si cui gladius commendetur, & promittat se redditurum cùm ille, qui commendavit, poposcerit; si fortè gladium suum repetat furens, manifestum est, tunc non esse reddendum, ne vel se occidat vel alios, donec ei sanitas restituatur. Hic ideo non habet duplex cor, quia ille cui commendatus est gladius, cùm promittebat se redditurum poscenti, non cogitabat, furentem posse repetere.* Et infra *Manifestum est, non esse culpandum, aliquando verum*

rum tacere, falsum autem dicere, non invenitur concessum esse perfectis. Ita textus à *Gratiano* relatus, ubi *Correctores Romani* notant; ante verba: *Manifestum est, non esse culpandum* &c. sic legi in *Augustino*. *Verum autem occultavit & Dominus, cùm discipulis nondum idoneis dixit: multa habeo vobis dicere, sed nunc non potestis portare illa: & Apostolus Paulus, cùm ait: Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Unde manifestum est &c.* Profectò, si hunc textum *Grotius* integraliter legisset; & citra præventionem expendisset; Sanioris judicii Theologos, Divi Augustini & Doctoris Angelici sectatores, nequaquam carperet. Hujus materiæ elucidandæ causâ, videamus, quæ pro tuenda *Grotii* opinione, adferri, & opponi possent?

180. Dicere quis posset 1*mò*: S. *Augustinum* sensisse; quòd, cùm ea, quæ non sunt, *joco* dicuntur, mendacium non committatur. *mendacia enim* [inquit *lib. quæstionum super Genesin, q.* 145.] *à mendacibus seriò aguntur, non joco. Cùm autem ea, quæ non sunt, tanquam joco dicuntur, non deputantur mendacia.* Resp. *S. Patrem* inibi velle, quòd jocosè dicta, non sint, ùt supra exposuit, *mendacia perniciosissima*, & quòd, ob suì levitatem, non sint peccata *mortalia*, nequaquam verò docere, quòd omni culpâ vacent.

Oggeri posset 2*dò*. Quòd obstetrices Ægyptiacæ, ob mendacium, non solùm non fuerint reprehensæ, sed ècontra beneficiis à Deo cumulatæ. Resp. cum Divo *P. Augustino, quæst.* 68. *in Leviticum.* quòd propter misericordiam, illud peccatum, *veniale* sit factum, non tamen existimetur, quòd mendacium illud, nullum planè peccatum fuerit. *Augustino* consonat *S. Gregorius, lib.* 18. *Moral. cap.* 2. relatus *caus.* 22. *q.* 2. *can. Si quælibet.* Ibi: *Nonnulli verò de Obstetricum fallacia, conantur asserere: hoc mendacii genus non esse peccatum, maximè; quòd illis mentientibus scriptum est: quia ædificavit illis Dominus domos. In qua magìs recompensatione cognoscitur, quid mendacii culpa mereatur. Nam benignitatis merces, quæ eis in æterna potuit vita retribui, præmissâ culpâ mendacii, in terrenam est recompensationem declinata.* Igitur obstetrices illæ, *de mendacio* sunt punitæ, *de pietate* verò temporaliter remuneratæ. Unde idem S. *Gregorius* ibidem inquit: *Summoperè cavendum omne mendacium, quamvis nonnunqaam sit aliquod mendacii genus culpæ levioris.*

Opponi potest 3*tio*. Quòd non culpetur *Abraham*, dum descendens in Ægyptum, suasit *Saræ* uxori suæ, ut mentiretur se ejus esse sororem. Resp. cum *S. P. Augustino* relato *can. quæritur. caus.* 22. *q.* 2 quod *Abraham veritatem voluerit celari, non mendacium dici. Soror enim dicitur, quia filia fratris erat.*

Replicari potest 4*tò*. Quòd *Jacob* mentiendo se primogenitum, non reprehendatur, sed commendetur in S. Scriptura. Resp. *Jacob* dicendo, se esse *Esau* primogenitum, non fuisse mentitum. Non enim dixit, se esse primogenitum *nascendo*, sed jus primogenituræ, illo vendente, ritè adeundo. Sic & Christus, *Joannem* dixit *Eliam*, non personâ, sed imitatione virtutis. Erat ergo, *Jacob*, Esau, non nativitatis prærogativâ, sed emptione primogenituræ. Parili sensu, Judæi, licèt secundùm carnem essent, filii *Abrahæ*; equidem, quia ab ejus probitate defecerant; non reputabantur inter ejus descendentes, sed nuncupantur *filii Diaboli.* Unde *Joan.* 8. à Domino audire meruerunt; *si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite &c.* Pro resolutione aliorum argumentorum; Observa: quòd etsi post *Platonem* & alios Philosophos, quidam etiam SS. Patres, ùt, *Chrysostomus in fin. lib.* 1. De

De Sacerdotio. & S. *Hieronymus*, simulationi & mendacio officioso favere videantur; nihilominus *SS. Augustinus*, *Ambrosius*, *Cyprianus* & alii, cum *Doctore Angelico* 1. 2. *quæst*. 103. *art*. 4. *ad* 2. & 2. 2. *quæst*. 111. *art*. 1. *ad* 2. & *art*. 3. *per tot*. cohærenter tradunt; omne mendacium, esse peccatum, nec ullo modo aut prætextu, posse reddi bonum, & coram Deo licitum. Cùm enim mendacium sit contra rectam rationem; patet, quòd sit *intrinsecè* malum, nec sub ullo colore possit effici bonum; planè, sicut *fornicatio*, *adulterium* & alia hujusmodi, ex fine operantis alioquin bono, bonitatem nullam participant, prout latè demonstrat *Divus P. Augustinus*, *lib. contra mendacium. cap*. 8. *q*. 17. 18. & 19. item *Enchrid. cap*. 22. Ratio *D. Thomæ* 2. 2. *q*. 110. *art*. 3. est: quia *innaturale est & indebitum*, *quod aliquis voce significet id*, *quod non habet in mente*: *unde Philosophus* lumine naturali ductus, *dicit*: *quod mendacium est per se pravum & fugiendum. lib*. 4. *Ethic. cap*. 7.

181. Quamvis autem prioribus Ecclesiæ partibus non occurrerit occasio, peculiariter agendi de hac quæstione; equidem, & ipsos Patres sensisse, quòd omne mendacium sit peccatum, eruitur ex *Justino* Martyre, qui in *Apologia secunda* scribit: Christianos malle mori, quàm mentiri; & ex S. *Hieronymo*, qui *cap*. 4. *Apologiæ*, *contra Ruffinum*: *Origenistas* reprehendit, quòd docerent; mendacio interdum, velut medicamento, utendum. Item ex *S. Cypriano*, qui *lib*. 3. *contra Quirinum. cap*. 104. dicit; non esse mentiendum, eò quòd *labia mentientia*, *sint abominabilia coram Domino*. & rursus ex *S. Ambrosio*, qui *lib*. 2. *in cap*. 1. *Lucæ*, docet: *os justi*, *mendacium nescire*. Verùm, postquàm *Priscilianistis* suam hæresin, nedum *mentiendo*, sed etiam *pejerando* occultare satagentibus, visum fuerat quibusdam Christianis: quòd se, *Priscilianistas* simulare possent, ut eorum latebras penetrarent; Divus *P. Augustinus* calamum arripuit, & accuratè probandum suscepit; omne mendacium, esse peccatum; ideóque libro, quem *de mendacio* scripserat, junxit alterum, quem *contra mendacium* vocat. Augustinnm verò, tota Catholicorum Theologorum secuta est universitas, quin & summus Pontifex *Alexander III. cap. Super eo. Tit. de Usuris*, ubi dicit; Sacram Scripturam prohibere, pro alterius vita mentiri. Unde frustra obganniunt *Sectarii*; ipsius etiam *Augustini* verba truncantes & in falsam sententiam trahentes. Neque Obest; quòd quidam etiam viri sancti, interdum in mendacium prolapsi legantur. Non enim ideo sancti sunt, quòd mentiti fuerint; sed quia peccata sua, rigidâ pœnitentiâ expiârunt. Quò facit, quòd *S. Joannes*, *cap*. 1. *Epist*. 1. ita confessus sit: *si dixerimus*, *quoniam peccatum non habemus*; *ipsi nos seducimus*.

Cæterùm, quòd omne mendacium non sit peccatum *mortale*, exinde probat *D. Thomas* 2. 2. *q*. 110. *art*. 4. quòd sint quædam mendacia, quæ non contrariantur charitati; veluti; *jocosa* & *officiosa*, si secundùm se spectentur. Nam, nec falsa opinio, quæ per illa ingeneratur, est ulli damnosa; cùm sit circa res, de quibus nihil refert, utrum sic vel aliter quis sentiat. Neque finis intentus, charitati repugnat; cùm per ea solùm intendatur levis aliqua delectatio, vel proximi utilitas, absque alterius, ùt supponitur, saltem notabili damno. Per accidens etiam, talia mendacia, ob scandalum pusillorum prævisum, vel aliam circumstantiam; possent ascendere ad culpam *Lethalem*, maximè, si mendacium diceretur contra doctrinam Religionis, aut ad corrumpendam doctrinam bonornm morum, vel al-

alterius scientiæ salutaris. *Ratio* Divi Thomæ est: quia talia mendacia adversantur charitati, Deo & proximo debitæ. Ad propositum redeundo;

182. Multa hactenus diximus, quæ in bello solemni & justo, tum *naturali* tum *gentium jure* licent, vel vetita sunt; sciscitari autem posses; an à populo pacato, qui videlicet neutrarum partium, seu (ùt dici solet) *Neutralis est*, à belligerantibus, annona, pecunia, commeatus, aut quid simile, exigi possit? Resp. *Negativè*; nisi extrema necessitas, de qua alias, jus accipiendi vel exigendi præbuerit. Quo tamen casu, plus non accipiendum vel extorquendum, quàm necessitas postulaverit: quinimò is, cujus auspiciis & jussu, bellum geritur, cessante necessitate, tenetur populo pacato resarcire damnum, quod eatenus passus est [exemplo recenti Regis Christianissimi, qui incolis patriæ Leodiensis, damna in nupero bello, à suis militibus causata, resarciri fecit.] id quod maximè obtinet, si Rex debita militibus Stipendia non præstiterit, & exinde militibus ansam præbuerit aliena rapiendi. In hanc rem faciunt illustria exempla. Sic *Moyses*, cùm summa ipsum & populum necessitas premeret transeundi per agros *Idumæorum*, primùm ait, se transiturum viâ regiâ, neque deflexurum in arva aut vineta, quinimò se aquæ pretium per soluturum, si illâ opus habuerit. Idipsum spospon derunt, & reapse præstiterunt Græcorum & Romanorum Belliduces propterea celebri memoriâ digni. Sic de *Sulla*, *Vellejus*, *lib.* 2. narrat, quod venerit in Italiam, non quasi belli vindex, sed pacis author. *Tantâ* [inquit] *cum quiete exercitum per Calabriam Apuliámque cum peculiari cura frugum*, *agrorum*, *urbium*, *hominum*, *perduxit in Campaniam.* & de *Pompejo* Magno, *Cicero*: *pro lege Manilia* scribit; quòd ejus legiones sic Asiam in traverint; *ut non modò manus tanti exe..itûs*, *sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur.* Ob eandem humanitatis & disciplinæ militaris rationem, hocce encomion *Stiliconi* tribuit Claudianus:

Tanta quies, *tantúsque metus servator honesti*;
Te mediante fuit, *nullis ut vinea furtis*:
Aut seges erepta fraudaret messe colonum.

Pari de causa *Belisarium* deprædicat *Procopius*, istius Herois comes, & actionum ejus testis. En! *Gothicorum lib.* 3. in hæc verba excurrit: *Adversus Agricolas*, *tantâ curâ*, *providentiâque agebat*, *ut eorum nemo vim pateretur*, *exercitum ducente Belisario*: *contra verò opulenti fierent omnes*, *quocunque ille cum multo milite advenisset*: *vendebant enim illi militibus res suas suopte arbitrio*, *& cùm maturæ essent segetes*, *sollicitè cavebat*, *ne ab equite corrumperentur. Tum verò poma in arboribus pendentia tangere nemo omnino permittebatur.* Similem Alemannorum laudem, in expeditione *ad Sacrum Sepulchrum*, vide apud *Nicetam* in *Manuele Comeno.* Idem encomion *Gregoras lib.* 9. Venetis tribuit. *Nemo* (inquit) *erat*, *quem non admiratione percelleret Venetorum disciplina & conjuncta cum justitia*, *animi magnitudo. Nemo enim de exercitu egressus*, *quidquam rerum sumere volebat*, *nisi pecuniâ depensâ.* Huc facit, quòd *Frontinus lib.* 4. *cap.* 1. ex *Scauro* refert, scilicet: pomiferam arborem, quam in sede castrorum, fuerat complexa metatio, postero die, abeunte exercitu, intactis fructibus, relictam. Exempla isthæc exactioris disciplinæ militaris, consonant doctrinæ Evangelicæ *Lucæ* 3. ℣. 14. ubi milites jubentur abstinere à concussione, à calumnia & violentia; & contenti esse stipendiis suis. In hunc textum *Lucæ*, scribit *S. Ambrosius* his verbis: *Idcirco stipendia constituta militiæ*, *ne*, *dum sumptus quæritur*; *prædo grassetur.* Vide la-

latiùs *D. P. Augustinum*, *serm.* 19. *De verbis Domini secundùm Matthæum*. Extant in hanc rem, egregiæ Constitutiones apud *S. Gregorium Turonensem*, *lib.* 2. *cap.* 37. & in *Capitularibus Caroli Magni* & ejus successorum, *lib.* 5. *tit.* 189. Quòd, si verò Rex debita militibus stipendia non distribuerit, aut per Quæstores, aut nummorum Receptores generales, legionibus distribui non curaverit; non est dubium, quin culpa redundet in Regem, si milites ejus aliis subditis vel vicinis pacatis, inediâ coacti, damna intulerint. De modo, à Provinciis subsidia colligendi, & ea militibus, citra fraudem, oportunè & tempestivè elargiendi, monitum politicum tradit *Antonius Perezius*, *JCtus Lovaniensis*, in suo *jure publico. cap.* 100. *pag. mihi* 246. *& seq.*

183. Sicut autem à populo pacato nil vi extorquendum, ita vicissim illi, qui neutrarum partium sunt, nil moliri debent, quo validior fiat is, qui improbam fovet causam; aut, quo justum bellum gerens, à consecutione juris sui impediatur. Quòd, si justitia causæ, inter utrimque belligerantes, sit anceps; æquanimes, & æqualiter officiosos se exhibere poterunt utrisque, in concedendo transitu, in suppeditanda annona, & præbendo legionibus commeatu. Porrò, ùt ii, qui neutrarum partium sunt, omnem à se suspicionem partialitatis amoveant, optimè egerint; si cum intrimque belligerantium Ducibus pacti fuerint; ut alterutri exercitui paria humanitatis officia exhibere queant; alioquin enim facilè fieri potest, ut pro hostibus reputentur, qui hostili exercitui receptum, hospitium, commeatum, aliáve ad expeditionem conducentia præbent.

184. Hactenus multa diximus de iis, qui aut summum in bello arbitrium habent, aut publica imperia exequuntur; sed quid de iis, qui privato ausu, citra vel contra summi Principis jussum, hosti nocent? Profectò, qui miles non est, jus non habet pugnandi cum hoste, imò, qui miles est; non extra culpam est, qui post signum receptui datum, cum hoste confligit. Unde ex disciplina militari Romana, *Modestinus* in *l. Desertorem. ff. De re militari.* notavit, eum, qui mandata non servâsset, capite puniendum, etiamsi res bene cessisset. Mandata autem non servâsse censebatur etiam, qui extra ordinem, sine Ducis imperio, in hostem pugnâsset. *Ratio:* quia si id temerè liceret, aut stationes desererentur; longiúsque progrediente licentiâ, cohortes aliquæ, imò totus exercitus, inconsultis confusísque præliis implicari posset, quod omnino cavendum: & idcirco sæpe audivimus, corporali etiam pœnâ in illos officiales animadversum fuisse, qui contra imperium, cum hoste conflixerunt, imò & eundem superârunt. Secundùm militarem disciplinam enim, satiùs reputatur, Præfectis parére, quàm hostem trucidare. Itaque citra mandatum generale vel speciale, etiam in bello justo, nemini sive militiæ adscripto, sive alteri privato licet hostem impetere aut spoliare.

185. Cæterùm, speciale mandatum habere possunt, non tantum hi, qui stipendia percipiunt, & militari juramento obstricti sunt; sed etiam, qui spontè & suo sumptu militant, ac expensas, sive in homines, terrestri bello, armandos, sive naves, martiali apparatu, instruendas, suppeditant sub illa conditione, ut ipsis cedat præda ab hostibus capta. Ubi Observandum cum *Silv. Verb. Bellum. n.* 8. quòd, etsi hujusmodi deprædatio fortè justitiæ internæ non repugnet, Christianæ tamen charitatis normæ adversetur; si appareat, talem hostilem excursionem potissimùm nocituram non hostium universitati,

versitati, aut Regi, vel his, qui per se fontes sunt; sed innocentibus, qui exinde in summas calamitates conjicientur: adeóque, si hujusmodi deprædatio nec ad finem bello imponendum, neque ad conterendas vel diminuendas hostium vires, notabile momentum habeat; profectò quæstus ex sola temporum infelicitate, viro probo, præsertim Christiano, indignus censeri debet. Quamobrèm *Plutarchus* meritò *Crassum* redarguit, dicens: ***Pleraque horum ex igne bellóque rapuit: nihil magis lucro habens, quàm communes calamitates.***

Quòd si quis miles aut alius etiam in bello justo, injussu belliducis ædificia hostium incenderit, agros vastaverit, aliáve id genus damna dederit, ad eorum resarcitionem tenebitur; maximè, si neque necessitas, neque justa causa, culpam abesse fecerit. Quòd, si justa causa subfuerit, puta: si hostis in pœnam criminis, taliter castigari meruerit; posset fortè talis damnificator obstrictus esse Reipublicæ, cujus leges transgressus est; non tamen hosti, cui nullam fecisset injuriam.

SECTIO NONA.

De Jure acquirendi Bello capta.

186. Multa hîc occurrunt disquirenda; sed, ad evitandam æquivocationem, id quod supra *n.* 153. observandum diximus, hîc in memoriam revocandum; scilicet: multa, gentium jure, permissa censeri, quæ coram Deo, & jure naturæ, sunt vetita. Sic gentium jure, non tantùm is, qui justa de causa, bellum gerit; sed & quivis in bello solemni, sine fine modóq; reputatur dominus fieri eorum, quæ hosti eripuit, ita ut titulo acquisitionis bellicæ & possessionis, sese tutum arbitretur contra pristinos dominos: quæ opinio adeò invaluerat apud veteres, ut *sempiternam*, id est naturalem legem putaverint; captâ urbe, omnia incolarum bona victori in prædam cedere. Sic authore *Aristotele* 1. *politic.* lex, velut quoddam commune pactum fuit; ut bello capta, capientium fierent. Sic & *Marcellus*, ùt refert *Livius*, *lib.* 39. quæ Syracusanis surripuit; dixit, se jure belli acquisivisse. Imò *Clemens Alexandrinus*, *Stromat.* 1. non dubitavit dicere: *res hostium rapi & acquiri jure belli.* Et Cajus Juris-consultus respondit in *l. Naturalem.* §. *ult. ff. De acquir. rer. dominio.* Capta ab hostibus, jure gentium, statim capientium fieri. Et, quia id gentibus ita in more positum erat; ideo *Aristoteles*, & *JCti: Theophilus* & *Paulus* [vide *l.* 1. *ff. De acquir. possess.*] dominium rerum, ex naturali possessione cœpisse dixerunt; argumentó eorum, quæ terrâ, mari, cœlóque capiuntur, quæ omnia mox illorum fiunt, qui primi possessionem nacti sunt. Cæterum; ùt supra dictum; hosti eripi putatur, quidquid hostium subditis eripitur.

187. Quæres 1mò. Utrum *naturali jure*, bello capta, capientibus acquirantur? Resp. *Affirmativè* dummodò ex parte capientium, bellum sit justum, & capta non superent debitum ab hostibus, aut pœnam, hostium crimini commensuratam. Nisi enim in foro poli, hostes spoliare liceret; utique *Abrahamus* de spoliis, quæ à quinque Regibus acceperat, *decimam* Deo charam non obtulisset, prout narratur *Genes.* 14. Nil dicam de Græcis & Gentilibus olim Romanis, qui *Apollini*, *Herculi*, *Jovi Feretrio* decimam de præda sacraverunt. Ad sacram historiam regredior. Sanè *Genes.* 48. Jacobus Josepho præ cæteris fratribus, præcipuum relinquens de præda legatum, sic effatus est: ***do tibi partem unam extrà fratres tuos, quam tuli de ma-***

nu Amorrhæi, in gladio & arcu meo. Adhæc, quòd Deus ipse, in bello justo, prædam cum æquo moderamine captam, non reprobaverit; liquet ex *Deuteron. cap.* 20. ℣. 14. ubi in lege sua, de civitate, post pacem repudiatam, expugnata, loquens, dixit: *Omnem prædam exercitui divides, & comedes de spoliis hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi.* Idipsum liquet ex *lib.* 1. *Paralip. cap.* 5. ℣. 20. & *seqq.* item 2. *Paralip. cap.* 14. ℣. 13. & *Josue cap.* 22. ℣. 8. Quinimò *Numer. cap.* 31. ℣. 27. exstant divinæ leges de præda dividenda.

188. Quæres 2dò. Quandónam res hostilis in prædam veniat, & in capientis dominium transeat? Resp. Gentium moribus, id fieri: si res capta ita detineatur, ut hosti non supersit probabilis spes illam recuperandi. Unde res mobiles, ad hunc effectum, captæ intelliguntur; si intra fines, id est: præsidia hostium, perductæ fuerint. Eodem enim modo res amittitur, quo postliminio redit: redit autem, si intra fines imperii, reversa sit. Quò facit: quòd *Paulus JCtus* de homine dixit, in *l. Postliminium. ff. De captivis &c.* scilicet: amitti eum, *ubi fines nostros excessit.* Eodem spectat: quod *Pomponius* ibidem scripsit, scilicet: illum censeri captum, *qui ab hostibus, intra sua præsidia deductus fuerit*; ut, antequam eò deductus fuerit; maneat civis, seu liber. Ergo idem dicendum est de rebus captis; cùm gentium jure, hominis & rei, sit eadem ratio. Hac ratione, naves aut aliæ res, in mari, tum demum plenè captæ intelliguntur, cùm in navalia, seu portus, aut ad eum locum, ubi tota classis se tenet, perductæ fuerint: tunc siquidem desperari incipit recuperatio. Notat tamen *Grotius*, *lib.* 3. *De J. B. & P. cap.* 6. §. 3. recentiori gentium jure, inter Europæos populos, introductum esse; ut talia capta intelligantur; si, per viginti quatuor horas, in potestate hostium fuerint; id, quod *Thuanus*, *ad annum* 1595. etiam obtinere asserit, circa res, terrestri bello captas.

189. Ut, quò ad effectum dominii consequendi, ager captus censeatur; *Grotius loc. cit.* §. 4. & 11. existimat, non sufficere, ut adversarii illum invaserint, & actu insedeant; sed firmam requiri possessionem; puta: ut per munitiones, aut aliter defendi possit. Sic (inquit) Romani, agrum, quem Hannibal castris insedebat, adeò non amissum judicabant, ut eo ipso tempore, nihilo minoris vænierit, quàm antea venditus fuisset. *Grotio* quidem obluctatur *Joannes Voet*: *De jure militari. cap.* 5. *n.* 11. contendens, sufficere qualemcunque naturalem agri possessionem, ad hoc, ut captus intelligatur, & in capientium dominium transeat; verùm id sustineri nequit: alioquin enim hostis, adversarii sui terras, quas per transennam quasi occupat, & in quibus, paucis diebus, morari cogitat; jure proprietatis acquireret, quod nemo dixerit. Præterea; nemo momentaneâ rei occupatione, dominus ejus efficitur, nisi animum habeat rem tanquam suam retinendi; qua ratione autem quis talem habeat animum, si rei facilè ab hoste recuperabili, tantisper corporaliter insistat, eámque custodire nequeat? Dices cum *Joanne Voet loc. cit.* Ex venditione rei, non probatur venditoris dominium, nec sequitur, quòd ager ille venditus, fuerit adhuc in Romanorum potestate; cùm juris minimè controversi sit; quòd non tantùm res propria, sed etiam aliena vendi possit. per *l.* 28. *ff. De contrahenda emptione.* & valida, ad pretium consequendum, nascatur actio; si emptor non ignoraverit rei emptæ conditionem *l.* 57. §. 1. & 2. *ff. eod. tit.* Resp. Tametsi res

aliena vendi possit; equidem Romani non vendiderunt agrum illum tanquam *alienum*, sed tanquam *proprium*; quia noverant *Hannibalem* haud diu agrum illum detenturum. Certum autem est: quòd contractus possit celebrari circa res, quæ propediem sperantur ab hostibus recuperandæ. Vide *Ajalam*, *De jure & offic. Belli. lib. 1. cap. 5. n. 36.*

190. Cæterùm; ut res aliqua, jure belli acquiri possit, necessùm est, ut hostium fuerit: nam, quæ res apud hostes quidem sunt, puta: in oppidis, aut intra eorum præsidia; sed, quarum domini, nec hostes sint, nec hostium subditi, neque hostilis animi; eæ bello acquiri nequeunt, eò quòd titulus & ratio desit; & jus hoc, mutandi per vim dominii, odiosius sit; quàm, ut eò produci debeat. Tametsi igitur præsumptio quædam sit, quòd res in hostium præsidiis vel navibus repertæ, hostiles quoque sint; ut in prædam venire possint; ea tamen præsumptio, adeò vehemens non est; quin validis in contrarium probationibus elidi queat. Ob eandem æquitatis rationem, nec amicorum aut impartialium naves, in prædam veniunt, ob res hostiles in iis repertas, nisi de scitu & consensu dominorum navis, receptæ fuerint aliorsum transfretandæ. *l. Cotem. ff. De Publicanis.* Confer *Rodericum Zuarium, lib. De usu maris. consil 2. n. 6.* Qua interpretatione, ab injustitia excusandæ sunt leges *Galliæ* & *Portugalliæ*, quæ ex rebus vectis, naves, aut ex navibus, res vectas, prædæ subjiciunt; cùm alioquin solæ res hostiles, prædæ sint obnoxiæ, prout observat *Meursius*, *Danicorum lib. 2.* & *Crantzius*, *Saxonicorum. lib. 2.* nec non *Albericus Gentilis. Advocationis Hispanicæ. lib. 20.*

Illud quoque, inspecto gentium jure, certum est; quòd illa, quæ per nos, hostibus erepta sunt, non possint vindicari ab iis, qui ante hostes nostros, ea possederunt, & postea bello amiserunt; sic quippe (ut exempla profana, quæ *Grotius loc. cit.* §. 2. refert, prætereamus) David Rex, quæ ipse *Amalecitis*, Amalecitæ autem antea *Palæstinis* eripuerant, pro suo tenuit, & divisit inter commilitones, prout videre licet 1. *Reg. cap.* 30. ℣. 20. *& seq.* Hac de re, infra iterum redibit sermo.

191. Quæres 3tiò. Cuinam determinatè, in publico ac solemni bello, res ab hostibus captæ acquirantur? an summo Principi, aut populo, cujus auspiciis bellum geritur, an verò singulis de populo; aut an porrò ipsis, qui prædam fecerunt? Prisco gentium jure receptum fuit, ut res in bello captæ, fierent capientium. §. 17. *Instit. De rer. divis. & l. 5. §. fin. ff. De acquir. rer. dominio*, eò quòd naturali æquitati & rationi consonum sit, ut commoda cujusque rei, eum sequantur; quem sequuntur incommoda. *l. 10. ff. De Reg. jur.* Cùm enim res hostiles capiens, grande subeat periculum, inediam sæpe, vigilias, aërisque sufferat injuriam; non immeritò veteribus visum fuit, ut & eo, quod labore suo paravit, commodo fruatur.

192. Legibus Hebræorum, inter res mobiles & immobiles, discrimen fuit observatum. Siquidem res immobiles, inter Tribus, distributæ fuerunt, vel citra sortem; ùt *Numer.* 32. & *Josue* 14. vel per sortem, ùt *Josue* 18 *&* 19. & *Numeror.* 27. Res verò mobiles, dum ab universis captæ erant, inter omnes æqualiter dividebantur *Deuteron. cap.* 20. ℣. 14. & *Josue cap.* 8. ℣. 27. Quòd, si ab una exercitûs parte, res mobiles essent occupatæ; ad singulos regulariter, qui primi illas cepissent, dominii seu proprietatis jure, spectabant res *inanimatæ*, veluti: vestes, aurea vel argentea suppellex, aliáve similia. *Numeror. cap.* 31. ℣. 50. *&* 53. Si autem

tem

tem *animatæ* erant, veluti: fœminæ, infantes, pecora & armenta; in duas scindebantur partes, alterâ præliantibus, alterâ reliquis impedimenta custodientibus assignatâ, cum hoc tamen discrimine: ut à præliantium portione, pars quingentesima, à cæterorum verò portione, pars quinquagesima, in censum Deo penderetur, prout habetur *Numerorum cap.* 31. *vers.* 27. *& seq.* Hæc tamen dividendi ratio, non fuit semper observata; siquidem etiam universa tam rerum inanimatarum, quàm animatarum præda, æqualiter inter omnes distributa legitur; videlicet, tam inter eos, qui apud impedimenta remansissent, quàm, qui cum hostibus in prælio conseruissent manus, nullâ primi occupantis habitâ ratione. ut *Josue cap.* 22. ℣. 8. & 1. *Reg. cap.* 30. ℣. 24. *& seq.* Si verò essent res Deo devotæ, vel anathemate conclusæ; non poterant jure dominii, cuiquam cedere; cæteræ res inanimatæ, destruendæ erant, animalia, verò trucidanda: & qui secus fecisset, sacrilegii reus erat, prout habetur *Josue cap.* 6. ℣. 19. *& seq.* & *cap.* 7. ℣. 1. *Deuteron.cap.* 20. ℣. 17. & 1. *Reg.cap.* 15 ℣. 3.

Græcorum more, ipsæ civitates per vim occupatæ, ad Rempublicam devolvebantur; res autem mobiles, quas quis in ipso conflictu cepisset ab adversariis, occupantis erant; adeóque, si armatâ manu, citra deditionem, capta foret civitas; omnia militibus diripienda concedebantur. Quòd si justo prælio, inter duos exercitus, decertatum fuerat; præda, ab exercitu victore, capta, æqualiter inter singulos dividebatur, aut publicabatur; ex eáque publicata, vel singulis militibus, prœmii loco, pars assignabatur; vel inde restituebatur, quidquid ab hostibus dirutum erat aut eversum. *Curtius. lib.* 3. *cap.* 6. & *lib.* 6. *cap.* 2. *Justinus. lib.* 6. *cap.* 5. Vide *Grotium*, *De jure Belli & Pac. lib.* 3. *cap* 6. *n.* 14.

193. *Romanis* placuit, ut res immobiles, v. g. agri, in prædam propriè dictam, militibus non cederent, sed publicarentur. *l.* 20. §. 1. *ff. De captiv. & Postlimin. l.* 31. *ff. De jure Fisci.* nisi tales essent agri, quos antea adversarii à Romanis, jure belli cepissent: in illis enim postliminio locus erat; ita, ut ad pristinos dominos reverterentur. Eo siquidem jure, res immobiles, ejus censebantur esse conditionis, quasi nunquam ab hostibus occupatæ fuissent. Ubi *Nota*: quòd etsi *jus Postliminii* regulariter tantùm obtinuerit in immobilibus, non item in mobilibus, *l.* 28. *ff. De captiv. & Postlimin.* Nisi fortè navis oneraria major, vel equus foret ab hostibus recuperatus. *l.* 2. *ff. eod.* vel servus noster. *l. fin. ff. eod. Scipio* tamen *Africanus* etiam in aliis rebus mobilibus, postliminii jura vigere voluit. Cùm enim in hostili civitate capta, multa Græcorum signa invenisset & ornamenta varia; per Præconem edici jussit, ut urbes Græciæ, Legatos mitterent; qui, quidquid pertinere ad se demonstrarent, rebus captis eximerent. *Plutarchus in Apophthegm.* Lucretius quoque cum ingenti præda Romam reversus, eam omnem triduò, in campo Martio, exponi mandavit, ut suum quisque recognitum reciperet. *Livius: lib.* 3. Cæterùm; etiamsi agri capti, in publicum referri consueverint; nihilominus sæpe pars illorum, veteranis militibus in prœmium assignabatur, ùt liquet ex *l.* 15. §. 2. *ff. De rei vindicat l.* 16. *ff. De acquirend. rer. dominio. l.* 11. *ff. De evictionib.* Vide *Paulum Voet*, *in Comment. ad* §. 17. *Instit. De rer. divis. n.* 1. & *in tract. De natura mobilium & immobil. cap.* 19. *n.* 2.

Circa mobilia, aut se moventia, à militibus ea fuit introducta consuetudo, ut præda civitatis armatâ manu captæ, ad occupantes pertineret. Hinc tumultuantes.

tes in castris cohortes, apud Tacitum *Histor. lib.* 3. *cap.* 19. ajebant: EXPUGNATÆ *urbis prædam ad milites*, DEDITÆ, *ad Duces pertinere*. Atque hunc morem, milites tanto animi fervore urgebant; ut idcirco sæpe Duces Romani, ipsis urbium captarum direptiones concedere compulsi fuerint, prout latiùs videre licet apud *Grotium, loc. cit. cap.* 6. §. 18. Licet autem milites contenderint, urbis deditæ prædam ad Duces pertinere; equidem non ideo totius prædæ ad eos devolvebatur dominium, sed non nisi summi Principis aut Reipublicæ indultu, quædam è rebus captis, aut sibi attribuere, aut inter milites largiri poterant, prout Justinianus, & ante ipsum alii Imperatores Belli-ducibus permiserunt, ut ex hostium spoliis, præclaris militibus donationes præstare possent. *l.* 36. §. 1. *Cod. De donationib.* Qua ratione, sæpe torquibus, armillis, coronis, aliisque præmiis exornati leguntur milites virtute præstantes. Alioquin omnis post prælium, vel per deditionem acquisita præda, in Fiscum, seu Ærarium publicum, erat conferenda. *l.* 13. *ff. ad l. Jul. peculatûs*: & ab ærarii Quæstore, sub hasta, vendenda; prout manifestè tradit *Dionysius Halicarnassensis lib.* 7. *Omnes profectò scitis* (inquit) *prædam ex hostibus captam, nostrâque virtute partam, ad Rempublicam, legis jussu, pertinere, & non modò nullum privatum hominem, sed ne ipsum quidem Imperatorem, in istam jus habere; sed Quæstoris esse, hanc acceptam vendere, & pecuniam hinc redactam, in Ærarium ferre.* Sic eodem *Dionysio Halicarnassensi* teste, *lib.* 8. Consul *Fabius* omnem prædam & spolia, item captivos, quibus potitus fuerat; per Quæstorem vendi jussit; pecuniámque in urbem detulit. Confer *Ajalam, De jure & offic. bell. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 5. Rursum tamen & reperiuntur exempla, quibus constat; universam quandoque prædam, interdum magnam ejus partem, militibus fuisse distributam cum proportione, qua de re, videri potest *Grotius loc. cit.* §. 17. Adde *Ajalam loc. cit. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 6.

Sed quid dicemus ad *l.* 5. §. *fin.* & *leg.* 51. §. 1. *ff. De acquir. rer. domin.* & §. 17. *Instit. De rer. divis.* ubi dicitur, quòd res universæ ab hostibus captæ, non fiant *publicæ*, sed occupantibus cedant. Video Doctores in exponendo illorum textuum sensu, in varias ivisse opiniones. Siquidem *Bocerus*, *classe* 5. *disp.* 3. *n.* 57. & *seq.* distinguendum existimat: utrum res mobilis, capta sit ab hostibus devictis; an verò ab iis necdum superatis. Hoc casu, putat, rem occupantis fieri, *illo* non ita. *Grotius*, *loc. cit.* §. 12. distinguit: an in ministerio *publico* res capta sit, an verò extra illud. Hoc casu, capienti dominium adjudicat: *illo* denegat. *Wesenbecius consil.* 202. *n.* 74. capta tum demum capientium fieri arbitratur; si Dux, illa sibi exhibita, inter milites distribuerit. Rectiùs autem sensit *Merenda. Controvers. lib.* 2. *cap.* 22. ubi resolvit, res omnes mobiles captas, *de se*, non capientibus, sed Reipublicæ, Romanorum jure, cessisse: in Ducum tamen fuisse potestate, ut ad magis incitandos præliantium animos, urbem diripiendam militibus concedere potuerint, & tali eventu, quemque plenum & legitimum acquisivisse dominium ejus, quod in expugnata civitate primus occupâsset, nec ad collationem obligatum fuisse, ut universa deinde præda inter singulos milites divideretur. Vide latiùs *Merendam. loc. cit. n.* 18. ubi ex *Livio*, hujusmodi direptionum à Ducibus indultarum exempla refert. Adde *Cujacium Observat. lib* 4. *cap.* 9.

194. Hodiernis moribus, inter Christianos, à veteri illo gentium jure, recessum est: & inter res immobiles distinguitur

tur: num in Reipublicæ devictæ fuerint dominio, an verò ad singulos, seu particulares pertinuerint cives, in urbibus & agris hostilibus, degentes. Consuetudine siquidem invaluit, ut captâ civitate, vel alio munito loco, in victricis Reipublicæ dominium, jure belli, transeat illius territorii jurisdictio, omnes item agri publici, & jus tributorum & vectigalium: singulorum verò prædia, urbe deditâ, non cedant victori, sed unusquisque, in tranquilla maneat illorum possessione, dummodò tanquam civis aut subditus, fidelitatis homagium novis velit præstare dominis, iisque tributum solvere. *Manzius in Commentario ad* §. 17. *Instit. De rer. divis. n.* 17. Interdum etiam in urbium traditionibus, stipulantur se dedentes, ut agris & ædibus intra certum tempus divenditis, inde tutò queant aliorsum demigrare.

Circa res mobiles, usu receptum, ut belligerantibus utrimque Christianis, homines in bello capti, ob præstantiam & reverentiam Religionis, non fiant capientium servi, aut possessio dominorum *animata*, sed omni servitutis antiquato jure, persoluto redemptionis pretio, domum remittantur. *Ajala. De jur. & offic. bell. lib.* 1. *c.* 5. *n.* 1. *Paulus Voet ad* §. 17. *Instit. De rer. divis. n.* 3. Id quod de veris militibus, juramento militari obstrictis & in numeros relatis, intelligendum est: nisi enim captus docere possit, se alicui legioni vel centuriæ adscriptum esse; vulgari lytro (quod in gregariis, fere solet esse menstruum stipendium) non redimitur, sed pro arbitratu victoris, majus pretium persolvere cogitur. Equidem in bello maritimo, præliisque navalibus capti, etiamsi de eorum militia liquidò constet; certo tamen & statuto lytro redimi non solent, quamdiu bellum durat, prout testatur, *Reidanus, lib.* 1. *Annalium.* Quinimò milites in flumine publico navigantes, ab hostibus intercepti, *anno* 1641. 23. *Aprilis*, menstruo stipendio, more alias solito, redimi non potuerunt, sed cum adversariis, de redemptionis pretio, transigere coacti fuêre, prout refert *Ant. Van Dalen, Ad jus militare Batavicum.* seu: *Krygsraeds Besoignes. titulo. Van Gevangenen. pag.* 119. & 127. Speciale est, quòd in Republica confœderatarum Belgii Provinciarum, omnes in universum servi, simulatque ditionis istius limites intrârunt, dominis invitis, ad libertatem proclamare possint, & eô ipsô naturalem censeantur consecuti esse libertatem. Teste *Groenweg. De legib. abrogatis. Ad tit. Instit. De his, qui sui vel alien. jur. sunt.* Quòd, si Christiani, non cum Christianis; sed cum Barbaris gentibus, veluti Turcis, Persis, Tartaris, aut similibus, bellum gerant; sicut alibi pluries adnotavimus, etiamnum hodie, durat pristinus servitutis usus, & utrimque capti, fiunt capientium servi. Vide *Paulum Voet ad* §. 5. *Instit. De jure personar. n.* 4. & quamvis de jure Romano, à Barbaris capto, non potuerit à quopiam hæreditas vel legatum relinqui, *l.* 4. §. 1. *ff. De his, quæ pro non scriptis habentur.* Modernis equidem moribus, servo perinde ac libero, quid relinqui potest & acquiri. *Groenweg. loc. cit.* Quinimò, servos ejusmodi, etiam in servitute lugentes, testamentum condere posse; post *Covarruviam,* ad *Reg. peccatum. p.* 2. §. 11. *n.* 6. novissimè censuerunt *Groenweg. ad* §. *fin. Instit. Quib. non est permiss. fac. testam.* & *Paulus Voet, ibid. n.* 6.

Distinctionem circa mobilia, quam ex *Grotio* supra retulimus, moribus hodiernis, probatam amplectitur *Groenweg. ad* §. 17. *Instit. De rer. divis.* Aut enim capta sunt à militibus in ministerio *publico*, & actu bellico versantibus, veluti; dum, cum

cum exercitu sunt in expeditione; aut alias, de expresso Belliducis mandato, ad intercipiendas res hostium, missi sunt; & tunc nihil omnino sibi retinere possunt primi occupantes, sed quidquid captum est, Reipublicæ debetur: aut præda hostibus, occasione quidem belli, erepta est; sed *extra ministerium publicum*: veluti, dum Gubernatoris alicujus accedente consensu, nonnulli liberas & spontaneas suscipiunt in hostem excursiones, & inimicorum vicos, vel oppida spoliatum eunt: quo casu, capta, non primis quidem & solis occupantibus, sed singulis, excursionis illius & periculi sociis, cedunt. Quidquid enim ceptum, in commune collatum & deductum intra præsidia, sub corona divenditur, & æqualiter, inter æquales expeditionis istius privatæ consortes, distribuitur. Dixi. *inter æquales.* Nam servatâ proportione, plus capiet Centurio, quàm Signifer; plus Signifer, quàm hospitiorum assignator, & hic plus, quàm miles gregarius. Qua de re, pro confœderati Belgii provinciis, confer *Ant. Van Dalen. loc. cit. tit. Van Buyten. pag.* 35. *& seq.*

195. Disputatum fuit; si præda à manipulo capta, ab hostibus recuperata, rursus ab alio manipulo capta sit, cuinam cedat; utrum primo manipulo, an utrique, an verò soli manipulo, qui postmodùm supervenit? Ad secundum manipulum privativè prædam, pertinere æquiùs est. Cùm enim primi manipuli consortes, eodem belli jure, quo res hostium *suas* effecerant, earum amisissent dominium, & præda per pristinos dominos recuperata, pristinam induisset naturam; secundus manipulus, hostium potiùs, quàm commilitonum bona cepisse dicendus est; ac proinde ipsi, tanquam primo occupanti, assignandum est illorum dominium.

196. Porrò; ratio differentiæ inter res in ministerio publicò captas, & acquisitas extra illud, *hæc* est; quod in ministerio publico, milites singuli, Reipublicæ sustineant personam, ejúsque vice fungantur. *Groenweg. ad* §. 17. *Instit. De rer. divis.* & quòd officii contemplatione, ad publicas expeditiones suscipiendas, obstricti sint milites; & eam ob causam, menstruum percipiant stipendium, in laborum & periculi remunerationem: nemo verò, privatus cogatur, in hostile solum, excursiones suscipere; sed spontè & animi proprii motu, penes Centurionem, vel alium ejusmodi expeditioni præpositum, nomen suum profiteatur, ad excursionem faciendam. Ut proinde non immeritò, per consuetudinem introductum sit; ut ad eos, pro periculo suscepto, præda pertineat.

197. In maritimo bello, quidquid privati, Principis consensu, naves ad conflictum bellicum propriis sumptibus instruentes, publicis eripuerint adversariis; id ad occupantes socios nauticos, naviúmque dominos pertinet, pro portionibus in societatis contractu, designatis, detractâ prius *quinta* parte, quæ Reipublicæ, & *decimâ*, quæ maris Præfecto debetur. Qua de re *Grotius. loc. cit.* §. 24. ubi & aliarum gentium, hac in parte, consuetudines prosequitur. Illud autem omne, quod navibus bellicis, impensâ ærarii publici, adornatis, intercipitur; Reipublicæ cedit, quanquam & tunc aliquid ex præda, præliantibus tribui soleat, prout ex placitis Ordinum Generalium refert *Aitsema. Histor: lib.* 45. *edit. in* 4. *part.* 12. *pag.* 710. *&* 744.

198. Sed, quid, si merces sint amicorum aut pacem colentium, navis autem sit hostium; vel vice versa? Tametsi omnes res in hostium navibus repertæ, hostiles esse præsumantur, & ideo capientium fieri tradat, *Loccennius. De jure maritimo. lib.* 2. *cap.* 4.

4. *n.* 11. nihilominus, si probari possit, res quasdam vel omnes, in carinis, & apud hostes inventas, ad socios, non ad inimicos, dominii jure pertinere; illud, ùt supra insinuatum, observabitur; ut, quidquid hostium esse probatur, in prædam cedat; quidquid verò illorum fuerit, quibuscum nulla nobis intercedit inimicitia; pristinis sit restituendum dominis. Quod, si navis non fuerit hostilis; nihilominus nauta cogi poterit, ut legitimâ vecturæ persolutâ mercede, inimicorum merces, in tutam aliquam navium stationem deferat, prout apud Hollandos decisum refert *Grotius* in *Additionibus. lib. 3. c. 1. De jure B. & P.* Cùm enim nec peregrinorum navigia, gaudeant angariarum immunitate, quando liberæ Reipublicæ, aut Regni utilitas id postulat; *l. 18. §. 22. ff. De munerib. & honorib.* etiam jure merito, poterunt in ipso mari compelli ad præstandum sociis aut amicis temporarium illud servitium. Et hæc ita circa res amicorum, in navibus hostilibus, repertas, ac vice versâ; nisi aliud peculiaribus, inter Principes ac populos, conventionibus, ad fictionum & fraudum occasiones amputandas, inductum appareat; prout inter Ordines fœderati Belgii, & Galliæ, Sueciæ, Lusitaniæque Reges placuit, merces eorum, qui extra belligerantium partes sunt, in navibus hostilibus repertas, unà cum navigio capto acquiri, contra verò merces hostium vectas navibus eorum, qui bello impliciti non sunt, ex navibus istis, belli jure, extrahi & occupari non posse, nisi sint merces belli usibus inservientes. Confer *Joannem Voet. in commentario ad pandectas. tit. De captiv. & Postlim. n. 5. in fine.* Si

199. Petas: num meliùs sit, res in bello captas, ad primum quemque occupantem, jure dominii, pertinere; an verò magis expediat, illas, post superatos hostes, in unum conferri locum, ut debitam quisque accipiat portionem. Resp. Nedum juri & æquitati consonum, sed & Reipublicæ consultissimum esse, ut inter omnes, servatâ proportione, jussu supremi Belliducis, fiat prædæ distributio. Etsi enim gratiùs lætiùsque cuivis privato sit, ut quod suâ cepit manu, sibi retineat; privati tamen cujuspiam gaudium, commodo & emolumento Reipublicæ anteponendum non est, id quod tamen eveniret; si cuique privato, rei captæ dominium concederetur. Antequam enim penitus impetrata victoria sit, plerique nimio æstuantes prædæ desiderio, ad rapinas, ex acie sese conferunt; ex quo sæpe (& nuper in confinibus Bohemiæ) factum, ut hostes dispersi, sese recollegerint, & adversarios spoliis avidiùs intentos, in fugam egerint, & porrò devicerint; prout veteribus exemplis constat, quæ refert *Justinus, lib. 5. cap. 5. Tacitus* item *Hist. lib. 1. cap. 79.* & novissimè *Sande. Hist. lib. 2.* Præterquàm, quòd in direptionibus, avidæ prædantium manus, ùt plurimùm præripere soleant fortium bellatorum prœmia: dum enim strenui quique milites, nondum penitus eversis inimicorum viribus, adhuc ad obtinendam victoriam in acie desudant, & perrumpere conantur adversariorum agmina; lixæ plerumque & calones, ad prædam festinant, & tutò pervestigantes hostium domos, papiliones, quin & cadavera; quidquid pretiosum est, ipsísque arridet, diripiunt, vili & abjecta suppellectile ipsis relictâ, qui suo periculo, suâque constantiâ, victoriam pepererunt. Ex quo fit, ut pavidi & vituperabiles, mortuos spoliantes, plus auferant, quàm ii, qui cum vivis conseruére manus: quinimò eorum, qui fortissimè pugnando, laudabili periere fato, nulla habeatur ratio, nullúmque ex defunctorum fortitudine, ad

ad uxores, liberos, aut consanguineos, emolumentum perveniat, quæ omnia tam absurda, quàm iniqua esse, nec Duci tollerandа, quivis politicæ candidatus facilè dijudicaverit. Unde, ne quò ad prædam ac præmia illorum obliteraretur memoria, qui in prælio, vitæ fortem amiserunt, & sanguine suo victoriam redemerunt; sed ut potiùs mortui, vivis celebriores haberentur; ideo Ordinum Generalium Constitutione, 10. *Maii* 1665. decretum fuit, ut eorum, qui in acie cecidissent, & superstites, si mansissent, fuissent prædæ participes, uxores aut liberi, è rebus captis *duplum* acciperent ejus, quod ipsi mortui, si superstites mansissent. Atque in hoc passu, Hollandiæ *Status*, secuti sunt veterem Romanorum morem, quem laudat *Cicero*: *Philippica* 14. *prope finem.*

200. Quid, si navigium nostrum unà cum mercibus, ab adversariis captum, a nostratibus recipiatur? ℞. Certum est; quòd navigium nostrum à Piratis captum, & à nostratibus recuperatum, nobis reddi debeat, quandocunque recuperatum fuerit. *Ratio* est; quòd jus Gentium, nunquam hujusmodi improbis direptoribus indulserit dominium rerum raptarum. *Arg. l.* 24. & 27. *ff. De captiv. & postlim.* Vide *Loccennium. De jure marit. lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 4. Loquendo de aliis legitimis hostibus, teste *Grotio*, *loc. cit. cap.* 6. *n.* 3. & *cap.* 9. *n.* 16. communi quondam in Europa, Gentium consuetudine introductum fuit; ut, si res captæ, per horas *viginti quatuor* in hostium potestate fuissent; extincta censeretur earum recipiendarum fiducia, ac proinde reputaretur earundem proprietas amissa; sic, ut ad recuperantes in universum dominii jure pertinerent: sin verò intra viginti quatuor horarum spatium, adversariis iterum ereptæ fuissent; primis essent restituendæ dominis, qui nondum credebantur penitus illarum amisisse dominium: ita tamen, ut illis, qui res ereptas recepissent, in laboris & periculi remunerationem, justum non esset denegandum præmium vel honorarium. Verùm, cùm ex illo jure moribus introducto, summum quandoque sequeretur incommodum & injuriarum occasio; dum nonnulli, in quorum erat potestate socios hostilibus eripere faucibus, abominandâ correpti avaritiâ, fraudulenter sese continerent, ut elapsis viginti quatuor horis, res captas recuperarent, & suas facerent; quo casu, inimici sæpe longiùs cum præda aufugiebant; ideo *Statibus Hollandicis* visum fuit sancire, ut nulla temporis, quo in hostium potestate naves captæ fuerint, habitâ ratione, quicunque prædam, in mari, inimicis iterum eripuerint, omnium illorum, quæ recuperaverint, *bessem* percipiant. *Placit. Ordin. General.* 1. *Martii* 1632. *art.* 62. Cæterùm *Groenweg. ff. De captiv. & postlim. reversis.* Id tantùm, in illo casu, obtinere intelligit; si nondum in hostium portum, vel præsidia delatum sit navigium; eò quòd tunc adhuc aliqua supersit recuperandi spes: alioquin enim censet, rem deinde recuperatam, velut hostilem, ad occupantes, in universum pertinere, nec *trientem* pristinis restituendum esse possessoribus. Porrò novissimè, scil. 22. *Junii* 1702. iisdem *Hollandiæ Statibus* placuit adhibere hanc distinctionem, scilicet: utrum recuperatio facta fuerit *intra quadraginta octo horas*, an verò postea, *intra duplicatas horas quadraginta octo* ab occupatione computandas; an denique *post duplicatas quadraginta octo horas*, quandocunque facta esset recuperatio. Primo casu, *quinta*, secundo, *tertia*, ultimo autem, *dimidia pars* assignata fuit recuperantibus, qui videlicet suis sumptibus, naves instruxerint.

201. Porrò, si navis capta, non armatâ quidem manu recuperata, sed à *tertio*, in-

infra justum fortè pretium, redempta fuerit; tertio redimenti liberum non est, redemptum sibi reservare navigium, si nondum intra præsidia deductum fuerit; verùm tenetur illud primo domino exigenti & pretium impensum refundere offerenti, reddere. *l. 6. & 12. §. 7. ff. De captiv. & postlim.* Unde, si res pluribus communis, redempta fuerit, & nomine omnium dominorum, ei, qui redemit, pretium reddatur; in communionem res redibit: si verò unius, vel quorundam, non autem omnium sociorum nomine, redimenti, ea, quam in redemptionem impendit, pecunia refusa fuerit; ad eos quoque solos, quorum nomine, nummi soluti, res recuperata revertetur.

202. QUÆRES 4tò. Utrum, extra territorium utriusque partis belligerantis, capta, fiant capientium? RESP. Inspecto gentium jure, sicut hostis ubivis repertus interfici potest; ita & res hostiles ubivis capi possunt, *per se* scilicet loquendo: nam, qui eo loci summum habet imperium, potest lege suâ prohibere, ne id fiat, & si contra factum fuerit, potest de eo, tanquam de delicto poscere, ut sibi satisfiat. Simili ratione, quanquam omni jure permissum sit, ad res captas ab hostibus recuperandas, ipsorum portus & navium stationes, armatâ manu, intrare, & inde abducere navigia; nefas tamen reputatur, in pacati populi portus irrumpere, si fortè contigerit hostes cò cum præda secessisse, ne contemni videatur hoc pacto alterius Regis aut Reipublicæ, Majestas, & violentur ea, quæ jure Gentium sancta sunt & inviolabilia, quæque pacis publicæ privilegio gaudent navium receptacula. Confer *Loccennium de jure Maritimo. lib. 2. cap. 4. n. 6. & seq.*

Pro coronide hujus Sectionis NOTA: quòd soli bello publico & solemni, ex gentium moribus, competat jus acquirendi res armis captas. Unde in bellis aliis inter exteros, non acquiritur vi belli, sed duntaxat in compensationem debiti, quod aliter obtineri non potest; sicut de Repressaliis, supra dictum. In bellis autem inter cives, sive magna, sive parva sint, nulla fit dominii mutatio, nisi authoritate judicis. *Silv. Verb. Bellum.* 1. §. 2. & §. 3.

SECTIO DECIMA.

De Jure in Captivos & Imperio in Victos: ac, quo temperamento uti deceat in utrosque?

203. Tametsi, ut alibi sæpe repetivimus, servi à natura *nulli* sint, juri tamen naturali non repugnat, ut qui *naturâ liberi* sunt, pacto, delicto, aut bello, servi fiant. Non enim soli, qui se dedunt aut servitutem promittunt, pro servis habentur, sed & omnes omnino, qui publico & solemni bello capti, intra hostium præsidia deducti sunt; imò, qui bello repentè exorto, citra delictum proprium, casualiter, intra hostium fines deprehenduntur. *l. Postliminii. §. 1. ff. De captivis. l. In bello eod.* Neque soli sic capti aut deprehensi, servi fiunt, sed & eorum posteri in perpetuum; ii nempe, qui ex matre serva, post servitutem, nascuntur. *l. & servorum. §. 1. ff. De statu hominum.* Qua de causa, *Tacitus lib. 1. Annal.* servitio subjectum dixit ancillæ uterum.

204. Prisco gentium jure, dominis nihil non, in servum licebat; ita ut quævis sævitia dominorum in serviles personas impunita fuerit: hanc tamen ferociam civiles Romanorum leges mitigârunt, ut alibi observavimus, quanquam res captæ unà cum persona acquirantur domino. Servus enim, qui in potestate domini est (inquit *Justinianus*) nihil suum habere potest, quod adeò verum, ut etiam incorporalia jura, mediante persona, cui

ea

ea competebant, belli jure acquirantur. *Ratio*, cur ista, Gentium jure, introducta fuerint, *hæc* est: ut tot commodis illiniti captores, libentiùs abstinerent à summo illo rigore, quo captos statim, & ex intervallo, occidere poterant. Eandem ob causam, hoc jus etiam ad servorum liberos prorogatum fuit. Si enim captores, summo illo jure usi fuissent & servos occidissent, liberi eorum nati non fuissent. Ex quo econtra resultat: quòd nati ante captivitatem patris, servi non fiant, nisi & ipsi capiantur. Ideo autem Gentes voluerunt, ut natus sequeretur conditionem matris; quia serviles concubitus, nec lege, nec certâ custodiâ erant constricti; ita, ut nulla sufficiens præsumptio patrem indicaret. Quo sensu capiendum, quod dixit *Ulpianus: l. lex naturæ. ff. De statu homin. Lex naturæ hæc est, ut, qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur.* Ubi per legem naturæ, intelligit consuetudinem generalem deductam ex ratione naturali.

205. Petes: An bello *injusto* capti, aut ex hujusmodi captis nati, tutâ conscientiâ aufugere possint? Resp. *Affirmativè.* Etsi enim tales aufugientes, aliter ex Postliminii jure, libertatem non consequantur, quàm si durante bello, ad *suos* confugerint *concives*, ad alios verò se recipientes durante bello, vel factâ pace, vindicanti domino reddi soleant; inde tamen non sequitur, quòd sine reatu culpæ *Theologicæ*, aufugere nequeant, cùm multa sint jura, quæ solum forum externum respiciunt, inter quæ rectè numerantur multa jura bellica.

Dices. Captor fit dominus servi, ergo servus aufugiendo nequit se substrahere domino suo. *Resp. Dist. Anteced.* Captor fit dominus servi, ut illum servare possit, & fugientem persequi, & in judicio humano vindicare queat. *Conc.* Fit dominus servi, ita, ut is in servitute permanere cogatur, & tutâ conscientiâ aufugere nequeat *Neg.* Multa sanè in *foro fori* jus faciunt, quæ non semper peræquè in conscientia stringunt. Etsi enim testamenta, quibus solemnitates à jure civili requisitæ desunt, *nulla* dici, & penitus everti possint; ex probabiliore tamen sententia, id quod hujusmodi testamento relictum est, retineri salvâ conscientiâ potest, saltem, quàmdiu ei non contradicitur. Econtra, licet civilia judicia, illum, ùt dominum tueantur, qui malâ fide rem præscripsit; nihilomagis tamen hujusmodi præscribens in *foro poli* tutus est. Itaque justitia *externa* duntaxat hac in parte gentibus sufficiebat. Nam facultas vindicandi servum & cogendi, imò & vinciendi, ac res ejus habendi, sufficiebat; ut captis captores vellent vitam relinquere: quanquam ad illos religionis vinculo constringendos, potuerint ab iisdem insuper juratam fidem exigere. *Ratio* positæ resolutionis nostræ est; quòd in lege, quæ non ex æquitate naturali, sed majoris mali vitandi causâ, lata est, temerè non fit facienda interpretatio, quæ peccato obnoxium faciat actum cæteroquin licitum. Quò respiciens *Florentinus Juris-Consultus* dixit: *l. Nihil. ff. De captiv. Nihil interest, quomodò captivus reversus est: utrum dimissus, an vi, vel fallaciâ, potestatem hostium evaserit?* Ratio *rationis* est; quia jus captivitatis, quò ad effectus quosdam, tale jus est, ut alio sensu, plerumque *injuria* sit; puta: si id, quod rei intrinsecum est, spectemus; quo respectu, *Paulus JCtus* captivitatis jus, *injuriam* vocavit.

Ex theoria ista sequitur; quòd si quis in bello injusto captus, in potestatem hostium devenerit, furti crimen non committat, si res suas subducat, aut laboris sui mercedem, si quam, supra alimenta, præ-

ſtari æquum eſt. Quo pacto Hebræi excuſabiles erant, dum egreſſi ex Ægypto, ſecum tulerunt res multas Ægyptiorum. Id enim ſine reatu facere potuerunt, primùm quidem, ut miniſterii tam longi temporis, mercedem condignam haberent; deinde pro ſervitute per vim impoſita, pœnam non parem, ſed multò minorem expetentes.

Nec Obest; quòd ſervi in fuga deprehenſi, aut res ſuas ſubducentes, graviter à dominis caſtigentur. Non inquam hoc obeſt; domini enim potentiores, ſuis freti viribus, hæc & ſimilia multa factitant, non quia æqua ſunt; ſed, quia ſibi utilia, aut ita placita ſunt.

Dices: *Can. Si quis ſervum.* 17. *quæſt.* 4. & *can. ſeq.* prohibetur, ne quis ſuaſu ſuo, ſervum à miniſterio domini ſui abſtrahat. Resp. Canones illos loqui de ſervis, qui in pœnam criminis admiſſi, ſervitutem ſentiunt, aut: qui voluntariâ pactione, ſeſe dominis addixerunt, hiſque ex juſtitia ſervire debent; non verò de iis, qui bello *injuſto* capti, aut ex hujuſmodi captivis nati ſunt; quanquam neque his Chriſtianis, Chriſtianos, authores deſertionis eſſe deceat, ſed potiùs patientiæ, ne, ſi ſervis *per ſe* licitam etiam fugam ſuadeant; aliorum animos à Chriſtianiſmo alienos, aut alioquin infirmos offendant. Parili ſenſu, capi poſſunt Apoſtolorum ad ſervos exhortationes, quæ quatenus ſervis obedientiam & fidele obſequium erga Dominos inculcant; hunc ſenſum habent; quòd ſervi in actuali ſervitute exiſtentes, & alimenta tanquam mercedem operarum percipientes, dominos ſuos fraudare non debeant.

Obsistes: Si domino non niſi jus illud *externum* & *forenſe* competat in ſervum; ergo ſervus domino jus illud externum exequenti, illæſo juſtitiæ internæ officio, reſiſtere poſſet; ſed hoc admitti nequit; ergo nec illud. Resp. *Negando ſequelam majoris.* Nam jus illud externum, nedum in agendi impunitate, ſed & judiciorum tutela conſiſtens, inane foret: ſi ex adverſo reſiſtendi jus maneret. Si enim domino vi reſiſtere liceret, liceret & reſiſtere Magiſtratui dominum tuenti, qui dominum, jure gentium, in uſu hujus dominii defendere & manutenere debet. Itaque, ſicut ſummis in civitate poteſtatibus obluctari non eſt conceſſum; ſic nec ſervis licet reſiſtere dominis. *Ita* enim [docente Magno Patre Auguſtino] *à plebeis, Principes, & à ſervis, Domini ferendi ſunt; ut ſub exercitatione tolerantiæ, ſuſtineantur temporalia, & ſperentur æterna.* Dixi ſupra: *in bello injuſto.* Verius enim eſt, in bello juſto captos, ſecundùm juſtitiam *internam*, licitè aufugere non poſſe, niſi intolerabilis ſævitia dominorum hanc imponat fugiendi neceſſitatem, & veniam præbeat. Confer *Grotium lib.* 3. *De jure B. & P. cap.* 14. §. 7.

Cæterùm, JC*ti* Romani, potiorem partem, *totius* nomine compellantes, etſi univerſaliter loquantur; jus tamen illud gentium de captivis, nec apud *Hebræos* viguit, nec modò viget inter Chriſtianos; ſiquidem apud Hebræos, qui ſpecialibus ſtatutis, ab aliorum populorum moribus, & communione ſegregabantur; ſervis, qui nullâ ſuâ culpâ, in eam calamitatem devenerant, aſylum concedebatur *Deuter.* 23. ℣. 15. ibi: *Non trades ſervum domino ſuo, qui ad te confugerit.* & ℣. 16. *Habitabit tecum in loco, qui ei placuerit, & in una urbium tuarum requieſcet, ne contriſtes eum.* De Chriſtianorum moribus, pluries diximus; inter illos invicem belligerantes, captos non ſubire ſervitutis jugum; eò quòd Chriſtiani, à divino charitatis Præceptore ſuo rectiùs inſtituti ſint; quàm, ut à miſeris hominibus trucidandis cohiberi nequirent, niſi minoris ſæ-

sævitiæ indultu. Quinimò, idipsum jam olim observatum fuisse inter gentes eandem religionem profitentes, memorat *Boërius*, *Decisione* 178. ubi addit observari in *Francia*, *Anglia* & *Hispania*; ut, si captus sit Dux, Comes aut Baro; is non militum capientium sit, sed Principis, cujus auspiciis bellum geritur.

206. Sicut Gentium jure, victor victos sibi subjicere potest *singulos*, ita & *universos*, sive illi civitas fuerint, sive civitatis pars. Subjicere (inquam) aut singulos aut universos potest, aut *merè civiliter*, aut *merè heriliter*, aut *mixtim*. Victor enim victis, non ad alterius præscriptum, sed ad suum arbitrium imperare potest. Non semper tamen devicto & capto Rege, totum imperium in populum acquiritur in illo nempe casu, quo aliud jus est penes Regem, aliud penes populum. Hinc dum *Hunni* contendebant, suos esse *Gepidas*, eò quòd Regem eorum cepissent; meritò id negârunt *Romani*; quia *Gepidæ* habebant Principem magìs, quàm Regem, nec in Principis sui *Patrimonio* erant. Econtra Henricus, Friderici Barbarossæ filius, capta Siciliâ, Epidamnum, Thessalonicam, aliáque à Siculis possessa, sibi vindicabat. Itaque imperium victori acquiri potest, vel tantùm, ùt est in Rege, aut alio imperante; & tunc tantùm in ejus jus succeditur, non ultra; vel etiam; ùt est in populo; & tunc totum id potest, quod populus poterat, sive: fit dominus populi. Quo casu, Victor ita populum sibi subjicere potest, ut, quæ civitas fuit, civitas esse desinat; vel: quia fit accessio alterius civitatis; vel: quia nulli civitati adhæret aut adjicitur, sed seorsim, singulari modo, regitur. Porrò imperium tendens in solius regentis utilitatem, vocatur *herile*; *civile* verò, si tendat in utilitatem eorum, qui reguntur. *Hoc* inter homines liberos locum habet; *illud* inter dominos & servos; &, qui tali tenetur imperio populus, non vocatur *civitas*, sed *magna familia*. *Mixtum* denique dicitur imperium, quod ex civili & herili coalescit, & de utroque aliquid participat, puta: cùm servitus miscetur cum aliqua personali libertate. Ex his

207. Resultat: quòd, sicut res singulorum, jure belli, illorum fiunt, qui illos evicerunt; ita & res universitatis devictæ, victori cedant, si is ita voluerit, neque inter deditionem, *absolutè* & absque conditione factam; ac armatam capturam, catenus discrimen est statuendum. Quod enim vis alioquin esset erreptura, hoc deditio sponte permittit. Unde & incorporalia jura., quæ universitatis fuerant, fient victoris, quatenus velit. Proinde *Alexander* Magnus, *Thebarum* dominus effectus, jure victoriæ, validè *Thessalos* liberavit ab obligatione centum talentorum, quæ ipsi debebant *Thebanis*. Regerebant quidem Thebani, aut pro Thebanis alii; id duntaxat victoris esse, quod ipse apprehenderit & teneat; adeoque eò referri non posse jura *incorporalia*, quæ manu apprehendi non possunt: item aliam esse conditionem *hæredis*, aliam *victoris*; eò quòd ad *illum* jus, *ad hunc* verò res transeat. Sed ratio in contrarium probat: quòd Alexander Thessalis hanc liberationis donationem facere potuerit: siquidem, qui dominus est personarum; idem & rerum, ac omnis juris est, quod personis competit. *l. qui in servitute est. ff. De R. J.* &: qui possidetur, non possidet sibi; nec in potestate sua quidquam habet, qui suæ potestatis non est. Quinimò, etiamsi victor, populo victo, jus civitatis relinquat; poterit nihilominus jura civitatis constringere; & quædam sibi appropriare; quia in ipsius arbitrio est, quem velit esse beneficii sui modum.

Ha-

autem veri patresfamilias sunt, omnibus in familia sua, tanquam filiis ad colendum & promerendum Deum, consulunt.

209. Servis, non tantùm pro opera, debentur alimenta & vestimenta necessaria; sed & beneficium à domino, ac gratitudo præstari meritò potest; puta: si non ex imperio domini, sed sponte, extraordinaria servitia præstiterint. Ex quo inductum; ut, si quid servus, genium seu ventrem suum defraudando, & tenuiùs vivendo, comparsisset, aut singulari diligentiâ, per labores insolitos acquisivisset, id aliquo modo ipsius esset. Unde Theophilus *Instit. Quod cum eo qui in alt. potest. &c.* Servi peculium definit: *naturale patrimonium.* Cui non obstat; quòd dominus pro arbitrio suo, possit servo adimere vel minuere peculium: si enim dominus naturalem sequi velit æquitatem; id absque causa non faciet. Causa autem esse potest, aut servi delictum, aut domini necessitas. Siquidem servi utilitas, magìs utilitatibus domini sub servire debet, quàm res civium civitati.

Ob hanc æquitatis naturalis rationem, apud Græcos, servis duriùs habitis licebat ad venditionem suî provocare, & *Romæ* ad statuas confugere, aut Præsidum implorare opem, contra dominorum sævitiam, vel intolerabilem injuriam. Vide *tit. Instit. De his, qui sui vel alie. jur.* Jure quoque Romanorum, in favorem servorum, introductum noscitur beneficium *manumissionis.* Sed Romanorum jure, benignior fuit vetus lex, *Deuteron.* 15. ℣. 12. Hebræis data, vigore cujus, certo tempore exacto, servus Hebræus manumitti omnino jubetur. Sic enim disponit lex: *Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, & sex annis servierit tibi; in septimo anno dimittes eum liberum: & quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris: sed dabis viaticum de gregibus & de area & torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi.*

SECTIO UNDECIMA

De Jure Postliminii.

210. *Postlimii* vox composita est ex *post* & *limen*; & *eliminare* idem est, ac è finibus ejicere; & ideo veteres *exilium* vocabant *eliminium*. Jurisperitis, Postliminium est jus, quod nascitur ex reditu in limen, id est fines publicos. Sic Pomponius *l. Postliminii* §. 1. *ff. De captiv.* reversum postliminio ait, qui intra esse cœpit. Ex paritate autem rationis, Gentium consensu, res eò perducta est, ut Postliminium, locum quoque haberet, si quis homo, aut res ejus generis, in quo Postliminium esse placuerat, pervenisset ad amicos nostros, non quidem qualescunque & peccatos, seu bello non implicitos, sed illos; qui in bello easdem nobiscum partes sequuntur, ad hos enim qui venerunt, ùt *Paulus* loquitur *l. Postliminium.* §. *Postliminii ff. eod.* nomine publico, tuti esse incipiunt. Nihil enim interest; homo aut res, ad *hos* aut *suos* pervenerit. Pro dilucidatione hujus materiæ.

211. Sciscitaberis 1*mò*. Utrum in pace sit Postliminium, sive: an pax semper importet Postliminium? Resp. In pace [nisi aliter convenerit] Postliminium quidem est his, qui non virtute bellicâ superati, sed fato suo deprehensi sunt apud hostes, bellô subitò exortô: aliis verò captivis Postliminium non nascitur, nisi id speciatim pactis fuerit comprehensum. *Ratio discriminis* est; quòd capti in actuali prælio, habeantur tanquam ex justa causa capti, utraque enim belligerantium pars putat, sibi injuriam fieri ab adversariis repugnantibus: capti verò aut detenti in loco, ubi exorto bello existebant, nullius injuriæ vel improbi conatûs argui possint. Unde, licet taliter de-

deprehensi, ad minuendas hostium vires, durante bello, detineri possint; facta tamen pace, nil obtendi potest, quò minùs dimittantur. Itaque moribus receptum est, ut tales, vigore pacis, semper libertatem consequerentur tanquam innocentes, in cæteros verò, ut quisque usurparet, quod vellet credi justum esse, nisi certi aliquid pactis præscriptum foret. Atque eam ob causam, nec servi, nec res captæ, virtute pacis redduntur, nisi pactis ita convenerit, quia victor credi vult, jus sibi fuisse, illa quærendi.

212. Sciscitaberis *2dò.* An & quatenus durante bello, Postliminium obtineat? Resp. Ut in primis ei, qui ante captivitatem liber homo fuerat, prosit Postliminium; oportet, ut eo animo ad suos reversus sit, tanquam res ipsorum secuturus Nam, ut quis servus effectus, liber fiat; se debet quadantenus acquirere, quod non est, nisi volentis. Perinde autem est, num quis vi bellicâ, hostibus ereptus sit, an verò dolo ab hostibus profugerit. *l. nihil. ff. De captiv.* Idem est, si quis spontè ab hostibus ad suos fuerit remissus. Cæterùm; liber homo, postquàm ad suos rediit, non se tantùm sibi acquirit; sed & res omnes sive corporales sive incorporales, quas habuerat apud populos pacatos, recuperat. *Ratio:* Quia dominium quod habebat in res ejus, is, qui belli jure eum possidebat, erat *conditionatum*, nisi nempe captus ad suos perveniret. Proinde, si victor captum hominem perdiderit, perdit quoque res ejus, tanquam hominis accessorium. Quòd, si quis titulum habeat, v. g. emptionis, donationis &c. ab eo, qui jure belli, eo tempore dominus rei erat; Distinguendum est inter res, quæ ejus sunt generis, ut postliminio redeant, & quæ extra id genus sunt. *Illa* enim videntur alienata cum sua causa, & sub conditione, *hæc* verò simpliciter.

213. Regula quidem est quod Postliminio rediens, ita omnia sua jura recuperet ac si nunquam captus fuisset ab hostibus. *l. in bello. §. cætera. l. mulier. ff. De captiv:* Exceptionem tamen facit *Paulus in l. Postliminio. ibid.* dicens: *Postliminio carent qui armis victi, hostibus se dederunt.* Videlicet eo pacto, ne sua repetere possent. Pactiones enim cum hostibus factæ, jure Gentium subsistunt, nec adversus eas datur Postliminium. Quòd, si qui sine ulla pactione, se hostibus dederint, iis prodesse Postliminium *Modestinus ibid.* respondit: in *l. eos qui.* Cæterùm, quod juris est in personis singulis, id etiam in populo integro obtinere videtur; ita, ut, qui liber antecedenter fuerat, suam recuperet libertatem, si fortè per socios hostili imperio exemptus fuerit. Excipe: nisi ipsa multitudo quæ civitatem constituerat, ab hoste seu victore dissoluta fuerit. Tali enim casu, non videtur idem populus mansisse, qui Postliminium prætendere possit, non magis, quàm non sit navis eadem, quæ in partes integrantes dissoluta est: natura enim populi, in perpetua conjunctione consistit.

Altera, à supra posita Regula, *exceptio* est in *transfugis*, hi enim jure civili Romano, redeuntes, Postliminio non gaudent. *l. Postliminium. §. transfugæ.* & *§. filius quoque. ff. De captiv.* Detrahit & hoc aliquid de jure Postliminii, quod legibus Romanis constitutum legitur, videlicet: quòd redemptus ab hostibus, redemptori servire debeat, donec pretium reddiderit, quod favore libertatis introductum, ne ademptâ spe recuperandæ pecuniæ, multi in hostium potestate relinquerentur. Verùm hæc ipsa servitus, iisdem Romanis legibus mitigata conspicitur. Si quidem postrema *Justiniani* constitutione, finitur operis *quinquennio* præstitis: morte quoque redempti, jus repetendæ pecuniæ extinguitur, quod & remissum censetur contracto

tracto inter redimentem & redemptum matrimonio. *l. Si patre. ff. De captiv. l. Si is, qui se. Cod. de Postlim.* Auctum praeterea est jus Postliminii; adeò, ut quae per *usucapionem* è bonis subtracta, aut *non utendo* amissa esse videbantur, *actione rescissoria* restitui fuerint jussa. Nam in Edicto *de majoribus restituendis in integrum*, comprehenditur & is, qui in hostium fuit potestate. *l. Ab hostibus. C. De Postlimin. l. 1. §. 1. ff. Quib ex causis majores &c.* Quinimò *lex Cornelia*, etiam haeredibus consuluit eorum, qui capti apud hostes discessissent, bona eorum conservans, perinde, ac si is, qui non rediit, primo captivitatis momento, mortuus fuisset. Profectò; praescindendo ab his legibus civilibus, capti bona, statim à capturae momento, acquisita fuissent captoribus, quia, qui apud hostes est, pro *nullo* habetur.

214. Homines, qui ante captivitatem, liberi fuerunt, Postliminiò reversi, dicto modo, jura sua recuperant. Sed quid, si servi & ancillae nostrae, ab hostibus capti revertantur? Resp. & hi nobis reddendi sunt, non obstante, quòd saepiùs alienati, aut ab hoste manumissi sint: quia manumissio ab hoste facta, civi nostro, servi domino, obesse non potest, ùt resolvit Tryphonius. *l. in bello. §. manumittendo. ff. De captiv.* Caeterùm, à libero homine, in hoc, differt servus; quòd, ut hic Postliminiò agnitus, à domino recipiatur, non sit necesse, ut *animò res nostras sequendi* venerit: id enim requiritur in eo, qui se recepturus est, non in eo, qui ab altero sit recipiendus. Neque ab hoc Gentium jure, lex Romana excepit servos transfugas; siquidem & in his, dominus pristinum jus recuperat. *l. Postliminium. §. si verò servus. eod. tit.* Servi ab hostibus redempti, Romano jure, protinus quidem fiunt redimentis, equidem oblato pretio, domino reddi jubentur.

215. Inter res, quae jure Postliminii recuperantur, praecipuè numerantur agri. Expulsis enim hostibus ex agris, quos ceperant; dominia eorum ad pristinos dominos redire, respondit *Pomponius* in *l. si captivus. §. verum est. ff. De captiv.* Expulsi autem hostes porrò intelliguntur, ex quo apertè eò ampliùs reverti non audent. Sic agros è Gothorum & Vandalorum potestate ereptos, veterum possessorum haeredibus reddiderunt Justinianus aliiq; Imperatores, non admissis adversus dominos praescriptionibus illis, quas Romanae leges induxerant. *Novell. 36.* Vide *Cujacium ad tit. Cod. De praescriptione 30. annorum.* Hoc à fortiori procedit de locis sacris vel religiosis ab hac calamitate liberatis. *l. cum loca. ff. De Religiosis &c.* Porrò, quod de agris dictum, id quoque dicendum de omni eo, quod solo adhaeret; imò & ususfructus agri recepti restituendus est, argumento ejus, quod de agro inundato, postmodum exsiccato, *Pomponius* respondit in *l. Si ager. ff. quib. modis ususfr. amitt.*

216. Si de mobilibus loquamur, certa generalis in contrarium Regula est; quòd ab hostibus capta, Postliminio non redeant, sed in praeda sint; adeò, ut commercio comparata, ubicunque reperiantur, maneant ejus, qui emit; nec apud pacatos reperta, aut intra fines perducta vindicari possint à pristinis dominis. *Excipe* res, à Piratis aut latronibus sublatas, & ab aliis emptas. Quia jus Gentium, Piratis aut latronibus non concessit, ut jus domini intervertere queant. *l. Hostes & latrones. ff. De captiv. l. Postliminium. §. à piratis. eod. tit.* Proinde res ab ipsis captae, ubicunq; reperiantur; à dominis vindicari possunt, quanquam aequitas naturalis postulet, ut ei, qui suo sumptu, possessionem hujusmodi rei adeptus est, tantum refundatur, quantum dominus ipse, ad rem suam recuperandam libenter impensurus fuisset.

Hæc, licet ita sint; potuit tamen aliud lege civili constitui, sicut defacto in *Hispania* constitutum, ut naves à piratis captæ, eorum fiant, qui eas piratis eripuerint. Neque hoc iniquum est, ut præsertim in tanta recuperandi difficultate, res privata cedat publicæ utilitati. Vide *Covarruviam* ad *Reg. peccatum. part.* 2. §. 2. *n.* 8. Verùm, particularis ista constitutio, quæ & apud *Venetos* recepta dicitur, aliis nationibus normam non imponit.

217. Hactenus egimus de rebus in bello *justo* captis, quæ Gentium jure, capientium fiunt, & quarum aliquæ Postliminio redeunt: si autem de rebus in bello *injusto* captis & raptis, denuò loqui velimus; certum est: quòd in *foro poli*, & secundùm justitiam *internam*, res taliter captæ, non tantùm ab iis, qui ceperunt, sed & ab aliis, ad quos quoquo modo pervenerunt, veris dominis restituendæ sint. Etsi igitur secundus aut tertius possessor, judicis authoritate, pro foro *externo*, contra extraneum manutenendus sit; non erit tamen tuendus adversus eum, cui res per injuriam surrepta est. Nam spectatâ justitiâ *internâ*, bellum injustum, à latrocinio nihil distat. Sicut autem res domino reddendæ sunt, ita & populi, & homines singuli, reddendi sunt his, qui jus imperii dominiíve habuerant. Quòd, si populi aut homines singuli, *sui juris*, & *liberi* fuerint ante vim injustam; juri suo, suæque libertati reddendi & restituendi erunt.

218. Itaque, si belli causa injusta sit, utcunque solemni modo susceptum fuerit; injusti, coram Deo, sunt omnes actus inde nascentes: proinde, qui scientes & volentes tales actus exercent, aut ad eos efficaciter concurrunt, de eorum numero sunt, qui ad regnum cœleste, sine pœnitentia pervenire non possunt. Vera autem pœnitentia postulat, ut is, qui, sive interficiendo, sive res corrumpendo, sive prædas agendo, damnum dedit, illud resarciat, quatenus potest. Quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Et ideo *Isaiæ* 58. ỳ. 5. *& seq.* Deus negat sibi grata esse jejunia eorum, qui, non jure captos, detinebant: & dum Ninivitis Rex indixit *justitium*, præcepit ipsis: ut à rapinis manus evacuarent. Ratio enim naturalis dictat, sine tali restitutione, pœnitentiam non agi, sed fingi; id quod non modò Judæi & Christiani, sed & Mahumetani, verum esse agnoscunt, teste *Leunclavio. Turcicorum.* 5. *&* 17. Nam, ùt ait Divus P. Augustinus, *Epist.* 54. *ad Macedonium. Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit & non redditur; pœnitentia non agitur, sed simulatur.*

Ex iis autem, quæ de modo & ordine restituendi, alibi diximus, facilè colligitur: quòd, qui mandando vel consulendo, belli authores fuerunt, resarcire teneantur damna omnia, quæ per arma injusta, aliis illata fuerunt. Idem est, si, cùm possent, damnum dari non prohibuerunt, vel non impediverunt. Unde Belliduces tenentur de his, quæ eorum ductu facta sunt. Milites quoque, qui ad actum aliquem communem, puta: urbis incendium, concurrerunt; tenentur omnes in solidum: in actibus autem dividuis, quisque non ultra obligatur, quàm quatenus causa damni fuit. Vide dicta *lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 51. *pag.* 374.

Nec Obest: quòd gregarius miles possit dolo vacare; Nam nisi & culpâ vacet, ita ut nihil ei imputari possit, non erit immunis à restitutione, cui, sine dolo, culpa, obnoxium reddit illum, qui alteri operam navat. Neque rectè sentiunt, qui res in bello injusto captas, ideo arbitrantur reddendas non esse, eò quòd belligerantes, cùm bellum inceperunt, reputentur sibi mutuò donâsse, quod hinc inde captum fuerit. Non inquam hoc admitti potest; quia nemo temerè suum jactare,

aut

aut iniquo raptori donare præsumitur, & bellum longè abest à contractuum natura.

Diximus alibi, etiam eum, qui ipse damnum non dedit, equidem rem bello injusto captam ab alio, penes se habet, teneri eam reddere. *Ratio* est: Quia, cur alter eâ privari deberet, nulla causa naturaliter subest, non consensus ipsius, non delictum; neque compensatio; ùt supponitur. Poterit tamen, si quid sumptûs aut operæ impendit is, qui rem tenet, tantum deducere, quantum domino valet recuperare desperatam possessionem. Quinimò, si rei talis possessor, bonâ fide illam consumpserit, vel alienaverit; non ultra tenebitur, quàm inde factus fuerit ditior, juxta Theoriam traditam. *suprà. cap. 5. n. 85. & seq. pag. 113.*

SECTIO DUODECIMA.

De Fide inter Hostes.

219. Magnus *Pater Augustinus*, *Epist. 205. Ad Bonifacium. Fides* (inquit) *quando promittitur, etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur.* Atque hoc argumentum, idem S. Doctor latè prosequitur *Epist. 225. Ratio*: Quia, qui hostes sunt, homines esse non desinunt: homines autem omnes usum rationis nacti, capaces sunt juris ex promisso. Unde erravit *Cicero*, dum censuit, nobis nullam esse cum Tyrannis aut piratis, fidei, aut jurisjurandi communionem: ex quo errore & alius pullulavit, quem tradidit *Michael Ephesius*, contendens: in tyranni uxorem, adulterium non committi, id quod & quidam Judæorum Magistri, de mulieribus alienigenis censuerunt: quia earum conjugia, pro *nullis* habebant. Mirum autem est, quòd *Julius Clarus* egregius alioquin JCtus, in §. *Homicidium. n. 56.* ratus fuerit, fœminam *bannitam* impunè adulterio corrumpi posse. Hoc quidem damus: quòd cum piratis & latronibus non sit ista specialis communio, quam inter hostes, in bello solemni & pleno, jus Gentium introduxit: nihilominus; quia piratæ, homines sunt; communionem habent juris naturalis; & ideo pacta cum ipsis inita, servanda sunt.

220. Dices 1mò. Qui atrociter malefici, seu banniti sunt, inspecto jure naturali, à quolibet impunè possunt, in pœnam, occidi: ergo & possunt rebus & juribus suis spoliari. Nam ùt rectè dixit *Cicero*, *de Officiis. 3. Non est contra naturam, spoliare eum si possis, quem honestum est necare.* Jam verò inter jura, quæ pirata habere potest, est & illud, quod ipsi ex promisso quæsitum. Ergo ei hoc jus, in pœnam, auferri potest. Resp. *Disting. hoc ultimum illatum.* Ergo ei hoc jus, in pœnam, potest auferri, si non sit actum cum pirata *quà tali. Conc.* si fuerit actum cum illo *quà tali*, seu *quà malefico. N.* Hoc enim casu, simul actum censetur de pœna remittenda. *Ratio*: quia semper ea sumenda est interpretatio, quæ caver, ne actus reddatur *nullus*

Dices 2dò. Qui per metum, alium adegit ad promittendum, tenetur ipsum à promisso liberare. Ergo promissio latroni facta non obligat promissorem. Resp. *Dist. Conseq.* Ergò promissio latroni facta non obligat promissorem, si is per metum injustè incussum, qui dederit causam actui, ad promittendum inductus fuerit. *Conc.* Secus *Neg.* Profectò, qui latroni pecuniam promisit, ut amicum è manibus ejus eriperet, promisso stare tenetur, quia ipsi promittenti metus illatus non est, sed ad promittendum spontè venit. Cæterùm, ùt alibi dictum; qui injusto metu coactus promisit, teneri poterit accedente juramento, quia exinde homo non tantùm homini, sed & Deo obstringitur, adversus quem non datur metûs exceptio, quan-

quam ex solo hujusmodi promittentis vinculo, hæres ejus non teneatur; siquidem in hæredem illa solùm transeunt, quæ ex primæva dominii lege, sunt in hominum commercio, è quorum censu non est jus illud Deo quæsitum. Porrò; hoc ultrò damus, fidei, etiam juratò datæ Prædoni, violatorem, eo nomine, apud alias gentes non habendum tanquam prævaricationis reum; quia odio prædonum, Gentibus placuit dissimulare ea, quæ adversus hujusmodi improbos homines committuntur.

221. Bellum solemne & publicum utrimque indictum, sicut alia habet peculiaria, in *jure externo* merè consistentia; ita & hoc habet singulare, ut quæ in eo bello, aut ejus finiendi causâ promittuntur, adeò reputentur valida, ut ex causa metûs injustè illati, invitò promissariò, in irritum deduci nequeant. Sicut enim alia quamvis vitio non carentia, ex Gentium jure, pro justis habentur; ita quæ ex metu, in tali bello, utrimque gesta sunt, valida censentur. *Ratio* est; quia nisi id placuisset, talibus bellis, quæ valde sunt frequentia, nec modus nec finis posset imponi, quod tamen ut fiat, interest humani generis. Ex quo tamen non rectè intuleris; eum, qui tale quid bello injusto extorsit, salvâ pietate, salvísque boni viri officiis, illud retinere posse, aut cogere alterum posse, ut stet pactis sive juratis sive non juratis; per ipsam enim rei naturam, in *foro poli*, seu coram Deo, id manet injustum, adeò, ut interna hæc injustitia actûs tolli nequeat, nisi per novum & verè liberum consensum. Ex dictis

Resultat: etiam perfidis in gratiam receptis, fidem datam servandam esse; ita ut non liceat, dolosa pactione, perfidos deluaere, & perfidiâ perfidiam ulcisci.

222. Fieri tamen potest, ut quis absq; perfidia non præstet, quod promisit, veluti: si in conditionali promisso, conditio non purificetur. Obligatio enim sub conditione contracta, defectu conditionis, evanescit. Unde, si prior non impleverit, quod ex sua parte implere tenebatur, alter quoque vicissim pacto stare non tenetur. Sic unius ejusdémque contractûs capita singula, alia aliis inesse videntur per modum conditionis, perinde, ac si expressum esset: *hæc ita faciam, si alter faciat, quæ promisit*. Quòd si alia contrahentium mens fuerit; pro cautela adjungi & exprimi conveniet, ut: si contra hanc vel illam partem quid fiat, cætera nihilominus contractûs capitula, rata maneant. Poterit quoque promissor, per compensationem, fidem promissionis explere. Sic: quod promisimus, poterit non præstari, si res promissa pluris non valet, quàm res nostra, quæ, sine jure, est penes promissarium, quámque aliter consequi non possumus. Jure quidem Civili, quisque quod suum est, aut sibi debetur, per competentem actionis formulam, in judicio petere debet; sed jure gentium, & inter populos diversos, de plano proceditur; ubi scilicet alia juris sui obtinendi spes non affulget. Idem dicendum erit, si is, qui promissum petit, non sit quidem promissori vicissim obligatus ex contractu, bene tamen ex delicto. Pone: quòd *Titius* Sempronio promiserit centum, & quod Sempronius cæsis arboribus, aut abactis pecudibus, tantundem damni intulerit Titio. En tali casu Titius rectè removebit *Sempronium* petentem centum.



CAPUT

CAPUT IX.

DE

PACE,

ET

His, quæ Pacem concomitantur ac ſubſequuntur.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit Pax;*
2 *Pax* de ſe, *perpetua eſt ab armis ceſſatio.*
3 *Pax qualiter differat à* Treuga. *Item à fœdere?*
4 *Quis propriè pacem pangere poſſit?*
5 *Rex* minorennis, mente captus, *aut* furioſus, *pacem facere non poteſt.*
6 *An Rex* captivus *eâ gaudeat poteſtate? ſub diſtinctione reſolvitur.*
7 *In ſtatu* Ariſtocratico *vel* Democratico, *quis, aut quinam de pace ſtatuere queant?*
8 *Bellidux, injuſſu Regis aut populi, facultatem non habet faciendæ pacis.*
9 *Id quod verum, licet generali mandato munitus ſit.*
10 *Super brevibus tamen induciis cum hoſte convenire poteſt.*
11 *Pax, ad inſtar tranſactionis, peragi ſolet.*
12 *Pacificantium conventiones adæquatè ad duo reducuntur capita.*
13 Amneſtia *quid importet?*

14

44

44 *Frustra tamen fidem quis ab altero præstari postulat, qui ipse perfidus est.*

45 *Subditi, fidem Principis sui infringere nequeunt.*

46 *Cujus sit resolvere dubia, circa pacis articulos orta.*

47 *Pacta cum subditis rebellibus inita, religiosè sunt observanda.*

48 *An, & quatenus Rex, contractus à se initos irritare, aut semet à juramenti vinculo eximere queat?*

49 *Distinguendum est inter actus à Rege gestos.*

50 *Actus à Rege gestus contra leges fundamentales Regni, à populo irritari potest.*

51 *Actus à Rege tanquam ab homine privato gestus, per legum auxilium rescindi potest.*

52 *Refellitur* Bodinus, *qui contendit; Regem pro lubitu posse rescindere pacta à se etiam* jurata.

53 Rex *subditis* jus etiam quæsitum *auferre potest; aut in pœnam; aut ex vi dominii* eminentis.

54 *Regnum, aliud est* patrimoniale, *aliud* non patrimoniale.

55 *In Regno* patrimoniali, *successor tenetur pactis & conventionibus Antecessorum, quod secus est in Regno* electivo, *aut* legitimo, *in quo successor tenetur observare pacta* mediante populo.

56 *Quid, Rex, restrictam habens potestatem, possit, vel non?*

57 *Refellitur* Cabotii *error.*

58 *Erroris istius fundamentum eradicatur.*

59 *Conventiones, aut* publicæ, *aut* privatæ *sunt.*

60 *Publicarum conventionum* subdivisio.

61 *Fœdere interdum concluditur quid, quod alioquin est juris naturalis* præceptivi.

62 *Fœdera juri naturali aliquid adjicientia*, aut æqualia *sunt, aut* inæqualia.

63 *Fœdus, qua ratione*, æquale *possit esse?*

64 *An, & qua ratione prohibitum sit, aut fuerit aliquando, in veteri lege, inire fœdus cum exteris à Religione alienis?*

65 *Quid nova lex, hac in parte nobis præcipiat?*

66 *In* thesi, *& generatim, societas sive* bellica, *sive* civilis, *cum gentilibus vel hæreticis, non continet* intrinsecam *pravitatem.*

67 *Si orthodoxa non attingatur Religio; etiam Christiani possunt opem ferre infidelibus, à Principe Christiano, sine legitima causa, invasis & oppressis.*

68 Reinkingius, *quod nobis negat, ipse concedit.*

69 *Rejicitur* Boceri *distinctio.*

70 *Expenditur, & largè, pro casuum diversitate, exponitur, qua ratione* Doctor Gentium *Christianis interdixerit conversationem cum infidelibus.*

71 *Quatenus fœdera cum infidelibus sint prohibita?*

72 *Fœdus cum infidelibus*, per se, *seu* intrinsecè, *non est malum.*

73

73 *Justitia etiam per homines improbos executioni potest mandari.*

74 *Qui duobus fœderatus est, cuinam opitulabitur, si isti inter se bellum gerant?*

75 *Qui summo gaudet Imperio, ad nihil tenetur, si sponsor absque ejus mandato quid promiserit.*

76 Sponsor, *qui factum alienum promisit, ad quid teneatur* stipulatori?

77 *Quatenus sponsor stipulatori teneatur ad id*, quod interest, *si factum alienum, quod promisit, non præstetur?*

78 *Num Principis scientis & silentis taciturnitas, ratam faciat sponsoris promissionem* ?

79 *Promissor non obligatur ultra intentionem suam.*

80 Regulariter, *verba in proprio & usuali sensu, accipienda sunt.*

81 *Una vox duplicem aliquando habet significationem.*

82 *Quæ in pactis deducuntur, aut* favorabilia, *aut* odiosa, *aut* mixta *sunt.*

83 *Regula, in odiosis, pro interpretione observanda?*

84 *Regula altera, itidem in odiosis observanda?*

85 *Nomine Sociorum, an veniant Socii futuri?*

86 *An pacta cum Rege vel populo inita, sint* realia *vel* personalia ?

87 *Quid, si Status Reipublicæ cum qua pactum fuit, mutetur?*

88 *Ex quibus indiciis probetur, pactum esse* reale?

89 *Quid, si fœdus sit initum cum Rege, qui regno sit pulsus?*

90 *Subditi, quatenus pro legitimo Rege suo, arma sumere possint contra invasorem regni?*

91 *Quid, si populus in potestatem venerit alterius illegitimi Principis* ?

92 *Quæ facienda sit interpretatio, si promisso præmio ei, qui primus ad metam pervenerit, duo simul eò pertigerint?*

93 *Interpretatio alia fit per* ampliationem, *alia per* restrictionem.

94 *Mandatum, an impleri possit per æquipollens?*

95 *Interpretatio* coarctans, *unde petenda* ?

96 *Verba, quando strictim sumenda?*

97 *Ex rationis cessatione, cessat dispositio.*

98 *Materia, de qua agitur, attendenda, ad faciendam verborum interpretationem.*

99 *Quæ facienda interpretatio, si in pactis aut aliis dispositionibus, inveniatur aliqua apparens contrarietas?*

100 *An, ad contractûs subsistentiam requiratur scriptura?*

Quo-

Quoniam non minùs circa Pacem, quàm circa Bellum, permultæ & disparatæ nobis pertractandæ sunt quæstiones; idcirco distinctionis gratiâ, fit.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Pax, & quis Pacis faciendæ habeat potestatem?

1. PAx bene describitur, quòd sit: tranquilla libertas bello contraria, ejúsque finis & interitus. Pacis nomen sicut notissimum & dulcissimum, ita res significata cunctis jucundissima & saluberrima; adeò ut Cicero *pro lege Agraria*. Et *Philippica* 2. *&* 13. dixerit: Pace, *tecta atque agros lætari*.

2. *Pax* est perpetua ab armis cessatio, & ruptæ amicitiæ redintegratio. Quòd, si fractâ pace, rursum ad arma decurratur; id præter intentionem votúmque fit eorum, qui primitus sese reconciliârunt, neque id evenit vigore pacificationis; sed ex causis de novo emergentibus, quas ominari triste est. De pacis perpetuitate, eodem modo discurrendum, sicut de nuptiis; quæ, licet de se, individuam vitæ consuetudinem contineant; equidem ob causas jure probatas, *quò ad thorum & cohabitationem* per divortia, rumpi possunt. §. 1. *Instit. De patria potest.*

3. Differt itaque pax ab *induciis*, seu *Treuga*. Induciæ enim sunt. bellicæ sævitiæ ad statutum tempus duntaxat cessatio; ita, ut induciarum tempus, non tam paci, quàm bello annumerandum sit, docente *Baldo*, in libello. *De pace Constantiæ*. § *sententiæ quoque*. Differt quoque pax à *fœdere*; quia fœderis vocabulum latiùs patet: cùm fœdus nedum cum hostibus, sed & amicis, pangi possit, ad societatem communionémve quandam contrahendam. Ex quibus intelliges; pacis vocabulum, propriè, *publicam* inter belligerantes conventionem importare. Dico *propriè*; vulgò enim & laxiùs loquendo, transfertur & hoc nomen ad privatas transactiones, singulariúmque discordiarum sedationes & compositiones.

4. Pacem pangere, penes illos solùm est, penes quos fuit bellum indicere. Proinde in bello utrimque publico, ineundæ pacis facultas, penes illos residet; qui summi imperii jus habent. Unde in statu *Monarchico*, Summus Princeps; in statu *Aristocratico*, Optimates; in *Democratico* verò statu; populus, pacis faciendæ potestate pollent. Ubi

5. PETES 1mò. Num Rex *minorennis* [qui scilicet secundùm leges Regni, de quo agitur, ad administrationem, defectu ætatis, non admittitur] item: an mente captùs, aut furiosus, pacem facere possit? RESP. *Negativè*, ídque ob judicii debilitatem, aut mentis abalienationem.

6. PETES 2dò. An Rex *captivus* pangendæ pacis potestatem habeat? RESP. *sub distinctione*: vel enim Rex, hujusmodi regnum, ex consensu populi consecutus est; & tunc illo inscio, aut invito, nequibit pacem facere. *Ratio*: quia non est verosimile, quòd

populus eâ lege Principi contulerit imperium, ut ab ipso *non libero* exerceri possit. Unde, capto tali Rege, non quidem totum Imperii jus, bene verò exercitium & tutela imperii, penes populum, aut cum, quem populus substituerit, residebit. Aut: Rex captus, regnum habet *in patrimonio*, illúdque fine concursu populi tenet;& tunc Rex obligabitur pactis in captivitate cum hoste initis, ac proinde pacem pangere poterit.

7. Petes 3tiò. An in statu *Aristocratico*, optimates *omnes* & *singuli*, item: in statu *Democratico*, totus populus, in pacis articulos consentire debeant? Resp. In procerum aut populi imperio; jus paciscendi fore & residere penes majorem partem vel procerum, vel populi; adeóque pacta hujusmodi obstringere etiam eos, qui aliter senserint. Quia, quod majori parti placuit, omnibus placuisse videtur. Confer *Grot. loc. cit. cit. cap.* 20. §. 4.

8. Petes 4tò An bellidux, fine Regis jussu aut scitu, possit pacem facere? Resp. *Negativè*, exempló & argumentô Procuratoris ad lites constituti, qui transigendi facultatem non habet. *l. Mandato. ff. De procuratorib.* Hinc apud veteres Romanos, quo tempore, penes populum, summa erat Reipublicæ potestas; paces, inconsulto populo, factæ, nullam vim habuerunt; quinimò, acriter reprehensi punitíque leguntur, qui tale quid, ausu privato, attentârunt; sed

9. Petes 5tò. Quid, si non solùm Belliduci, gubernandi regendíque totius exercitûs officium demandatum sit; sed etiam plena liberáque administratio ipsi, tanquam Summi Principis Vicario concessa sit? Anne tunc saltem pacem pangere poterit? *Ratio dubitandi* est; quòd Procurator, cui libera administratio rerum, illimitatè commissa est, possit jusjurandum; quod speciem continet transactionis, alteri deferre, ac *paciscendo*, possit domino nocere. *l. Jusjurandum. ff. De jurejurando. l. Nam & nocere. ff. De pactis.* Resp. Nec in tali casu, Belliducem, vigore hujusmodi *mandati generalis*, posse pacem facere *Ratio* est: quòd non sit eadem causa pacis faciendæ, quæ est negotiorum privatorum. Pacis enim negotium, maximi momenti est, & salutem, detrimentúmve perpetuum totius Reipublicæ respicit. Proinde, hac in parte, latiùs amplectenda est regula, quæ dictat: in generali quantumvis concessione, non comprehendi illa, quæ quis in specie non erat concessurus. *Arg. cap. Quod translationem. Tit. Decretal. De officio Legati.* Huc facit: quòd nec Consulibus Romanis, nec Præsidibus Provinciarum; neque ullis aliis Magistratibus, quantacunque potestate prædíti essent; liberum arbitrium fuerit pacis aut belli, præterquàm paucis, quibus nominatim & specialiter permissum fuit, etiam bellum decernere, aut pacem facere. Itaque, licet nonnunquam Senatus, inconsultâ plebe, de pace statuerit; quia ob periculum moræ, populus universus convocari & rogari non poterat, Senatus verò sapientiæ & dignitatis nomine tantum valebat apud populum, ut hic ejus Decretis tacitè & ultrò assentiret. *l. Non ambigitur. ff. De legib.* Licet (inquam) exercituum Duces, de bello & pace, injussu Senatûs & plebis, aliquando statuisse legantur; præsertim, dum procul atque extra Italiam, bella gerebantur; aut: cùm ipsi ab hostibus circumsepti tenebantur; equidem; quidquid egerunt Duces, non priùs firmum ratúmve fuit, quàm populus *expressè* vel *tacitè* assensisset.

10. Aliud est de brevibus & paucorum dierum *induciis*, quas utilitas vel necessitas interdum exigit, puta: sepeliendorum cadaverum gratiâ, aut pacis præparandæ causâ; puta: ut interea nuntius ad Summum Principem mitti, & ejus voluntas explorari possit.

possit. Quòd, si de diuturnioribus induciis, quibus per annum v. g. aut plures menses, durante bello, ab armis seu pugna cessandum esset; ageretur; verior est opinio *Jasonis* ad *l. Conventionum. ff. De pactis* Ubi tradit: Belliducem, suopte arbitrio, non posse hujusmodi inducias cum hoste concludere; exemplo Procuratoris, qui absque speciali mandato, non magis potest ad solvendum prorogare tempus, quàm transigere. *l. Qui Romæ. §. Callimachus. ff. De verb. obligat.* Quapropter narrat *Thucydides*, quando *Argivorum* Duces cum *Lacedæmoniorum* Rege, quadrimestres inducias pacti erant, *Alcibiadem* suasisse *Argivis*, ne eas ratas haberent; idémque à *Lacedæmoniis* factum, hósque, eam ob causam, adeò in Regem suum fuisse iratos, ut lege latâ, duodecim ei associaverint viros, sine quorum consilio, nihil hujusmodi ageret. Ubi Nota: apud *Lacedæmonios* receptum fuisse, ut Principes ipsorum, qui Reges vocabantur, summam potestatem non habuerint. *Dion. Halicarnassensis. Antiquit. Roman. lib. 2.*

SECTIO SECUNDA.

De conditionibus Pacis.

11. Belligerantium dissidia, pactionibus terminantur, sicut privatorum altercationes, finiuntur transactionibus. Sicut igitur transactiones fiunt, aliquo dato, retento vel remisso. *l. Transactio. Cod. De transact.* Sic & pax sancitur, quibusdam datis, retentis, vel remissis, prout pactis convenerit. *l. in bello. ff. De captiv. & postlim. revers.* Quemadmodùm etiam, quæ in privatis negotiis fiunt pacta, alia sunt *expressa*, alia verò *tacita*; ita & in pacis tractatu, quædam etiam tacitè convenisse intelliguntur, etsi nominatim de iis nil cautum fuerit.

12. Cæterùm, pacificantium conventiones adæquatè ad duo reducuntur capita; videlicet: ad depositionem inimicitiarum, & ad restitutionem, retentionémve captorum. *Illud* ad animum, *hoc* ad res possessionésque refertur Profectò expeditissima, imò unica pacis conciliandæ ratio, semper & ubivis hæc fuit; ut depositâ ex animis irâ & vindictæ cupiditate, præterita abolerentur, & injuriæ tam publicè, quam privatim illatæ, remitterentur. Itaque, quia in *Amnestia*, seu præteritorum oblivione, præcipuè & substantialiter pax consistit; idcirco, licet de illa nihil dictum nominatim fuerit, in pacis instrumento; nihilominus ea pacificationi inesse intelligitur.

13. *Amnestia* postulat, ut una pars nequeat alteri objicere injurias aut malefacta; neque possit ulcisci præterita. Quod tamen intelligendum de remittendis & oblitterandis injuriis, quæ tempore belli acciderunt; vel: quæ causam bello præbuerunt; planè, sicut remissâ injuriâ, cessat quidem eatenus actio injuriarum. *l. Non solum. §. 1. ff. De injur.* quanquam propter aliam disparatam injuriam, adhuc agi possit. *Arg. l. Prætor. § si mihi. ff. eod. tit.* Ut rectè *Baldus* in libello: *de Pace Constantiæ. ad* verb. *recuperaverit*, intulerit; si quis eorum, qui Principi infesti fuerunt, feudum ab eo teneat, & culpam ante bellum commiserit, ob quam feuda amitti solent; culpam illam non censeri pace remissam, sed inspici debere tempus nati delicti, nec referre; quòd durante bello, illud perduraverit. Porrò, multò minùs per amnestiam *rei vindicationi*, cæterisque actionibus, quæ non vindictæ, sed *rei, damníque persecutoriæ* sunt, renuntiatum intelligitur.

14. Quantum ad alterum pacis caput, restitutionem, retentionémve captorum respiciens; certum est (cum simplex indulgentia non restituat bona aut actiones pristinas. *l. ult. Cod. De gener. abolit. l. 2. Cod. De sentent. passis*) quòd in pacificationis

tractatu vel instrumento, disertè exprimi debeat; qui homines, quæve res restitui debeant, qui, quæve retineri possint? *Arg. l. Si quid bello. in fine. ff. De captiv. & postlim. reverf.* Si igitur

15. Roges: An, si id nominatim expressum non sit, tacitè id actum censeatur, ut captivi, & captæ arces, urbésque reddantur? Sive: num paci naturaliter insit jus postliminii? Resp. *Negativè.* Unde, nisi expressè convenerit, captivos reddi, seu dimitti debere; pro ipsorum redemptione *lytron* solvendum erit; & cum proportione, eodem modo discurrendum est de rebus aliis captis. Non sequimur ergo hac in parte, *Accursii* sententiam, ad *l. in bello. ff. De captiv. & postlim.* ubi vult: in pace postliminium esse, dummodò in pacificatione non fuerit dictum, capta in dominio eorum, qui ceperint, mansura. Neque pro sententia *Accursii* facit; quòd in pace contineatur postliminium, respectu illorum, qui bello repentè exorto, apud hostes sic inopinatò factos, deprehensi & detenti fuerunt. Hi enim, cùm non virtute militari, sed casu, in potestatem eorum devenerint; factâ pace, postliminio gaudent, nisi fœdere expressè cautum sit, ut retineri possint. Unde, cùm *Pomponius* in *l. Postliminii jus. §. in pace. ff. De capt. & postlim.* dixit: *in pace postliminium esse datum*; intelligendus est in casu, quo quis pervenerit ad gentem aliquam, cum qua neque amicitiam, neque hospitium, neque fœdus habemus; hi enim, etsi hostes non sint; quippe contra eos bellum publicè à nobis decretum non est; hostibus tamen similes sunt; ita, ut, qui ex finibus ipsorum redit, quasi ab hostibus & in bello redire videatur.

16. Quid? si eum piratis, latronibus, aut rebellibus pax inita fuerit? Resp. Quandoquidem hi, ùt supra dictum, nihil, belli jure, acquirere potuerint; consequens est; non posse quidquam rerum nostrarum ab eis retineri, ac proinde postliminium aut pactum restitutionis supervacaneum fore pro rebus, quas nequaquam bello amisimus. *l. Hostes sunt.* 24. *& l. siquis.* 21. *§. ult. ff. tit. eod.* Unde improbi hujusmodi raptores, jus retinendi res nostras *pro foro scilicet externo*, tunc solùm habebunt; quando pace ita conventum fuerit, quanquam, ùt rectè observat *Baldus* ad *l. ult. Cod. De condict. ob turpem causam*, talis pactio, ut illi res, quas diripuerunt, retineant, vel dominus eas redimere cogatur; turpem causam continere videatur.

17. Quid ècontra, de rebus rebellium, ex parte nostra, occupatis? Resp. Ut illi pristinas possessiones recuperent; pactione vel gratiâ Principis expressâ opus habent, prout *anno* 1183. post diuturnum & exitiosissimum bellum, ac *Mediolani*, *Cremonæ*, aliarùmque Italiæ civitatum, quæ contractâ inter se societate, ab Imperatore desciverant, vastationem, à *Friderico Barbarossa* factum est in pace *Constantiæ*. § 1. *& §. possessiones omnes.* *Ratio:* Quia, etsi rebelles, adversus nos, jura belli non habeant; nos tamen adversus ipsos habemus. Siquidem, qui cives, hostili animo, contra patriam vel Principis majestatem, insurgunt; pro hostibus habentur. *d. l. Postliminium. §. Transfugæ.* 4. & *l. Amissione. §. 1. ff. De capite minutis.* Unde *Cicero*: *Philippica* 8. operosè demonstrat, justum fuisse bellum, quod inferebatur *Antonio* hosti Reipublicæ; ècontra illegitimum fuisse, quod ipse *Antonius* gerebat, ideóque jura belli, quæ contra hostes statuta sunt, ipsi non convenisse.

18. Dictum, restitutionem, quæ fit post pacem, non præcisè ex jure Postliminii proficisci, sed ex pactis & conventionibus expressis, vel ex eo; quòd res adversariis, etiam jure Gentium, acquisitæ non fuerint. Si ergo in pacificatione cautum fuerit, ut res captæ restituantur; restituendæ erunt naves nedum bellicæ, sed etiam piscatoriæ,

&

& voluptatis causâ paratæ; instrumenta item bellica, & cætera similia, in quibus alioquin jus postliminii denegatum est. *l.* 1. & 2. *ff. De captivis &c.* Redeunt autem res singulæ ad pristinos suos dominos, & non tantùm ad solum Principem: hic enim cum hostibus paciscens, non sibi soli, sed toti Reipublicæ & singulis civibus suis pacisci intelligitur.

19. Notandum autem est, quòd in pactionibus, de reddendis rebus bello captis, primùm latiùs sint interpretandæ illæ, quæ respiciunt restitutionem ex utraque parte mutuò faciendam; quàm, quæ tangunt restitutionem ex uno latere præstandam: dein; quòd, quæ de hominibus relaxandis agunt, plus favoris habeant; quàm quæ de rebus; & inter eas, quæ de rebus; hæ, quæ de agris, quàm quæ de rebus *mobilibus*: & quæ de his, quæ penes publicum sunt; quàm, quæ penes privatos; ac porrò inter eas, quæ penes privatos; plus illæ, quæ reddi jubent titulo *lucrativo* possessa; quàm, quæ titulo *oneroso*, puta: *emptione*, acquisita sunt.

20. Cæterùm, restitutionis vocabulo, continentur non tantùm bona & actiones seu jura, sed etiam ordo, dignitas, & pristinus status personæ *l. Princeps.* 21. *ff. De V. S. l.* 1. *Cod. De Sentent. passis.*

21. Quid, si res alioquin restituenda, fuerit consumpta? Resp. Si simpliciter in pacificatione dictum fuerit, ut capta restituantur, eò non spectabunt res in bello justo & solemni captæ, & bonâ fide consumptæ: neque eò referri debebunt bona, durante bello, alienata, seu in alium translata, ac quocunque modo, jam alteri quæsita, prout tradunt *Bartolus*, *Jason* & alii ad *l. Gallus.* § *Si quid tantum. ff. De liber. & posthum.* Argumentô: *l.* 8 §. *Si quis à Principe. ff. Ne quid in loc. publico. Ratio:* quia Princeps nunquam videtur velle jus alteri quæsitum auferre, nisi id expressè dixerit. *dict.* § *Si quis à Principe.* cui consonat *cap. Quamvis. De Rescriptis. in* 6.

22. Dices. Pacis causa favorabilis est, adeóque tam benignè interpretanda, ut plenissimam restitutionem contineat. Resp. Satiùs esse, eam interpretationem facere, quæ quàm minimum alteri detrahat. Unde, tunc in pace, plenissima interpretatio capienda est; si in pacis articulis id non obscurè indigitatum fuerit. Alioquin sicut damnatus, ex gratia Principis restitutus, non recuperat bona sua jam alteri quæsita; prout rectè respondit *Jason* ad *cit. l. Gallus.* §. *Etsi quid tantum.* Ita, dum restitutio vigore pacis facienda; non recuperantur bona amissa, jam tertio quæsita. Quò facit regula generalis, quæ dicit: quòd restitutio *per gratiam* facta, non tollat jus *tertii*. Diversum est in restitutione in integrum, quæ fit *per viam justitiæ*; hæc enim tantum importat, quantum abstulerat læsio. *Jason* & Doctores communiter ad *cit.* §. & *quid si tantum.* Ex quibus

23. Resultat; Hæreditatem ad alterum devolutam, aut res à Principe alteri donatas, factâ pace non recuperari ab iis, ad quos alioquin hæreditas pervenisset, aut res pertinuissent; quamvis hujusmodi acquisitiones profectæ sint *ex causa lucrativa.* Idem est de officiis vel locis, bello durante, alteri jam collatis. Aliud tamen erit; si non simpliciter quidem de restitutione convenerit, sed hoc pacto pax fuerit conclusa; ut restitutio fiat *plenissima*, & rerum etiam aliis quæsitarum; sicut factum est in dicta pace *Constantiæ.* §. *Privilegia omnia.* Dum enim pacta, tam amplam præscribunt restitutionem; restituenda veniunt retrò bona omnia, actionésque omnes, & jura successionum, officia item & dignitates, quinimò & beneficia Ecclesiastica Clericis acquisita. *Jason* ad *l Si tibi decem.* §. *Quædam. ff. De pactis. Rolandus à Valle. Consil.* 45. *vol.* 3. *Matth. De Afflictis. Decis.* 361. Non obstante, quòd Princeps sæcularis per hoc videatur in res per-

personásque Ecclesiasticas usurpare imperium; siquidem hoc *non directè*, sed *per consequentiam* solummodò contingit, principaliter enim Princeps nihil aliud intendit, quàm quietem publicam procurare, in quo officio, ei, tanquam capiti, omnia membra Reipublicæ, ac proinde etiam Clericos parére oportet. *Anton. Corsetus. De privilegiis pacis. n* 7. 18 *& seq.*

24. De fructibus quæsitum fuit: an & in restitutionem veniant? Id, quod de pendentibus adhuc in fundo, dubitationem non habet; hi enim quodammodò sunt pars fundi. *l. Fructus pendentes. ff. De rei vindicat.* De fructibus verò perceptis à Fisco, vel alio, ex re hostibus erepta, diversæ sunt sententiæ. *Jason* enim putat: hos, cum re, restitui debere factâ pace, si videlicet pactum sit, ut non simplex, sed *plena* fiat restitutio. *Baldus* tamen, in tract. *De pace Constantiæ.* ad Verb. *Succedere*, item *Alciatus* & plerique alii, ad cit. *l. Gallus. §. Et quid, si tantum.* Contra statuunt cum Grotio, *lib* 3. *de J. B. & P. cap* 20 §. 22. ubi inquit: *Cui pace res conceditur, ei & fructus conceduntur à tempore concessionis, non retrò, quod rectè defendit Cæsar Augustus contra* Sextum Pompejum, *qui* Pelóponeso *sibi concessâ, simul etiam tributa, quæ pro exactis annis debebantur, sibi vindicàbat. Ratio* hujus sententiæ est; quòd non sit par ratio fructuum & ipsorum corporum, ex quibus fructus percepti sunt. Hæc enim aliquando fuerunt ejus, cui facienda restitutio; fructus verò nunquam. Igitur corpora & fructus, sunt duæ res *separatæ*, quarum unam absque altera præstari, natura permittit.

25. Dices: Dum leges rem jubent restitui, verbum *restituendi* complectitur etiam fructus. *l. Vid amus.* 38. §. *In Faviana. ff. De usur. l. Restituere.* 38. *ff. De Verb. signif. l. In condemnatione.* 17 *ff. De R. J.* Ergo &c. Resp. Ut fructus, tanquam accessiones rei, quæ restituenda est, præstentur, locum habere in malæ fidei possessoribus & fraudatoribus; nec non, quoties nulla justa causa fuit lucrandi fructus in illo, qui eos percepit, aut amittendi in eo, qui repetit: veluti: quando minor 25. annis, vel is, qui metum passus est, aut: qui Reipublicæ causâ absuit; in integrum restituitur. *l. Quod si minor.* 24. §. *Restitutio. ff. De minorib.* dict. *l. Videamus.* §. *Item, si vi.* ac universim, cùm justitia restitutioni causam præbet, non autem, quando gratia vel indulgentia *l. Nec non.* 28 & *l. seq. ff. Ex quib causis majores &c.* Confer interpretes passim ad *l. Gallus* §. *Et quid si, De liber. & posthumis.* & huc facit textus in *Authentica: Idem de Nestorianis. Cod. De Hæreticis.* quæ est Novella Constitutio 115. *Justiniani.*

Ratio ulterior suprapositæ resolutionis est; quòd, sicut res, quas ab hostibus cepimus, nostræ, jure Gentium, factæ sunt; ita jus eis fruendi, seu fructus ex eis quærendi, consecuti simus. §. *Item ea, quæ. Instit. De rerum divis. l.* 4. *ff. De Usufructu.* Igitur, fructus hujusmodi percepti, nostri manent, nec restitutioni obnoxii sunt, nisi expressa verba pacis, eos à nobis auferant.

Quòd, si non justi hostes, sed rebelles occupaverint res bonorum civium; non est mirum, quòd hujusmodi homines improbi, unà cum fructibus perceptis, res raptas etiam alienatas restituere debeant; quia, ùt sæpe dictum, jus belli non habent, & per consequens, illo jure se tueri non valent; neque plus juris in alios transferre potuerunt, quàm ipsi habuerint. *l Nemo.* 14. *ff. De R. J.* Aliud obtinet, si boni cives, res rebellium occupaverint, nisi tamen pacis necessitas, Principem adegerit sic pacisci cum rebellibus, ut ipsis res cum fructibus, & sine damno ipsorum, restituantur;

tuantur; prout accidit in pace *Constantiæ*, ubi *Fridericus Ænobarbus*, seu *Barbarossa*, plus tribuisse videtur rebellibus, quàm suis. §. *Possessiones omnes.* & §. *Si quis ex parte.*

26. Circa interpretandas pacis conventiones, in memoriam revocandum est, quod infra dicemus, nempe, laxiùs id accipiendum, quod plus favoris habet. Generatim autem, si jus naturæ spectemus, maximus favor in eo esse videtur, ut suum quisque recipiat: unde ambiguè positorum verborum interpretatio, eò præprimis flectenda est; ut, qui justa arma habuit, id consequatur, propter quod arma sumpsit; damna item sumptúsque recuperet; non item: ut pœnæ nomine, quidquam lucretur, id enim odiosius est.

27. Si in tractatu pacis, de restitutione facienda, nihil cautum fuerit; id actum conclusúmque censeri debet, ut nomine damnorum bello datorum utrimque actio non sit, quod & de damnis privatim acceptis intelligendum est; nam, & hæc belli effecta sunt. In dubio enim ita convenisse censentur belligerantes, ut neuter injustitiæ damnaretur.

Nolim tamen inde inferas: condonata censeri factâ pace, quæ privatis debita fuerunt, aut deberi cœperunt belli tempore. Nam, hæc, belli jure quæsita non sunt; sed tantisper exigi vetita, flagrante bello. Itaque sublato impedimento, vim suam retinent.

28. Quanquam autem jus, quod ante bellum extitit, nemini privatorum regulariter per bellum censeatur ademptum; in jure tamen Regum & populorum, faciliùs est, ut condonatio aliqua per pacificationem intelligatur facta, dummodò verba & conjecturæ non improbabiles suppetant, id quod maximè obtinet; si jus, de quo agitur, non fuerit liquidum, sed controversum. Satiùs enim & benigniùs est credere, id porrò actum, ut belli semina evellerentur, neque ex bello bellum gigneretur. Nam, ùt sapienter scripsit *Dionysius Hallicarn. Antiquit. Roman. lib.* 3. *Non tam cogitandum est de sarcienda in præsenti amicitia, quàm id curandum, ne bello iterum implicemur: neque enim ad differenda, sed ad auferenda mala convenimus:*

29. Si in tractatu, aut instrumento pacis; Regionum ditionum, aut terrarum fiat mentio; nomina accipienda sunt ex usu præsentis temporis, non tam vulgi, quàm peritorum. Quòd, si quid statuatur relativè ad pactum antecedens & vetus; tunc repetitæ censentur qualitates, & renovatæ conditiones priore pacto expressæ. Si alteruter paciscentium, quid facere spopondit; jam fecisse, & promissum præstitisse censetur; si facere volens, impeditus fuerit ab altero, quocum controversiam habuit, & in cujus gratiam, factum præstandum erat. Alioquin, si factum intra determinatum tempus præstandum erat, non admittetur moræ purgatio, nisi improvisa necessitas obstaculo fuerit. Nec obest: quòd Canonum jure, facilè admittatur moræ purgatio. Nam sacri Canones eò collimant; ut Christianos ad ea promoveant, quæ mutuæ charitati conveniunt: verùm, hic loci, de pactis interpretandis, non attenditur, quid meliùs sit, quidve religio vel pietas exposcat; sed; ad quid quis jure externo cogi possit.

30. Quid, si verba pacti sint ambigua? Resp. Tunc contra eum facienda est interpretatio, qui conditiones posuit, (posuisse autem censetur is, qui in bello potentior aut victoriosior fuit, quique dat, non petit pacem) Ratio est, quod præscribens conditiones sibi imputare debeat, quod apertiùs non fuerit locutus. Itaque alter in dubio, illum sensum capere poterit, qui sibi fuerit utilior.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

An, & quatenus Princeps cum hostibus paciscendo, possit privatorum juribus praejudicare?

31. Quòd in dubio, Princeps non censeatur voluisse jus alterius tollere vel imminuere; certum est. Solùm hîc quaestio est: an, & qua ratione, id possit? De rebus subditorum, quas hostis bello cepit, non est difficultas; dùm enim hae hostibus acquisitae relinquuntur, nihil ipsis de rebus privatorum donatur; quod & dicendum de damnis quibuscunque ab hoste illatis. Cùm enim, ùt supponitur, à publico hoste, jure belli illata sint; eatenus particularibus damnificatis, non competit actio. Controversia igitur respicit facta Piratarum, aut rebellium, & res nostras ab iis raptas, quae secundùm dicta, in nostro mansêre dominio, quarúmque vel consumptarum, vel alienatarum, & publicâ praesertim accedente authoritate, distractarum, vigore confectae pacis, nobis interdicitur repetitio. Controversia etiam porrigitur ad res, quas justo bello cepimus, aut aliter acquisivimus, quásque per adjectam paci conditionem, pristinis dominis reddere jubemur; Quaestio inquam est: an Princeps tali conditione, súbque tali subditorum suorum gravamine, pacem pangere queat?

32. Etsi, ùt pluries dictum, Princeps supra legês civiles sit; jure tamen naturae, prohibetur cuiquam suum subtrahere. Unde, quando legimus, quorundam privatorum possessiones, partim distractas, partim veteranis militibus, praemii loco assignatas; *l. Lucius. 11. ff. De evictionib.* Id capiendum est de praediis, quae bello acquisita fuerant, & non tam dominii, quàm possessionis tantùm temporariae jure, quibusdam bene meritis concedebantur. Pro regula igitur tenendum est; ne Principis quidem facto, quod nostrum est, adimi nobis posse invitis.

33. Equidem, ab hac regula, exceptionem facit causa pacis; si videlicet pax aliter obtineri nequeat. *Ratio* est; quia res subditorum, sub eminenti dominio sunt Principis aut Reipublicae; ita, ut haec, aut, qui summo gaudet imperio, eorundem subditorum rebus uti, easque perdere & alienare possit, non tantùm ex summa necessitate, quae privatis quoque jus aliquod in aliena concedit; sed & ob publicam utilitatem, cui privatas res cedere, illi ipsi voluisse censendi sunt, qui in civilem coetum coïerunt. Quamobrêm, propter commodum pacis, posse, Principe authore, privatorum etiam non consentientium bona alienari, actionésque remitti; nedum tradunt interpretes juris ad *l. Conventionum. ff. De pactis*, sed & Theologi passim.

34. Neque Dicas hoc adversari juri divino & naturali, dictanti; unicuique suum esse servandum, neminíque suum fore auferendum Nam, ùt bene dixit *Tullius: lib. 3. De legib.* Salus populi suprema lex est, & nihil Deo acceptiùs, juríque naturali convenientiùs, quàm ut publica tranquillitas & utilitas procuretur. Ut evidentiùs percipias obmoti scrupuli inanitatem, Observa: Juris tum naturalis, tum divini, multas esse regulas, quarum aliae sunt fortiores & superiores, aliae debiliores & inferiores. En! Si has contingat eventu collidi; ita, ut omnes simul observari non possint; tunc inferiores superioribus cedunt, quin etiam ab his interpretationem exceptionémque recipiunt. Itaque in nostro proposito, lex seu regula inferior dictans suum nemini esse auferendum, cedere debet supremae legi, quam ponit salus populi publica. Hunc enim ordinem

Deus

Deus naturæ parens, à quo Principes omnes, curam humanæ ſocietatis & formam regendæ Reipublicæ acceperunt, conſtituit, ut privatis publica, & pretioſis pretioſiora anteferantur. Unde, etſi juſtum ſit, cuique ſuum relinquere, juſtiùs tamen eſt, quibuſdam res ſuas adimi, quàm ut alioquin pax & tranquillitas totius populi impediatur. Huc facit; quòd juſtitia æſtimanda ſit ex omnibus circumſtantiis. Quò reſpiciens *Tryphonius* in *l. Bona fides.* 31. *ff. Depoſiti*, hanc demum dixit eſſe juſtitiam, quæ ſuum cuique ita tribuit, ut non diſtrahatur ab ulla majori juſtitiæ ratione, ſeu alterius juſtiore petitione.

35. Quanquam autem ob datam rationem, Princeps obtinendæ pacis gratiâ, poſſit privatorum bona actionéſque condonare; nihilominus æquitas poſtulat, ut his, qui pro communi utilitate, res ſuas amiſerunt, de publico damnum reſarciatur. Vide *Ferdinandum Vaſquez. Controverſ. illuſtr. lib.* 1. *cap.* 5. Et huc facit exemplum *Legis Rhodiæ*, quæ in toto orbe Romano, & ab omnibus populis, propter ſummam æquitatem, recepta eſt. Hac cautum fuit: ut, ſi levandæ navis causâ, merces alicujus vectorum, in undas projectæ eſſent; aut; ſi navis à piratis redempta; ut damnum contributione ſarciretur: æquiſſimum enim eſt [inquit JC*tus*] commune detrimentum fieri eorum, qui propter amiſſas res aliorum, conſecuti ſunt, ut merces ſuas ſalvas haberent *l.* 1. *&* 2. *ff. De leg. Rhod. de jactu.* Parili ratione, licet intermedia domus, ſine injuria, dejici poſſit, ut vicinæ ab incendio liberentur. *l. Si quis.* 49. *ff. Ad leg. Aquil.* nihilominus, ſi id factum fuerit, damnum ſarciendum eſt à vicinis, ad quos ignis erat perventurus.

36. Æqualitatis itaque conſervatio, quæ & benevolentiam conciliat, & ſocietatem civium tuetur, omnino jubet; ut paucis compenſetur damnum, quod pro toto populo, pacis conſequendæ causâ, paſſi ſunt.

EXCIPE 1*mò*. Si quid damnum paſſis privatim imputari poſſit. Quod enim quis ſua culpâ damnum ſentit, non intelligitur ſentire, ùt habet juris civilis regula 203. Hinc nil compenſandum eſt iis, quorum ædificia in ſuburbiis aut propè mœnia civitatis, hoc ultimo bello, juſſu Magiſtratûs aut ſummi Principis, diruta fuerunt: ídque propter *Arcadii* & *Honorii* Conſtitutiones, quibus cautum, ne ædes exſtruantur mœnibus ita cohærentes, ut ex iis inſidiæ reformidari queant; alioquin, ſi ſecus factum fuerit; ut temerarii ædificatores, futuræ quandoque demolitionis detrimentum exſpectent. *l. Ædificia. Cod. De oper. publ. l. Si cui. Cod. De ædific. privat.*

37. EXCIPE 2*dò*. Si deſit, unde damnum reſarciatur: puta: ob multitudinem privatorum, qui res ſuas perdiderunt; & quia damna ſunt infinita, quibus Fiſci, aut principatûs bona vix ſufficerent, Itaque, ſi æraria publica ſint exhauſta, vel cauſis neceſſariis reſervanda; cunctíque cives adeò depauperati ſint, ut nullum onus novæ contributionis, ex quo damna ſarcirentur, ferre poſſint; aut verendum ſit: ne novis oneribus impoſitis, excitetur tumultus; tunc in tantis anguſtiis, omitti poterit damnorum repenſatio; ſic tamen: ut, quæ nunc fieri nequit; tunc porrò fiat, cùm Reſpublica ad meliorem fortunam pervenerit; &, quod pecuniâ rependi nequit, rependatur ſaltem immunitate, aliiſque privilegiis. *Vaſquez loc. cit.* cui conſonat *Grotius. lib.* 3. *De J. B. & P. cap.* 20. §. 7.

38. Jam ſæpius dictum; quòd non ipſo jure, & ex natura pacis, profluat *Poſtliminium*, ſeu obligatio reſtituendi bona hoſtibus ablata; ſed, quòd tota hæc res ex

ex pactionibus & conventionibus pacificantium dependeat. Unde, si dictum conventúmque fuerit, ut plenissima fiat restitutio; tunc, sicut uni parti redintegranda sunt pristina jura; ita altera pars, quæ jure belli acquisiverat, retrocedere debet; proinde venditiones, locationes, & cætera, tempore belli, circa res captas aut possessas, facta, à die publicationis pacis, rescissa intelliguntur. Id tamen haud indistinctè intelligi debet; sed duntaxat de his, quæ facta fuerint velut ab hoste & hostili animo, vindictæ, nocendíque causâ, seu occasione belli; non autem de iis, quæ illa pars, cui restitutio facienda, ipsamet de jure, sive ex contractu, sive ex quacunque alia causa, præstare debuisset. Sic: si hostis ante bellum cuipiam ex stipulatu, aut mutuo accepto, obligatus fuisset: aut: si villam alicui vendidisset aut locâsset: Princeps verò, qui publicato bello, in locum hostis successit, solvisset, quod hostis debebat, vel tradidisset rem, quam is vendiderat, aut locaverat; solutio vel traditio, factâ pace, minimè in irritum recidet, sed, qui per pacem hostis esse desiit, hæc omnia rata habere cogitur. Idem est de justis sententiis, quæ de jure, & secundùm leges ac consuetudines, à publico & legitimo hoste, in civitate bello occupata, latæ fuerint. Dico: *à publico & legitimo hoste.* Sententiæ enim à rebellibus latæ, licet alioquin non fuerint iniquæ, nihilominus invalidæ sunt, quia rebellibus defuit jurisdictio; unde, ut ab his gesta robur accipiant, per expressum pactum ratificari debent, quod non requiritur in his, quæ à justis hostibus gesta sunt; hi enim, sicut cætera, ita & jurisdictionem, jure belli, acquirere potuerunt.

39. PETES: An Princeps pacis causâ quidquam de Religione remittere possit? Quod in Republica, prima cura & ratio sit habenda circa Religionem; non tantùm veræ fidei, sed & superstitionis cultores agnoverunt, teste Cicerone: *lib. 2. De legibus.* Veteres enim Romani gentilitatis tenebris adhuc immersi, nil tam sedulò sanxerunt; quàm, ut Dii patrii perpetuò colerentur & retinerentur, novi autem & peregrini cultus rejicerentur. Quocirca, cùm sine veræ fidei cultu, res prosperè succedere nequeant; Principis officium erit, veram Christi Religionem cunctis viribus tueri.

40. Sed, quid, Si multitudo hæreticorum eorúmque potentia, in tantum excreverit, ut sine aliquali dispendio orthodoxæ Religionis, pax alioquin obtineri nequeat? Profectò, cùm in Germania, in Gallia & aliis regnis, nulla persæpe alia ratio componendorum sanguinolentorum dissidiorum inveniri posset, quàm, ut hæretici in exercitio sectæ suæ, atque in possessione bonorum ab ipsis occupatorum relinquerentur; adhibito doctissimorum tam Theologorum, quàm jurisconsultorum judicio, visum fuit, in tanta necessitate, pacis stabiliendæ gratiâ, nonnihil de religione remitti posse, & in tam misero Reipublicæ statu, ejusmodi pacta licita esse.

41. DICES imò. Hæresis est res mala & turpis; pactum autem de re turpi, nullius est momenti. *l. Pacta. Cod. De pactis.* Ergo. RESP. Exinde solùm sequi, quòd hæresis, utpote res mala & turpis, pacto nequeat laudari & approbari; non verò, quòd nequeat merè tolerari, si non possit extirpari. Etsi igitur Religionis libertas, pestis sit teterrima; ejus tamen passiva toleratio, mala non est. Sic majorum malorum evitandorum causâ, tolerantur meretrices & lupanaria; item: mensæ fœneratorum. Sic *Constantinus*, *Theodosius* & *Justinianus* pientissimi Imperatores (qui toties per disertas Constitutiones suas,

ſuas, ſe Chriſtianos & ſacrorum Canonum cultores eſſe, ritúſque Paganorum execrari, palàm profeſſi ſunt) toleravetunt divortia, uſuras, concubinatum, & alia, jure tum divino, tum naturali vetita, quæ moribus Paganorum invaluerant, & tunc temporis, in orbe Romano penitus aboleri non poterant; quæ tandem Religione Chriſtianâ creſcente, penitus prohibita noſcuntur. Huc facit; quòd, ſi multitudo ſit in ſcelere, & ſinguli, ſalvâ pace Eccleſiæ, puniri nequeant; delinquentium delicta potiùs toleranda, quàm punienda ſint, prout *Gratianus, cauſa* 23. *q.* 1. probat authoritate Divi Patris *Auguſtini* & aliorum Sanctorum Patrum.

Dices 2*dò*. Non tantùm jure improbantur pacta, ut impunè furta, rapinas & id genus maleficia perpetrare liceat; ſed etiam, ne furti, vi bonorum raptorum, injuriarúmve agere liceat; ſi tale delictum à quopiam commiſſum fuerit. Pacta enim hujuſmodi, bonis adverſantur moribus, & ad delinquendum invitant. *l. Si unus.* §. *Pacta. ff. De pactis.* Siquidem, ùt bene dixit *Tullius*: *pro Milone. Spes impunitatis, maxima eſt peccandi illecebra.* Resp. Hujuſmodi pacta utique damnari, ubi talia delicta per Magiſtratum puniri poſſunt: Si tamen Reipublicæ ſtatus non tam ſit integer, neque Magiſtratus multitudinem delinquentium coërcere queat; diſſimulandum potiùs, quàm evertenda, & rebellionibus concutienda civitas. Hanc ob cauſam, legimus apud quaſdam nationes, propter ingenia hominum incorrigibilia, furta manſiſſe impunita, & denegatam fuiſſe furti actionem. Sic *Diodorus Siculus*, *lib.* 2. refert, olim apud *Ægyptios* viguiſſe legem; ut, qui furari cupiebant, Principem ſacerdotum adire, noménque ſuum profiteri debuerint: rem verò furto ablatam ad Sacerdotem iſtum deferre coacti fuerint: ac in prœmium quaſi, quartam rerum furtivarum partem conſecuti fuerint. Hoc inquam apud *Ægyptios* ideo receptum fuit, ut hac ratione, facilè furta detegerentur, & qui rem amiſerat, quarta parte, ob ſocordiam negligentiámque ſuam in cuſtodiendo, potiùs mulctaretur, quàm totum perderet.

SECTIO QUARTA.

Pax contracta, quos & quatenus obliget?

42. Firmitas & pacis ſtabilitas pendet ex fide, quam ſibi mutuo pacificantes dedêre. Fides autem pace data, vel maximè à partibus paciſcentibus ſervanda eſt. Tum, quia fide non tantùm Reſpublica quælibet continetur; ſed & major illa Gentium ſocietas; hac enim ſublatâ, tollitur quod inter homines eſt commercium, imò homines redduntur feris ſimiles, & perpetua inter ſe gerent bella. Tum, quia fides [quæ Ciceroni *De offic. lib.* 3. eſt: *dictorum conventorúmque Conſtantia*] in negotio pacis, jurejurando utrimque ſanciri confirmaríque conſuevit. Fidem autem pace datam tantò arctiùs & religioſiùs præſtare & obſervare debent ſummi Principes, quantò cæteris impuniùs peccant, & fides per Principem violata, Regis & Regni facit vileſcere authoritatem. Ob hujus virtutis culturam & perpetuam obſervantiam, populus Romanus potiſſimùm ex parva origine, ad immenſam amplitudinem excreviſſe dicitur.

43. Etſi autem, ùt ſupra *c.* 8. *n.* 219. vidimus, quidam dubitaverint, an hoſti data fides ſervanda ſit; extra controverſiam tamen modò eſt, quòd fides hoſti, etiam durante bello, data ſervanda ſit. Ut ùt igitur ſtratagemata & aſtutiæ in bello liceant; minimè tamen perfidia licita eſt. *l.* 1. *ff. De dolo malo. Can. Dominus. cauſ.* 23. *q.* 2. Neque diſtinguendum eſt; an ſi-

fides hosti publicè, an privatim data sit. Nam ipsa lex naturalis generaliter jubet, ut quæ inter aliquos placuerunt, serventur. *l. 2. ff. De pactis.* Unde veteres scriptores etiam gentiles, summoperè laudant factum *M. Attilii Reguli*, qui maluit ad Carthaginenses, quibus se promissione devinxerat, crudelem mortem oppetiturus, reverti; quàm Romæ, inter suos cives, cum perfidia manere. Confer hac de re Divum *P. Augustinum, De Civit. Dei. lib. 1. cap.* 18. Quòd, si autem à privato fidem falli, grave est. *l. 1. ff. De constituta pecun.* quantò vituperabiliùs erit, à Principe fidem violari, præsertim, cùm hoc factô, omnia misceri perturbaríque necesse sit. Vide *Duarenum*, ad *cit. l.* 1. *De pactis. Covarruviam*, *Epitom. lib.* 4. *Decretal. p. 2. cap.* 3. §. 4. *Balthazar. Ayala. De jure & offic. bellicis. lib.* 1. *cap.* 6.

44. Cæterùm, ùt supra dictum; fœdera cum hoste inita, tamdiu firma manent, quamdiu fides ab altera parte non rumpitur. Frustra enim quis fidem ab altero præstari postulat, cui fidem datam ipse servare recusat. *cap. Frustra. De R. J. in* 6. Quo casu videndum est, uter eorum, qui pacti sunt, conditionibus fœderis non steterit? Is enim solus violati fœderis reus est, & pro perfido habendus. *l. Aut facta. ff. De pœnis*. Adde, quæ olim scripsi ad dictam Regulam.

45. Sicut autem summus Princeps, pro authoritatis suæ conservatione, pacis articulos ad amussim observare debet, ita & ejus subditi nil moliri possunt, quod paci adversetur, sed hi Principis sui pacta, velut leges suspicere coguntur; adeò, ut alioquin tanquam transgressores legum puniri possint, & in contrarium facta, nullius sint valoris. *Matth. De Afflictis. decis.* 43. *Antonius Corsetus*, *De privilegiis pacis. n.* 20.

46. Si circa pacis articulos, aut ea, quæ inde dependent, dubium oriatur; perinde, ac de legum interpretatione dici solet; non est cujusvis particularis hominis, aut judicis pedanei, sed supremorum judicum duntaxat, interpretari, aut sensum fœderis exponere; idque sine discrimine personarum, quæ ob eam causam conveniuntur. *Corsetus loc. cit. n.* 18. *& seq.* Siquidem, cùm hæc res ad quietis publicæ conservationem, quæ Principi commissa est, pertineat; in Clericos quoque, Principis, ejúsque Magistratuum authoritas, ex consuetudine & praxi, prorogata est, teste *Covarruviâ*, *Practic. quæst. cap.* 35. Junge *Aufrer. De potestate secularium super Ecclesiis. Regul.* 1. *&* 2.

47. Porrò, sicut pax cum hoste inita, piè inviolatéque servanda est; ita etiam supra ostendimus, pacta cum subditis rebellibus, aut aliis prævaricatoribus & perfidis conclusa, sanctè observanda esse, nec licitum fore, perfidiam perfidiâ ulcisci. Quanquam enim rebelli & perfidioso difficulter fides sit danda, & laudandus subinde sit, qui hoc non fecerit; eò quòd semel malus, præsumatur adhuc esse talis. *cap. Semel malus. De R. J. in* 6. Equidem, si hujusmodi sceleratis hominibus gratia facta, aut fides data, non modò magnanimitati Principis convenit; sed & veracitas & religio postulat, ut pactis & conventis stetur. Igitur, si necessitate suadente, rebellibus aut perfidis quid concessum, condonatúmve fuerit; quod alias minimè concedendúmve fuisset; pactio tamen hujusmodi, à Principe servanda erit. Si enim Princeps fidem sic datam explere non cogeretur, aut ad instar privatorum, qui per vim aut metum ad promittendum adacti sunt, exceptionem opponere, soluta repetere, absolutionem à juramento forsan præstito flagitare posset; nunquam rebelles adduci possent, ut cum Principe suo paciscerentur;

tur; quinimò Princeps, in maximis angustiis & periculis, sibi & bonis suis subditis consulere & prospicere non posset. Unde remedia juris, quæ privatis vim aut metum passis concessa sunt, peræquè in Principis Majestatem non cadunt.

48. Gravissima quæstio est, an successores eorum, qui pacem, fœderáque pepigerunt, pactis & conventionibus obstringantur? Priusquàm ad hanc quæstionem discutiendam procedamus; præjudicialem aliam ruminabimus; an scilicet Rex contra propria gesta sua, semetipsum in integrum restituere, contractum irritare, aut à juramenti vinculo se eximere queat.

Bodinus lib. 1. *cap.* 8. existimat: Regem, sive alienâ fraude & dolo, sive errore deceptum, sive porrò metu adactum; ex iisdem causis, ex quibus subditus restitueretur; restitui posse: tum in iis, quæ ad jura Majestatis imminutæ, tum in iis, quæ ad privata commoda pertinent. Putat inquam author iste, ne jurejurando quidem teneri Regem, si ejusmodi sint pacta, à quibus recedere lex patiatur. Verùm; pro resolutione propositæ quæstionis.

49. Notandum 1mò. Actus à Rege gestos, alios esse *Regios*, seu gestos à Rege quà tali, id est, nomine Regio, alios verò esse *privatos*, seu gestos quidem à Rege, ast non Regio nomine, sed quasi ab homine privato. Ex quo discrimine fluit, quòd primi generis actus legibus etiam Regiis irritari non possint, quia Rex se ipso superior non est. Sicut ergo in statu *Democratico*, populus per leges à se conditas, proprios actus irritare non posset; ita nec Rex in statu *Monarchico* id potest. Proinde Rex non poterit semetipsum in integrum restituere contra actus à se, nomine Regio gestos; neque Regibus prodest exceptio adversus contractus à se in minorennitate celebratos. Restitutio enim in integrum, & exceptio minorennitatis, venit ex jure civili, supra quod est summus Princeps.

50. Notandum 2dò. Si populus Regem creaverit *non pleno jure*, sed additis legibus fundamentalibus, quibus Rex obstrictus sit, & quarum limites egredi nequeat; posse per ejusmodi leges, actus contrarios à Rege gestos irritari, aut omnino & in totum, vel ex parte; quia eatenus populus sibi jus reservavit. Idem dicendum de actibus Regis, pleno jure quidem ex consensu populi regnantis; non tamen Regnum tenentis ùt proprium & patrimoniale. Si enim hujusmodi Rex Regnum aut Regni partem, citra populi consensum, alienaret; nihil ageret; seu actus ejus, utpote de re aliena factus, nullius esset roboris.

51. Notandum 3tiò. Actus Regis privatos, seu quasi ab homine privato gestos, communem regulam sequi: proinde leges, quæ actus quosdam aut simpliciter, aut, si is, qui læsus est, velit, irritos faciunt; etiam locum hìc habere, quasi sub ea conditione gesti fuerint. Et hac ratione, quidam Reges adversus fœnebre malum [quando nempe urgente necessitate, sub excessivis usuris, ingentes pecuniæ summas mutuò acceperunt] sibi consuluerunt. Cùm tamen Rex peræquè suos, ac aliorum actus possit legibus solvere; ex circumstantiis conjiciendum est, an id hic & nunc fecerit? si de ejus voluntate constet; quòd scilicet actum suum, licet contra leges gestum; valere voluerit; res dijudicanda erit ex mero jure naturali. Si verò appareat, Regem, contrahendo voluisse se legibus conformare; eodem modo actus à Rege gestus irritari, vel retrò *nullus* declarari poterit, ac si ab alio privato gestus foret; nisi lex actum faciat irritum, non *in favorem* agentis, sed *in pœnam*: hujusmodi enim legi pœnali,

nali, aut alteri, vim coactivam importanti, Rex non est obnoxius. Quia punitio & coactio non possunt procedere, nisi à voluntatibus diversis; & inter cogentem, & illum, qui cogitur, debet esse distinctio personarum, neque diversus sufficit respectus.

52. NOTANDUM 4tò. Quòd etsi ex legitima causa, juramentum à subdito præstitum, à superiore irritari vel relaxari possit; eò quod hujusmodi juramento inesse censeatur conditio: *Si superiori placuerit*: aut*: nisi dispensaverit &c.* Nemo tamen ita quidpiam juratò promittere queat, ut pro lubitu, juramento suo contraire possit. Id enim perabsurdum, & naturæ jurisjurandi diametraliter repugnaret. Quinimò, licet interdum ex jurejurando, alteri, cui quid promissum, ob vitium personæ ejus, jus quæri non possit; nihilominus is, qui juravit, Deo obstrictus manet: Atque hoc non minùs ad Reges, quàm ad alios privatos pertinet, quidquid obganniat *Bodinus loc. cit.* Improbanda quoque est eorum sententia, qui negant Regem teneri his, quæ plenè & absolutè, alteri promissionem acceptanti spospondit. Neque universaliter & indistinctè verum est, quòd Jurisperiti passim tradunt; videlicet: Regem ex contractibus, quos cum subditis iniit, obligari solùm *naturaliter*, nequaquam verò *civiliter.* Ut verum à falso discernere queas; OBSERVA*:* quòd naturalis obligatio interdum à jurisperitis, per abusionem, sumatur pro eo, quod fieri, *naturaliter honestum est*, quanquam verè & rigorosè non sit debitum: cujusmodi sunt: *legata integra, sine detractione Falcidiæ, præstare; solvere debitum, quo quis in pœnam creditoris, erat liberatus: vicem beneficii rependere:* quæ omnia cessare faciunt *conditionem indebiti.* OBSERVA inquam*:* naturalem obligationem alio sensu, accipi pro vinculo conscientiæ orto ex justitia *interna.* Adverte etiam, aliquem ex actu suo, posse obligari, ex jure naturali, seu *in foro poli tantùm*; vel, *tantum ex jure civili*, vel demum *ex utroque simul*; ita, ut in foro fori, inde etiam actio nascatur. His bene observatis, facilè percipies, quòd ex contractu, quem Rex cum subditis suis inivit, nascatur vera & propriè dicta obligatio *justitiæ*, quæ det subditis jus in Regem *quà talem*, licet subditi in Regem, actionem exercere non possint; quia actus Regii, nullius subduntur in terris judicio. Quòd si contractus à Rege non quà tali, seu velut à privata persona celebratus sit; etiam leges civiles in eo valebunt. Itaque in utroque casu, *per se* nascitur jus creditoris, si subditus v. g. quid vendiderit Regi, ipsíque fidem de pretio habuerit, sed coactio sequi non poterit; quia subditus superiorem cogere nequit: sed æqualibus in æquales, jus est *à natura*; superioribus in subditos, etiam *à lege*.

53. Non prætereundum, quòd Rex subditis *jus etiam quæsitum* auferre possit duplici modo; videlicet*:* vel *in pœnam*, vel, *ex vi eminentis dominii*; quanquam, ùt alias pluries dictum, vigore dominii eminentis, summè imperans haud aliter subditis res aut jura possit licitè auferre, quàm intuitu necessitatis publicæ; & ut, quatenus fieri potest, ipsis è publico fiat compensatio pro rebus amissis. Dum enim dominium aut jus, quacunque ratione, partum alicui est; jus naturale postulat; ut id ei, sine causa, non auferatur. Unde, si Rex contra fecerit; haud dubiè tenetur reparare damnum datum; quia verè violavit jus subditi. Porrò; falsum est, quod aliqui tradunt*:* scilicet : *contractus Regum, leges esse.* Nam ex legibus, nemini adversus Regem, jus nascitur : & ideo, si eas revocet; nemini injuriam irrogat, quan-

quanquam peccare possit, si leges utiles & salutares sine causa aboleat. Verùm, ex promissis & contractibus Regum, jus subditis acquiritur. Dein; contractibus ligantur contrahentes tantùm; leges verò omnes obligant subditos. Etsi igitur contractus Regis cum *Publicano* factus, quid de lege participet; quatenus pro lege publicatur, & subditi tenentur se tali contractui conformare; generatim tamen dici nequit, quòd contractus Regum, naturam legum induant.

54. Jam descendamus ad supra propositam quæstionem, & dispiciamus; an, & quatenus pacta Regum transeant ad eorum successores? Pro resolutione hujus quæstionis, ponderandum est: num successores, sint omnium omnino bonorum hæredes; ita, ut in regnum *Patrimoniale*, ex testamento, vel ab intestato, succedant: an verò succedant in regnum *non patrimoniale*; puta: per novam electionem, aut ex legum fundamentalium præscripto, aut alio *mixto* modo. Profectò, qui bonorum omnium & simul regni hæredes sunt, absque dubio, prædecessoris promissis & contractibus obstringuntur: ut enim pro debitis etiam personalibus bona defuncti obligata sint, æquitas naturalis dictitat. Ex quo fluit; quòd hujusmodi successores obligentur conditionibus pacis, quam prædecessores inive-runt. *Ratio* est; quòd pax sit conventio *publica*, id est: ad statum Reipublicæ pertinens. *l. Conventio. ff. De pactis.* quam ideo Princeps, non tam proprio, quàm Reipublicæ nomine, contraxisse intelligitur. Unde non solùm Princeps pacem faciens, sed ipsum regnum, seu corpus Reipublicæ, obstrictum censetur, ut mirum non sit, quòd is, qui in regnum *patrimoniale* succedit, pactis & conventionibus pacis teneatur.

55. Quòd, si quis alio modo, in jus Regni succedat; *directè* quidem, & *quà talis* non obligatur stare pactis per prædecessorem initis; quia, ùt supponitur, jus non accepit ab eo, qui proximè præcessit, sed à populo: *indirectè* tamen obligatur, mediante scilicet populo, cujus nomine, pax facta, aut fœdus initum intelligitur. Sicut enim cœtus quilibet non minus, quàm personæ singulares, jus habet se obligandi, per se, aut per majorem suî partem; ita hoc jus vel expressè, vel per consequentiam necessariam, imperium transferendo, Regi contulisse censendus est. In moralibus enim, qui dat finem, dat & ea, quæ ad finem perducunt. Exinde tamen haud rectè intuleris; summum Principem à populo electum, omnia illimitatè posse facere; non enim indefinita potestas, ad imperium ritè exercendum, est necessaria, sicut nec ad tutelam vel curatelam debitè gerendam, alia facultas in Tutore vel Curatore requiritur, aut concessa intelligitur, quàm, quæ natura officii postulat. Siquidem, ùt egregiè dixit *Julianus: l. Qui fundum §. Si tutor. ff. Pro empto. Tutor domini loco habetur, cùm rem administrat, non cùm pupillum spoliat.* Quanquàm hæc res, ad naturam negotiorum gestorum, scrupulosè exigenda non sit, prout, post *Alphonsum à Castro, lib. 1. De legibus pœnalib. cap. 5.* scripsit *Franciscus Victoria, in Relection. De potestate Papæ & Concilii. n. 18.* quos secuti sunt quidam Theologi malè interpretantes Doctorem Angelicum, 1. 2. *q. 93. art. 3.* Si enim tunc solùm ratus esset actus à Rege gestus, quando in utilitatem Regni aut populi cederet; ad tantas angustias imperantis potestas redacta foret; ut vel ipse pacisci pertimesceret, vel nemo cum ipso pactum inire, vel contrahere vellet, quod Reipublicæ utique foret tam probrosum; quàm periculosum. Quare, populus tantoperè

toperè Regis potestatem limitâsse non censetur: neque exitus hac in re, sed probabilis ratio rei gerendæ spectanda est; quæ, si ab initio adfuerit; populus ipse obligabitur, etiam in casu, quo *sui juris* esse inceperit. puta: si inducta fuerit *Democratia*; sicut é converso, si quid populus liber contraxisset; obligaretur is, qui postea regnum pleno jure consecutus est. Confer *Gail. lib. 2. Observat. practicarum. Obs.* 60. *n.* 15. Hoc equidem verum est, quòd, si contractus per Regem initus, inciperet vergere non solùm in damnum aliquod, sed in perniciem totius regni & populi; ita, ut ab initio, hujusmodi contractus fuisset illicitus & injustus; tunc, & tali casû, non solùm revocari, sed etiam declarari posset, eum non ultra obligare, quasi factum sub conditione, sine qua validè & justè fieri non potuit Quò facit decisio, *cap. Suggestum est. De Decimis.* Confer *Marianam, lib.* 10. *cap.* 16. ubi agit de donationibus rescissis, quas *Ramirus* Arragoniæ Rex fecerat.

56. Quæ de Regis contractibus, dicta sunt; parili modo intelligenda veniunt de aliis rebus, quas juxta leges regni, Rex alienare *ex legitima causa* possit vel non possit? Adhibenda enim est eadem distinctio, num scilicet probabilis donandi vel aliter alienandi adfuerit ratio, necne? Sanè; si contractus ad Regni ejúsve partis, aut patrimonii regalis, quatenus id Regi permissum non est, alienationem vergant; vires non habebunt, & nullum producent effectum, tanquam facti de re aliena. Parili passu discurrendum est de regnis restrictis, ubi videlicet certam materiam, aut certum genus actuum, populus sibi reservaverit, & à potestate Regis exceperit. Nam, ut tales actus subsistant; aut populus per se, aut alios à se electos & deputatos, consentire debet. Observa & congruenter applica distinctiones supra positas, & rectè judicabis, an justæ vel iniquæ fuerint exceptiones Regum, qui prædecessorum suorum debita solvere, vel promissa, pactáve explere recusârunt; qua de re, multa exempla invenies apud *Bodinum loc. cit.* Adde *Curtium juniorem*, *Consil.* 138. *n.* 4. & *Consil.* 157. *n* 18. Vide etiam *Baltazar. Ayala lib.* 1. *cap.* 7. *De jure & offic. bellicis.* Ex dictis

57. Colliges: Enormiter errâsse *Vincentium Cabotium*, dum *Disp. lib.* 2. *cap.* 13. contendit, icta ab aliquo Principe fœdera, pro eo solùm tempore icta videri, quo Regnum administraverit. Sicut enim Prælatô, ratione dignitatis, contrahente, Ecclesia ipsa, omnésque in ea dignitate successores, tenentur; *cap. Edoceri. De rescriptis.* Sicut, inquam, contractum Tutoris, dum tutorio nomine, servatis servandis contraxit, Curator in administratione succedens, nec non pupillus ipse *major* factus, observare coguntur. *l. Cùm quæritur. ff. De administr. tutor. l.* 3. *Cod. Quando ex facto tutoris &c.* Ita successores Principis, conventionem publico nomine initam (non solùm, si sit Regnum seu Principatus, qui jure hæreditario defertur, verùm etiam, si Principatus sit, in quem alio modo, & certâ lege succeditur, ùt Regnum *Franciæ*, in quod succeditur ex *lege Salicâ*.) observare tenentur. *Vide Ayala, loc. cit. sub finem.*

58. Dices: Pax & fœdera juratò pangi consueverunt: sed juramentum suaptè naturâ personam jurantis non egreditur. Ergo successor non obstringitur pacis aut fœderis conditionibus, à prædecessore suo conceptis, & in pactum deductis. Resp. Nos non dicere obligationem præcisè ex vi juramenti in fœderibus, ad successores transire; sed ex vi pacti aut promissionis, cujus ea natura est, ut ad suc-

successores transeat, prout Doctores tradunt ad *cap. Veritatis. De jurejurando.* Conventio enim est principalis causa obligationis, jusjurandum autem interponitur tanquam accessorium, quo arctiùs stringatur promittentium fides; non, quin absque eo, quoque fœdera consistant, atque perdurent. Quòd, si partem illam, cui quid juratò promissum, respiciamus; certum est: quòd is, qui promisit, non tantùm *vi pacti*, sed etiam *vi jurisjurandi* interpositi, teneatur præstare promissa successoribus illius, cui quid promissum est; & consequenter perjurus sit, si hujusmodi successoribus fidem non servaverit; quamvis nulla eorum in juramento expressa mentio facta sit. textus in *cap. Veritatis. De jurejur.* Covarruvias ad *cap. Quamvis. De pactis. in 6. parte* 1. §. 5. *n.* 4. *& seq.*

SECTIO QUINTA.

De Fœderum, Sponsionum ac Promissionum Interpretatione.

59. Conventiones, aut *publicæ* sunt, aut *privatæ*. Publicæ fiunt aut à summis imperantibus, aut ab his, qui imperium summo minus habent, veluti, cum belliduces quædam inter se paciscuntur. Ubi vides conventiones publicas differre à contractibus *privatorum*; item: ab iis contractibus, quos Reges circa negotia privata cum aliis celebrant, & in quibus tanquam privati habentur, & pari jure censentur, ùt supra dictum, *n.* 49. *& seq.*

60. Publicæ conventiones dividi possunt in *fœdera*, *sponsiones*, & alias *pactiones*. Fœdera, per hoc propriè à sponsionibus discriminantur, quòd non nisi jussu summæ potestatis pangantur, & in his, populus iræ divinæ obstringatur; si minùs steterit dictis & conventis: sponsiones autem fiant ab his, qui à summa potestate, promittendi causâ, mandatum non habent; equidem promiserunt aliquid, quod summum imperium, aut Rempublicam tangat. Sicut autem Magistratus, aut minor pars populi, populum universum obligare non potest; ita nec, qui populi injussu, aliis quid spondendo promisit, populum fecit obligatum. Excipe: nisi quid à sponsoribus promissum fuerit, ad quod populus aliunde ex juris naturalis dictamine, præstandum, obstrictus fuerit. Hoc, ut evidentiùs percipias;

61. Velim Scias; fœderibus interdum sanciri id, quod de se est juris naturalis; sæpe verò aliquid ultra adjici. Si fœdus pangatur, ut non solùm iis, qui antea hostes fuerunt, sed nec iis, quibuscum specialis societas aut communio negotiorum fuit, detrimentum aut damnum inferatur; nil aliud pactum intelligitur, quàm quòd juris naturalis dictat Synderesis, scilicet: nefas esse; alterum ab altero, sine causa, lædi. Ut idcirco culpandi sint, qui obliteratâ, perversis moribus, Regulâ istâ, latrocinari & prædas in exteros agere, nullô indictô bellô, licitum habuêre. De Germanis, *Julius Cæsar* & *Tacitus* dixêre: quòd apud ipsos olim nullam invexerint infamiam, latrocinia, quæ extra fines cujusque civitatis fiebant: & de Lusitanis, *Diodorus Siculus* scripsit; quòd olim apud *Hispanos* latrocinari, res pulcherrima fuerit habita. Id quod concordat cum Judæorum *enthusiasmo*, qui arbitrantur, se non teneri ad resarciendum damnum datum ei, qui judæus non sit, nec judæis fœderatus. Igitur, si cum extraneis, qui hostes non sunt, & cum quibus bellum non est, fœdus pangatur; ut utrimque sit jus hospitii & commercii, ac ab injuriis abstineatur; nihil, nisi quod juris est naturalis, pactum intelligitur.

62. Fœdera, quæ juri naturali aliquid adjiciunt, seu, quibus aliquid sancitur, quod jus naturale *per se* non præscribit, sunt illa: quæ pacem inter belligerantes, aut inter pacatos populos, singularem societatem respiciunt. Atque hujusmodi fœdera, aut sunt *æqualia* vel *inæqualia*. Æqualia pacis sunt; ut res captæ utrimque restituantur; ut omnia in pristinum statum reponantur &c. Æqualia societatis; aut, ad commercia pertinent; aut: ad belli communitatem; aut porrò, ad alias res. Æquales circa commercia pactiones, variæ esse possunt. Puta: ne utrimque ullum vectigal solvi solvatur, aut: ne vetus vectigal solvi solitum augeatur *&c.* Sic & bellica societas, eo pacto potuit esse conclusa, ut auxilia præstentur paria, scilicet equitum, peditum, navium &c. idque vel ad omne bellum; sive: ad bellum certum, aut contra certos hostes; aut in omnes quidem; sed exceptis sociis. Porrò æquale fœdus, potest & ad res pertinere; veluti: si convenerit, ne in confinio alterius, alter arces aut fortalitia habeat; ne subditos alterius alter defendat, recipiátve: ne transitum alterius hosti concedat *&c.*

63. Fœdera dicuntur *inæqualia*, quibus ex una parte plus, & alterâ minùs promittitur, aut præstandum venit. Id quod contingere potest: vel, quòd pars dignior alteri auxilia promittat; nec restipuletur sibi vicissim auxilia præstari; aut majora promittat: vel: quod pars minùs digna, plus minúsve alteri digniori promittat; id, quod rursum dupliciter fieri potest, scilicet: aut cum imminutione imperii, vel sine ejus imminutione. Primo modo fit; si pars minùs digna promittat se sine dignioris consensu, v. g. nunquam gerere bellum; non restaurare urbis mœnia, non conscribere milites *&c.* Secundo modo fit; si se obliget ad quædam onera ferenda, v. g. ad solvendam quotannis pecuniæ summam pro stipendio militum, ad diruenda mœnia, ad discedendum è certo loco; ad suppeditandas naves; ad non navigandum in certas oras *&c.* Hujusmodi autem fœdera contrahi possunt, non solùm inter victores & victos; sed & inter potentiores & impotentiores, qui bellum inter se non gesserunt. Circa fœdera,

64. Quæri potest 1mò. An licitè ineantur cum his, qui à vera Religione alieni sunt? Ad hanc quæstionem supra *cap.* 8. *sect.* 5. *n.* 74. respondimus. Hic solùm addimus: quòd hæc res, jure naturæ, dubitationem non habeat; quia hoc jus ita, generi humano commune est, ut religionis discrimen non admittat. Præterea, jure divino veteri, ante tempora Moysis; non fuit prohibitum, cum alienis à Religione, inire fœdus, aliunde nil turpe aut iniquum involvens, ùt patet in fœdere, quod *Genes.* 31. ℣. 44. Jacob cum Laban pepigit. Neque id per legem Moysis vetitum invenitur: ùt liquet ex *cap.* 23. *Deuteron.* ubi ℣. 7. Hebræi jubentur non aversari Ægyptios, qui indubiè tunc erant idololatræ: textus enim *ibid.* sic habet: *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est; nec Ægyptium, quia advena fuisti in terra ejus.* Solummòdò excepti fuerunt septem populi, divinâ sententiâ damnati, cujus sententiæ executores erant Israëlitæ: nam his in idololatria persistentibus, & imperium detrectantibus, parcere vetantur, quibus itidem justo Dei judicio additi sunt *Amalecitæ.* Nihil quoque obstat, quo minùs per legem licuerit cum profanis, id est, à fide judaica alienis, commerciorum causâ & communis utilitatis gratiâ, fœdus pangere, ùt liquet ex conventione, quam 2. *Reg. cap.* 5. ℣. 11. *David* fecit cum *Hiram* Rege Tyriorum. Licet autem *Levitici. cap.* 19. Lex Moysis specialiter præceperit benefacere popularibus; inde ta-

men non evincitur, haud licuisse benefacere extraneis, aut id etiam laudabile non esse. Tametsi etiam in novi fœderis historia legamus; quòd Judæi ob rituum & morum diversitatem, aversati fuerint extraneos; ita, ut insociabiles effecti, cum nulla alia gente, vel mensam voluerint habere communem; sed cæteros pro hostibus habuerint; prout *Flavius Josephus*, in suâ narrat historia; Ast nec hunc fuisse veteris legis sensum, Christus nos docuit, exemplô suô, dum legis ubique observantissimus, à muliere *Samaritana* non recusavit *aquam* accipere. Cæterùm, ab hac Regula non tantùm excipiendi populi supramemorati, sed & *Ammonitæ* & *Moabitæ*, de quibus ita sacer textus: *Deuteron.* 23. ỳ. 6. *Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona, cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum.* Quibus verbis, fœdera benefica cum illis impiis populis vetantur. Si de societate bellica loquamur; nec ante, nec post Moysis legem, saltem generaliter, reperitur hujusmodi societas cum profanis gentibus prohibita: prohibitio enim siqua reperitur; causas habet speciales; & Reges aut populos Deo exosos respicit, cum quibus Prophetæ dicebant non debere societatem bellicam contrahi. Vide textum *lib.* 2. *Paralip. cap.* 14. ỳ. 2. & 2. *Paralip. cap.* 25. ỳ. 7. Itaque prohibitio isthæc non descendebat ex natura fœderis, sed ex personarum peculiari vitiosa qualitate, cui argumento est, quòd *Josaphat* graviter increpitus fuerit; quòd cum *Ochozia* Israëlitarum Rege, commercii causâ, societatem inivisset, similem illi, quam *David* & *Salomon* inivêre cum *Hiran* Rege, qui tamen propterea reprehensi non leguntur, eò quòd *Hiran* non fuerit adeo impius & abominabilis sicut *Ochozias*, cui Deus infensus erat. Porrò ideo Judæis promiscuè non licebat societatem bellicam cum aliis gentibus contrahere, aut ab iis auxilium petere; quia *Deuteron. cap.* 28 ỳ. 7. & alibi, sub illo statu, disertas habebant promissiones victoriæ, dummodò legem observaturi essent; adeóque non habebant opus recurrere ad humanum auxilium.

65. Quòd, si legem Evangelii perpendamus; tantum abest, ut Christianis interdictum sit, in justa causa, sublevare alios, à Religione orthodoxa alienos; ut econtra, hæc beneficentia præcepta sit. Nam exemplo Dei, qui solem oriri facit super bonos & malos, & pluviâ utrósque humectat; jubemur, nullum hominum genus à beneficiis nostris excludere. Etsi enim Hebræi crediderint, in solos fratres, suæ fidei consortes, misericordiam fore exercendam; Christus tamen perfectiorem dans legem, in omnes omnino mortales, fraternæ benignitatis præceptum extendit, neminem excludens in miseratione, sicut nec in vocatione, salvâ tamen gradûs differentiâ: puta: ut in omnes quidem simus benefici, præcipuè tamen in Religionis consortes. Quò respiciens Divus *Ambrosius*, *lib.* 1. *De officiis cap.* 3. sic scripsit: *Perfecta liberalitas, fide, causâ, loco, tempore, commendatur; ut primùm opereris circa domesticos fidei.* Id quod naturali lumine agnovit *Aristoteles. Nicom.* 4. inquiens: *Neque enim par est, æqualem curam subiri pro exteris & amicis.* His præmissis

66. Dico: Cavendum quidem esse, ne ex nimia cum infidelibus aut hæreticis commixtura, contubernio, aut familiaritate, contrahatur contagium, aut infirmis in fide, detur lapsûs occasio, aut porrò vilipendatur orthodoxa Religio; equidem in thesi, seu generatim, non esse dicendum; quòd fœdus, societásve bellica aut civilis cum gentilibus vel hæreticis inita, *de se*, intrinsecam involvant pra-

 vitatem;

vitatem; ita, ut nec in summa necessitate illos in auxilium vocare, extra culpam sit. *Summam* autem, velim, haud putes necessitatem, quæ in augendis in immensum, ex opportunitate, opibus consistat. Hæc enim non tam necessitas summa, quàm inordinatissima, alienum rapiendi, sæpe cupido est, quæ tantò magis (quantum ad aliena rapienda) à Christicolis aliena esse debet; quantò evidentiùs ex Evangelio docemur, ne justis quidem titulis, nimiùm bonis caducis inhiandum esse; nam, docente Assertore nostro *Matth.* 6. ℣. 33. primo loco quærendum est regnum Dei.

67. Si quis ergo, ùt ùt nominetenus Princeps Christianus, aliena habendi cupidine abreptus, contra naturalia & gentium jura, Paganam gentem, quæ suis finibus pacatè vivens, nec Christianos injuriis lacessens, bello adoritur; non videtur dubitandum; quin Christianis (dummodò de Religione, aut veri Dei, falso cultu non agatur) permissum sit, armis etiam succurrere infidelibus iniquè invasis, ad reprimendos & coërcendos improbi invasoris ausus. Jus enim gentium, quod quieti omnium studet, & audaciam contaminatoris tam sanctæ compaginis, communi auxilio reprimere jubet; nullum inter Christianos & gentiles discrimen novit. Ubi tamen præprimis observandum est; quòd injustitia armorum, ex parte Christianorum, debeat esse enormis atque indubitata; populo verò gentili non sit moris, ut oblata occasione, nos vi aut insidiis impetat; quemadmodum Christiano nomini offensissima gens *Turcica*, adeò erga nos perfida est; ut nobiscum, pro suo commodo, vel pacem pangat, vel fracto fœdere, bellum gerat; nos verò adeò desides, & à majorum virtute degeneres sumus, ut vix ampliùs hosti tam crudeli, neque tamen invincibili, aut prorsus strenuo, constanter obluctari audeamus; ingens etiam lucrum reputantes, si amissis aliquod Regni Hungarici urbibus, fortalitiis, ditionibúsve, pacem redimere possimus. Me Hercle! indignabundus quis mirari posset, quorsum Germanorum illa omnibus sæculis decantata virtus prolapsa sit? Majores enim nostri, suapte fortitudine & generositate, non Europam modò omnem, sed & Asiam & Africam sibi subjecêre; atque in Galliam, in Italiam, in Hispaniam, in Angliam, & omnem omnino orbem, Colonias dimisêre; nos verò superis etiam ingentes agimus gratias, si finibus nostris tranquillè vivere sinamur. Contra positam supra assertionem nostram, quam, defendit *Grotius De J. B. & P. lib. 2. cap. 15. §. 9. & seq.* & *Limnæus, in Annot. ad art. 2. Capitulationis Caroli V.* Verb. *Aller Hülff &c.*

68. Oppones cum *Reinkingio De R. S. & E. lib. 2. class. 3. cap. 3. n. 49. & seq.* Fœdera & auxilia infidelium sunt evitanda: 1mò. Propter periculum perversionis & seductionis. 2dò. Propter scandalum & offendicula in fide. 3tiò. Propter metum invasionis aut desertionis. Resp. His rationibus non expugnari nostram Thesin, quin potiùs affirmari id ipsum, quod nos dicimus. Qui enim asserit, fœdera cum infidelibus esse periculosa; is in effectu ait: hujusmodi fœdera absolutè, pangi posse; sed cautelâ opus esse; ne quis decipiatur. Unde, dum *Reinkingius* cum aliis præsertim Theologis contendit: ideo reprobanda esse fœdera cum Paganis, quia sunt periculosa, non resolvit quæstionem propositam. Quæritur enim: an talia fœdera, *de se* sint licita nec ne? sive: an sint *intrinsecè mala*, & vitium in se habeant? non verò indagatur: an consultum sit talia fœdera pangere. Prima quæstio est *juris*, & de jure

jure procedit, altera *de consilio* intelligitur. Qui primam negat quæstionem, & hujusmodi pacta *de se* dicit esse illicita, is defectum in principio agente, & vitium in effectu durans commonstrare debet; non verò pericula duntaxat adducere, quæ probabiliter suboriri possunt. Quia hæc non improbant fœdus tanquam intrinsecè malum, & moraliter turpe; sed solùm dissuadent; propter causas externas, quæ rem per se non reddunt vitiosam. Igitur, qui omisso jure, de quo quæstio procedit, consilium aut cautelas adfert, nihil resolvit, sed respondet ad id, quod non quæritur, & aliunde facilè percipitur. Si

69. Dicas cum *Bocero, lib.* 1. *De bello & Duello. cap.* 8. distinguendum esse inter infideles, de quorum virtute, fide & constantia certò constet; & inter eos, quorum fides sit dubia. Resp. Ad facultatem agendi, seu contrahendi cum infideli, nihil facere dubiam aut certam fidem. Nam, si *de se* contractus cum Pagano, nil vitii continet; ob necessitatem, cum ipso contrahere licebit, licet sit dubiæ fidei; quanquàm cavendum sit, ne contrahendo cum illo, qui volubilis est fidei, decipiamur: quæ cautela non solùm adhibenda est, si cum infideli; sed etiam, si cum Christiano, negotium habeamus. Verùm cautio ista, ad juris decisionem nihil confert.

70. Instabis cum *Reinking*. Si Divus *Paulus* Gentium Doctor, indecens & nefas esse putavit, Christianos homines propter lites & controversias civiles, coram infideli judice litigare, & potiùs voluit tolerari injurias, quàm id committere; quantò magis nefas erit exortâ dissensione inter Christianos, ad infidelium fœdera confugere, & adversus fideles, suppetias ab infidelibus efflagitare? Resp. Divum Paulum 2. *ad Corinth. cap.* 6. ℣. 14. loqui de illis, qui in idoliis, id est fanis idolorum, convivabantur, atque ita vel idololatriam committebant, aut certè committentium speciem præbebant, id quod verbis sequentibus insinuat dicens: *Quæ autem conventio Christi ad Belial? aut: quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis?* Clariùs idipsum indigitavit Doctor Gentium 1. *ad Corinth. cap.* 10. ℣. 21. inquiens: *Non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ Dæmoniorum.* Præterea; Apostolus Christianis absolutè & penitus non prohibuit, ne coram judice infideli litigarent; sed solùm voluit, ut Christi fideles potiùs coram ministris Ecclesiæ, sine strepitu forensi, & absque scandalo aliorum, causas suas super rebus caducis tractarent, & amicabiliter convenirent, quàm, ut coram tribunali paganorum animosè litigarent. Voluit inquam Apostolus, ut Christiani, potiùs boni viri arbitrio, controversias suas componant; quàm, ut de rebus minoris momenti, cujusmodi sunt tunica aut pallium, coram judice infideli, præsertim initio nascentis Ecclesiæ, ubi Christianorum nomen infidelibus exosum erat, altercarentur. Nequaquam autem Apostolus docuit, aut præcepit; quòd Christiani potiùs omnia bona sua amittere, aut extremas injurias pati debeant, quàm coram judice pagano litigare, si necessitas premat, & spes affulgeat juris sui consequendi. Vetat igitur duntaxat Apostolus, ne subitò & levibus de causis, non tentatâ priùs amicabili compositione, injurioso atque virulento animo, ad gentile judicium fratres nostros trahamus. Adde: quòd dispar sit ratio Regum & Principum, atque hominum privatorum, de quibus Doctor Gentium loquitur. Privatus enim facilè potest, amore pacis Christianæ, tunicam aut pallium violento raptori dimittere; quia, si nolit illas res retinere; abjicere, aut aliis donare eas potest, utpote illarum dominus

nus & arbiter: Rex autem, qui à subditis suis injuriam & violentiam propulsare, & ipsis justitiam procurare tenetur, non peræquè de ipsorum personis & facultatibus disponere potest. Porrò; Divus *Paulus*, ùt ùt Christianis interdicat, ne ad Judices gentiles litigatum eant; nequaquam tamen inhibet ipsis, ne iis veluti sociis & defensoribus utantur contra aliorum improbas molitiones. Judicis arbitrium, super juredicundo imploramus; ast fœdus inimus, aut fœderatum advocamus, ut in necessitate aliàs insuperabili, atque in causa justa, nobis præstet auxilium. Arctiùs, & litterali sensui textûs supra citati inhærendo; Dic: Officium Christiani Principis, cui ab alio bellum imminet; esse; præprimis tentare amicabilis compositionis viam; quâ nihil proficiente, si alterius Christiani Principis auxilium obtinere nequeat; non apparet, cur ad gentiles confugere, & ab iis assistentiam implorare nequeat; si alioquin viribus impar, hosti improbo & inexorabili resistere non posset; sed, sub injusta violentia, perire deberet. Tali certè necessitatis casu, neque Divus Paulus, justæ & gravis causæ persecutionem, coram profanis judiciis, neque quisquam alius, miserrimè oppressum, ab auxilio cujuscunque excludere vult aut potest. Et quis amabò magis culpandus? an is, qui gentilium armis, se ab alterius injusta invasione defendit? an: qui prava ambitione inebriatus, omne jus fásque pedibus conculcat, & barbarorum more, jus in armis collocat, & omnia licere existimat, quæ superioribus viribus quomodolibet factitari possunt? Profectò, natura nos in mutuum condidit adjutorium; ita, ut potentiores, alios imbecilliores ab injuriis defenderent; quia eatenus natura ipsa, inter mortales, amicitiam & cognationem constituit. Si autem natura jubet oppresso opem ferre; quis vetet homini ab homine expetere suppetias?

71. Provocat quidem *Reinkingius* ad Concilium *Viennense*, in quo fœdera cum infidelibus prohibita ac damnata perhibentur. Verùm, nec prohibita nec damnata ibi fuêre absolutè & simpliciter hujusmodi fœdera, sed solùm proscriptus & anathematizatus fuit abusus, quem, prô dolor! Principes quidam (nominetenus Christiani) commiserunt; dum ex invidia & rancore erga potentissimam & Religiosissimam domum Austriacam, nullâ necessitate cogente, nullis affecti injuriis, nihilque sinistri metuentes, cum Turcis aliisque Paganis, fœdera & societates, in pernitiem populi Christiani inivisse convincuntur. Vide *Recessum Imperii*, *Spiræ*, tempore *Caroli V.* conclusi, *anno* 1544. §. *So achten wir.* Igitur Concilium *Viennense* nec voluit, nec potuit legitimum defensionis modum penitus è medio tollere; sed, cùm jam Ecclesia satis esset dilatata, & pleraque, in Europa, Imperia salvatori nostro nomen dedissent; Patres istius Concilii meritò censuerunt, non ampliùs opus fore, gentilium uti auxiliis; eò quòd per Dei gratiam, Christiani Principes ipsi, jam per se reprimendæ improborum violentiæ sufficiant; & aliunde unus alterum fraterno amore prosequi, ac in discrimine constitutum, cunctis viribus juvare teneatur. Confer *Grotium*, *De J. B. & P. cap.* 15. §. 12.

72. Replicabis cum *Reinkingio*: Per talia fœdera obscuratur laus & gloria Dei; Victoria enim à solo Deo speranda & petenda. Jam verò infideles victoriam neque à vero Deo petere, neque eidem, sed idolis suis acceptam ferre constat: proinde Christianus, Paganos in auxilium adhibens, Victoriæ gloriam soli Deo debitam idolis adscribere videtur. Resp. Si hæc sequela subsisteret; eâdem operâ con-

concludendum foret, neque exercitum conscribi, neque munimenta erigi; neque actiones bellicas exerceri debere; sed, victoriam à solo Deo sperandam & exspectandam fore; donec omnipotens, vel igne de cælo immisso, vel aquarum inundatione, vel fulguris tonitrúque ictibus; vel aliis modis, hostem enervâsset delevisstve. Utique victoria à solo Deo speranda est; ast, ideo desides esse non debemus, eò quòd plerumque Deus nostrâ operâ, ceu instrumento, utatur; & nobis prævie orantibus in adjutorium veniat; quanquam non ideo minùs fecerit, quòd instrumentum adhibuerit, sine quo solus totum efficere potuit. Non attribuant infideles soli Deo gloriam, sed victoriæ laudem suis adscribant idolis? Quid inde? Sufficit certè; quòd Christianus Princeps, victoriam soli Deo vero acceptam ferat; ùt ùt adjutores habuerit gentiles idolorum cultores. Planè, sicut bonus Princeps, non ideo impia bella gerit, quòd in ejus exercitu plurimi sint Christiani scelerati & impii. Unde, sicut Deus non raro impiis utitur hominibus ad punienda aliorum delicta; ita & impiis gentilibus in summa necessitate, Princeps Christianus uti potest, dummodò ipse in pietate & probitate perduret, & ita sit comparatus, ut Paganorum cæcitati indoleat, & illos mallet esse Christianos, quàm idololatras.

73. Dices: Bella non minùs piè, quàm fortiter suscipienda atque gerenda sunt: Atqui, cum infidelium auxilio, bellum piè geri non potest. Ergo. Resp. Belli gestionem esse actum justitiæ *executivum*; justitiam autem tam per improbos, quàm probos executioni mandari posse; quoniam nil ad justitiam refert, quibus instrumentis, dummodò ex ordine, fiat executio; præsertim in casu necessitatis, ubi illa per probos fieri nequit. Confer *Grotium, loc. cit. lib. 2. cap. 26. §. 5.* ubi dicit; posse Regem, exemplo Dei, voluntate militum non tantùm bonâ, sed etiam malâ uti; dummodò Rex ipse ad facienda mala non concurrat. Pietati enim & justitiæ convenientiùs est, ut innocens Christianus infidelium justo patrocinio sublevetur; quàm, ut ab altero Christiano (qui nomine quidem talis; reverà autem & prædo & carnifex & tyrannus est) fratre suo, injustis armis trucidatur, aut prorsus conculcetur.

74. Quæri potest 2dò. Si plures bellum gerant, utri potiùs opem ferre debeat, qui utrique est fœderatus? Resp. 1mò. Si unus fœderatorum justam foveat causam, alter vero injusta arma gerat; utique illi succurrendum est, à cujus parte stat justitia. Omnia enim fœdera, quibus auxilium ad bellum promittitur; hanc imbibitam habent conditionem: *Si bellum fuerit justum.* Promissio enim de re illicita & turpi, non obligat, quod adeò verum est; ut is, qui etiam in societatem belli injusti consentit, non teneatur stare promissis; quia fidem suam nemo obligare potest, quando illa absque peccato servari & expleri nequit. Cæterùm, Responsio data limitanda est in casu, quo ita pactum fuerit; *ut contra nullum confœderatorum auxilia mittantur*; tunc enim neque illi assistendum erit, qui justam fovet causam; nisi fortè is in extremam necessitatem, per injusta alterius arma, conjiciatur. Tali enim eventu, ex lege charitatis, contra quam pactum non obligat, confœderato, sicut cuivis alteri, succurrendum esset.

Resp. 2dò. Si fœderati belligerentur ex causis utrimque injustis; neutri parti auxilia erunt suppeditanda, quia nunquam ad effectum malum concurrere, aut cooperari licet. Resp. 3tiò. Si fœderati justa de causa, in alios bellum gerant; tunc si

si utrique auxilia mitti possint, sive in milite, sive in pecunia; utrique assistendum erit. Ast, si ipsius, qui promisit præsentia, quæ individua est, requiratur; ratio postulat, ut præferatur is, cum quo antiquius est fœdus. *Excipe*; nisi posterius fœdus, ultra promissionem, quid contineat, quod quasi dominii translationem importet; puta; *aliquid subjectionis*. Nam, sicut in venditione, dicimus primum emptorem præferri; nisi secundo res simul tradita fuerit; sic & deditionis, quàm societatis fides sanctior.

75. Quæri potest 3*tiò*. In quid teneantur sponsores, si sponsio à Rege vel Republica reprobetur? Ante Responsionem *Suppono*: illum, qui summum imperium habet, ad nihil teneri, si sponsor absque ejus mandato, quid promiserit; teneri tamen jus reddere iis, quibus sponsor fidem suam addixit. Quemadmodùm enim cuivis extraneo, qui in subditum suum, actionem quandam juris habet; justitiam administrare debet; ita quoque contra sponsorem, qui fidem Principis (ejus injussu) temerariè aliis obstringere ausus fuerit. Cùm igitur Princeps ipse non teneatur præstare id, quod ipsum facturum, alter promisit; quæstio est: quatenus saltem sponsor, aliis, quibus spospondit, obstrictus sit?

76. Regulariter quidem sponsor, qui factum alienum promisit, non tenetur ad id, *quod interest*; modò facere non omiserit, quod ex sua parte, ad id factum obtinendum, facere potuit. Id tamen non procedit, si verba, aut negotii natura, obligationem inducat strictiorem; cujusmodi est actus, de quo nostra procedit quæstio. Quoniam non solùm sponsor promittit factum alienum, scilicet Principis sui, sed & simul aliquid ab altera parte accipiendo, se ad faciendum vel dandum obligat. Unde

77. Respondeo: Hujusmodi sponsorem non liberari, si omnem diligentiam adhibuerit, ut tertius factum quod promisit, præstaret; sed, si tertius factum promissum non præstiterit; tenebitur stipulatori, quanti ejus interest promissionem non fuisse factam. Tametsi autem maximè ejus interesse possit, ut res in eum statum reponatur, in quo erat ante promissionem; quia tamen id non semper in potestate sponsoris est, & impossibilium nulla obligatio; ideo morali necessitate, non ultra conveniendus, nec obligandus est; quàm ad id, quod facere potest. Unde, si bona ejus non sufficiant, nedum corpore ab iis, quibuscum egit, apprehendi; sed & iisdem *dedi* poterit à Principe cujus fidem temerariè interposuit; ita, ut servus eorum fiat, quos fefellit. Sed quid, si sponsor suo nomine, pœnam seu mulctam sponsioni suæ adjecerit præstandam à se, si Princeps factum promissum non expleverit? Tali casu, cùm non nisi pœna sit in obligatione, nil ultra exigi poterit, etsi sponsor caput & vitam suam, vel obsidum, obligârit. Quanquam enim mulcta pecuniaria, loco incerti, quod interest, in stipulatum deduci queat; nemo tamen suam vel alterius vitam validè obligare potest, prout alibi dictum.

78. Hîc Quæri potest 4*tò*. Num Principis scientis & silentis taciturnitas, ratam faciat sponsoris promissionem? Resp. *Sub distinctione:* Aut purè, aut sub conditione, facta est sponsio; *si videlicet à summa potestate ratihabeatur*? Certè conditio non impleta, nullam reddit sponsionem. Quòd, si sponsio purè facta sit; considerandum: an præter silentium aliquod probabile argumentum ratihabitionis accesserit? Siquidem, sine re aut facto aliquo, nuda taciturnitas, quæ ex aliis causis provenisse potest, non sat probabilem voluntatis conjecturam suppeditat.

tat. Sed, si actus aliqui accesserint, qui ad aliam causam verisimiliter referri nequeant; tunc rectè intelligitur actus ratihabitus.

79. De interpretatione pactorum ac promissorum agendo; SUPPONENDUM est; promissorem ad id, & non aliud præstandum obligari, quod animo concepit & voluit; quia tamen actus interni, per se non patent; neque indulgendum etiam est, ut quis ad se liberandum, quem voluerit sensum verborum suorum effingere queat; ideo disquirendum; qua ratione, verba paciscentium, aut negotia tractantium, ritè sint interpretanda?

80. Profectò, si nulla sit in contrarium conjectura, verba capienda sunt, in proprio sensu, non grammaticali, qui est ex ethymo & origine vocabulorum, sed usuali & populari, secundùm morem Regionis. In artium autem vocabulis, quæ ultra captum plebis sunt, adhibenda erit artis cujusque prudentum definitio, Nam, ùt dicit Divus Pater *Augustinus* in *Rhetoricis: Ut multa nova tam à technicis & Mathematicis, quàm à Philosophis cognominantur, accipere debemus non tam pro solito usu consuetudinis, quàm pro conditione præcepti.* cui consonat illud *Ciceronis: lib* 1. *Academicarum quæstionum* : *Dialecticorum verba nulla sunt publica: suis utuntur: & id quidem commune ferè est omnium artium.* Sic: si in pactis, de exercitu, quid dictum fuerit; exercitus ea militùm multitudo intelligenda est, quæ palàm fines hosticos ausit invadere. Quia politici passim distinguunt inter ea, quæ furtim, aut latrocinantium more fiunt, & ea; quæ justo fiunt exercitu, qui ex hostium copia & viribus æstimandus venit. Sic & arx intelligitur locus iste, à quo, ad tempus, hostis arceri possit.

Si verba sint æquivoca aut ambigua; tunc ex antecedentibus vel subsequentibus verbis, aut ex materia substrata, vel ex effectu, aliisve conjunctis, conjectura voluntatis, & sensus loquentium hauriri debet. Sic armorum vox, quæ modò belli instrumenta; modò milites armatos significat; pro materia, de qua agitur; aut instrumenta, aut milites significat. Sic: qui homines reddere promisit; vivos, non mortuos reddere debet. Et: qui dimidiam navium partem promisit reddere; non explet promissum, dando naves dimidiatas seu in medio sectas. Confer *Everbardum, in loco*: *à subjecta materia.* Quò ad effectum quoque ea facienda est interpretatio, ne vox, ex usu receptiore, effectum post se trahat à ratione alienum. In verbis enim ambiguis, is colligendus est sensus, qui vitio careat. *Everhard. in loco. Ab absurdo.* Ex conjunctis demum, sæpe probabilis hauriri potest conjectura voluntatis, Conjuncta autem esse possunt, aut origine, aut loco. Conjuncta origine sunt; quæ ex eodem animo proficiscuntur, etsi alio loco, & alia occasione, dicta sint. In dubio enim voluntas censetur sibi fuisse consentiens. *Everhard. in loco*: *A conjunctione duarum legum.* Porrò, ratio legis vel dispositionis, validissimam præbet conjecturam voluntatis, puta: si certò constet, aliqua ratione, tanquam causâ unicâ, voluntatem fuisse motam. Nam interdum sunt plures, quarum quælibet sufficit, aut movisse potuit legislatorem, aut alium agentem. Interdum etiam *præter rationem*, voluntas pro libertate sui, se ultro determinat; quod ad producendam obligationem sufficere potest; *quia pro ratione stat voluntas.*

81. Hic insuper OBSERVANDUM est 1mò. Quasdam voces, duas habere significationes, unam scilicet strictiorem, alteram laxiorem : id quod ex diversis causis oriri potest; aut, quia uni specierum nomen generis attribuitur, veluti: cùm filius masculino vocabulo *homo* dicitur, licet & filia *genericè*, seu, ùt Philosophi dicunt, *specificè*,

co, homo sit. Aut: quia usus artis, latiùs patet, quàm usus popularis: prout apud jurisperitos, *mors*, civilem quoque mortem, v. g. *deportationem* importat, licet vulgò significet separationem animæ à corpore.

82. Observandum 2dò. Ex his, quæ in pactum deducuntur, alia esse favorabilia, alia odiosa, alia mixta, seu media. *Favorabilia* sunt: quæ gratiam, beneficiúmve important; aut, quæ communem respiciunt utilitatem, quæ, quò major est, atque latiùs patet, eò majorem inducit favorem. Sic illa, quæ ad pacem faciunt; majorem favorem continent, quàm quæ ad bellum; &, belli *defensivi*, seu ad tuitionem suscepti, favor est major, quàm belli *offensivi* & ultrò suscepti. *Odiosa* sunt: quæ aut alteram partem *tantùm*; aut plus alterâ gravant, aut: quæ pœnam in se continent; aut: quæ actus faciunt irritos. Item: quæ de prioribus aliquid immutant. *Mixta* sunt: quæ uno respectu quid favoris, altero quid odii seu gravaminis habent, adeóque, pro ratione magnitudinis, seu participationis, modò favorabilia, modò odiosa censentur, quanquam cæteris paribus, favor censeatur potior. His præmissis, circa normam interpretandi:

83. Prima sit Regula: In non odiosis, sumenda sunt verba, secundùm totam proprietatem usus popularis. Unde *indefinita* locutio, pro universali capietur, & masculinum, sub se continebit fœmininum. Sic: si cautum sit: *ne luminibus officiatur*; humaniùs est indefinito luminum vocabulo, omne lumen significari, scilicet præsens & futurum. *l.* 23. *ff. De servit. P. U.* Sic quoque verba hæc: *Unde quis dejectus est*. etiam ad eum restituendum pertinebunt, qui vetitus est ad suum fundum accedere. Nam vox dejectus, latiùs sumpta, fert eam significationem. Ob eandem rationem, *in favorabilibus*, si is, qui loquitur, jus intelligat; aut jurisperitorum consiliis utatur; verba adeò laxè sumenda, ut etiam prorogentur ad significationem, quam ars introduxit, aut lex dedit. Alioquin ad significationes planè improprias, non recurrendum; nisi alioquin absurdum aliquid, aut pacti inutilitas, vel *nullitas* induceretur. Econtrario autem, verba etiam strictiùs, quàm fert proprietas, sumenda erunt; si id necessarium sit ad vitandam iniquitatem vel absurditatem. At, si talis non adsit necessitas, sed manifesta æquitas vel utilitas in restrictione; subsistendum erit intra arctissimos terminos proprietatis, nisi circumstantiæ aliud suadeant.

84. Regula 2da In odiosis, etiam sermo figuratus aliquantulum admittitur, quò onus, pœna, aut gravamen vitetur. Sic in donatione & juris sui remissione, verba quantumvis generalia, restringi solent ad ea, de quibus verisimiliter est cogitatum. Hinc, etsi Imperator juret inter alia: *Das er wolle und solle in zeit seiner Regierung, fried-und nachbahrlich sich gegen den anstossenden und Christlichen gewälten halten*; nihilominus ipsi licet in territoriis hæreditariis, ad confinia, munitiones & fortalitia exstruere, licet externæ *Potestates* hujusmodi exstructionem in suî æmulationem fieri arbitrentur, aut sibi suspectam habeant. Cùm enim hæc materia sit odiosa, ubi Imperatori, quod ipsi alias, vi majestatis & juris superioritatis, perinde ac aliis Imperii Principibus competit, nequaretur; certè ad adimendum Imperatori tale jus, non sufficiunt verba, quæ videntur extra propriam significationem, tale quid innuere, sed potiùs [quia odia restringenda sunt] pro libertate interpretanda veniunt. Nam verba: *fried und nachbahrlich sic halten*; salvâ etiam propriâ significatione, impleri possunt, licet Imperator in confiniis Regnorum suorum, fortalitia exstrui faciat. Nemini enim injuriam facit, qui re sua utitur: neque Principes conтermini,

termini, ex tali facto, jus suum læsum esse, querulari possint. Unde oppositum sustinens *Limneus, Jur. publ. lib. 4. cap. 8. n. 237.* non est audiendus

85. Quæri potest: an *sociorum nomine* veniant tantùm ii, qui tempore fœderis, jam socii erant; an verò & *socii futuri*? Resp. Si de pace inter utrinque populi confœderati socios servanda, déque nemine ex his utrimque lædendo, gravando &c. agatur; ex supra posita Regula, dicendum est; & socios futuros, fœdere videri comprehensos, cò quòd favorabilia sint extendenda; si verò quæstio sit de bello suscipiendo, vel rumpenda pace, adeòque de offendendis alterius partis sociis; non videntur socii *tempore fœderis non existentes*, tanquam consortes paciscentium, reputari posse, puta: si altera pars fractæ pacis arguatur, & ex hoc capite, contra illam & fœderis socios, vindicta suscipiatur.

86. Non prætereunda est quæstio: an pacta cum Rege vel populo inita, sint *realia*, vel *merè personalia*? Si enim sint *duntaxat personalia*, cum persona paciscente terminantur, nec ultra obligant; si verò sint *realia*, transeunt ad successores, eósq; obstringunt. Pro resolutione hujus quæstionis. Resp. 1mò. Si cum populo libero actum sit, tunc id, quod ei promittitur, suî naturâ, *reale* est. *Ratio*: Quia populus, utpote subjectum, cui aliquid promittitur, est *res permanens*. Id quod adeò verum est; ut, etiamsi status *Democraticus* in *Monarchicum* mutetur, nihilominùs fœdus integrum maneat; quia manet idem civitatis corpus, cui caput additur. Neque Imperium, quod per Regem exercetur, desinit Imperium esse populi, saltem *in actu primo*.

87. Exceptio tamen facienda; si causa fœderis unicè respexisset statum proprium, in quo populus pro tunc versabatur; veluti: si liberæ civitates, libertatis tutandæ gratiâ, fœdus contraxerint, & postea desinant esse liberæ. Resp. 2dò. Si cum Rege contractum sit; non ideo præcisè fœdus mox est censendum *merè personale*. Nam, ùt rectè à *Pedio* & *Ulpiano* in *l. Jure Gentium §. Pactum. ff. De pactis.* Observatum est; plerumque persona, seu vocabulum personale, pacto inseritur, non ut pactum sit, aut fiat *personale*; sed, ut demonstretur, cum quo pactum sit initum.

88. Resp. 3tiò. Si fœdus factum sit in bonum Regni, aut cum Rege & Successoribus; aut etiam ad tempus definitum, v. g. ad triginta annos; jam satis apparet, esse *reale*, & ad posteros transire. Idem dicendum: si ex verbis, aut materia substrata, verisimiliter judicetur, fœdus ideo fuisse ictum, ut continuò & semper duret. Quod, si pares sint utrimque conjecturæ; ex Regula æquæ interpretationis, pactum *favorabile* seu favorem continens, reale; *odiosum* verò *personale* credendum est. Hac ratione, fœdera pacis aut commerciorum causâ contracta, tanquam favorabilia, pro realibus & perpetuis reputantur, quæ verò belli *offensivi* gratiâ ineuntur; tanquam *odiosa* restringenda sunt, ut personalia reputentur. Dixi: *belli offensivi*; nam fœdera, se tuendi causâ, præcisè inita, propiùs ad favorem accedunt, ut censeri mereantur *realia*. Quòd, si quis cum altero tale fœdus pepigerit, ut ipsi consors, socius & adjutor esse velit *in bello, sive offensivo, sive defensivo*: ita pactum interpretandum est: ut paciscens censeatur habuisse rationem prudentiæ, justitiæ & pietatis ejus, quocum egit. Non enim id voluisse censetur, ut se obligaret in omnem eventum, sive justè, sive injustè alter bellum susceperit.

89. Quid, si fœdus initum cum Rege, qui regno sit expulsus à subditis suis? Resp. Sive idem Rex, sive successor ejus sit regno expulsus, equidem fœdus de jure, integrum manere debet: quia, ùt ùt possessionem corporalem amiserit, jus tamen eo ipso non amisit,

amisit, nisi versemur in casu, quo Rex id commiserit, propter quod secundùm præscriptum legum regni fundamentalium, regno privatus sit: quo equidem eventu, fœdus cum tali Rege initum non censebitur exspirare, si in utilitatem regni, populo saltem tacite consentiente, fuerit ictum. Nec vim ullam habet, quod vulgò dici solet; societatem morte socii finiri; id enim ad societatem *privatam*, quæ juris civilis est, pertinet, non ad *publicam*, Regio, aut populi nomine, initam. Falsum igitur est, quod *Bodinus lib. 5. cap. 1.* Pseudopoliticè asserit; scilicet: fœdera ad Regum Successores non transire, eò quòd juramenti vis, personam jurantis non exeat. Tametsi enim jurisjurandi obligatio, jurantis personam duntaxat obliget; ipsa tamen promissio, *de se* hæredem aut Successores obligare potest. Neque verum est, quod author ille, pro fundamento suæ opinionis, adsert; videlicet: fœdera vim unicam habere *ex jurejurando*; quasi verò ipsa injurata promissio, cui majoris religionis seu vinculi causâ, juramentum additur, de se obligationem non induceret; id quod erroneum esse, nemo ignorat, qui vel nudâ utitur ratione.

90 Quæstio alia est: an subditi *Regis legitimi*, per injustum invasorem regno pulsi, item: an populus liber à Tyranno, Regni invasore, oppressus, inculpatè arma reassumat contra iniquum usurpatorem Regiæ dignitatis? Profectò, nisi desertâ aut desperata sit legitimi Regis authoritas (confer *Grotium De J.B.& P. lib. 1. cap. 4. §. 18.*) licitum videtur cuilibet ex subditis, suasu & hortatu legitimi Regis, obsistere invasori, quem *Heniges* etiam occidi posse ait in *observationibus suis politicis & moralibus, ad Hugonem Grotium, loc. cit. pag. mihi 304.*

91. Cohærens est Quæstio: quid sit dicendum, si populus subactus, sub præstito fidelitatis homagio, in potestatem invasoris venerit? An populus oppressus, & in verba tyranni jurare coactus, vero domino præjudicet? An (inquam) datam fidem, coram Deo violet, si legitimi Principis & domini sui jussu, datâ occasione, aliud egerit? Hoc inter Theologos sancitum & communi calculo probatum est; subditum, extrema potiùs pati debere, quàm rejecto veri Regis obsequio, alteri jurare fidelitatem. Ut ut enim alteri fides sit data; nullius tamen roboris est promissio, eò quòd adsit vitium in causa efficiente, voluntate scilicet promissoris, & effectus inde provenire debeat vitiosus. Populari enim plebi perspectum est, quòd uno eodémque tempore, & ex eadem causa, duobus plenarium obsequium civile præstari nequeat. Jam verò, Rex exul, subditos obligatione fidei non solvit, adeóque hi nequeunt eandem alteri promittere; eodem ferè modo, quo vinculo matrimonii ligatus, nequit validè nuptias cum alia contrahere, propter defectum facultatis agendi. Unde, non obstante fidelitatis juramento, quod ob dictam rationem, nullius est momenti, poterit civis, hortatu Regis sui, illegitimo domino obluctari, imo ipsum, ùt vult *Henniges*, trucidare. Dissentit quidem *Joannes Frid. Hornius. De civitate. lib. 2 cap. 11. §. ult.* existimans per ipsam veri Regis dejectionem, & actualem invasoris possessionem, imperium transferri ad invasorem, idque, sive taceat Rex ejectus, (quo casu, inquit, videtur imperandi facultatem invasori donâsse) sive, bello petat invasorem, qui tam diu retinet imperium in subjugatos, donec illud pari vi, aut conditionibus amittat. Sed fallitur Author iste. Non enim qui populum sub jugum misit, eò ipsô, mox adeptus est imperium, quod non apud populum, sed apud Regem fuit, qui in fidem & potestatem invasoris necdum venit. Neque Deus censetur legitimum Principem, ante realem ejus subjectionem, voluisse privare

privare imperio, & illud in violentum invalorem transtulisse. Ut ut igitur *facti* quandam usurpationem, alieni regni invasor, habeat; non tamen habet regni proprietatem, seu jus imperandi in *actu primo*. Sicut enim dominus servi (quem alius ipsi eripuit, ita ut difficilis sit ejus persecutio) possessionem quidem amisit, dominium verò retinet; ita Rex è possessione regni *viâ facti* ejectus, ejusdem dominium imperiúmve adhuc retinere censetur. Profectò, nisi alia voluntatis indicia accedant; sola, ad tempus, Regis exulis taciturnitas non sufficit ad præsumendum, quod regnum invasori donaverit. Quid enim, si Regi exuli idoneæ vires & auxilia needum adsint? An ideo mox invasori omne jus suum donâsse censebitur? Certè id neutiquam præsumendum, sed potiùs credendum, eum expectâsse commodius tempus repetendi regnum suum. Idem dicendum, si v. g. mater Regis infantis, injustâ vi è possessione Regni vel Ducatus fuerit ejecta, & jus suum, morali necessitate impedita, persequi non potuerit: nihilo enim minùs filius Regni hæres, si adoleverit, & vires habuerit, regnum, ducatúmve ablatum repetere valebit: Aliud foret, si Rex ipse legitimus, in potestatem invasoris venisset, tunc enim Gentium jure (non tamen secundùm justitiam *internam*) servus fieret victoris; adeóque imperium amisisse censeretur. Aliud itidem foret: si populus antecedenter liber, se submisisset invasoris imperio. Hic enim, sicut Regem eligere; ita & regnum in violentum invasorem transferre potest. Confer *Grotium*, *De J. B. & P. lib. 1. cap. 3. §. 19.*

92. Petes: Quæ facienda sit interpretatio, si promisso ei præmio, qui primus ad metam pervenerit; *duo simul* eam attingerint? Quæstio inquam est: an præmium debeatur utrique, an neutri? Sanè, vox *primus*, ambigua est. Nam, aut eum significat, qui omnes antecedit, aut quem nemo. Differt autem is, qui omnes antecedit, ab eo, quem nemo antecedit in hoc: quòd *ille* parem non habeat, *hic* verò habere possit. Quicunque omnes antecedit, eum antecedit nemo; ast, quem nemo antecedit, is non continuò antecedit omnes, cùm duo vel tres possint esse pari ordine & gradu. Ad quæstiunculam Respondeo in *hypothesi*; quòd duo insimul ad metam pervenerints ex æquitate, aut præmium esse inter ipsos dividendum, aut; aut si præmium sit re: indivisibilis; veluti: si equus sit promissus; sorte experiundum, cui cedat.

93. Aliud interpretandi genus proficiscitur ex conjecturis extra significationem verborum, eorum scilicet, quibus promissio continetur: ídque duplex est, nempe vel *amplians* vel *coarctans*. Profectò, dum extra verba promittentis, quæritur conjectura, ea valde certa esse debet, ut obligationem inducat. Non enim rationis *similitudo* sufficit, sed *identitas* requiritur. Quinimò, nec rationis identitas ad ampliationem faciendam semper sufficit, ùt ùt enim ratione voluntas moveri soleat; interdum tamen, *pro ratione*, *stat voluntas*, quæ etiam pro exercitio suæ libertatis, *sine ratione*, quid potuit statuisse. Quamobrèm, ut talis ampliatio, seu extensio, ritè fiat; necessùm est, ut constet, rationem, propter quam, extensionem facere volumus, ad casum verbis haud expressum; fore causam *finalem*, *unicam* & *efficacem*, quæ promittentem moverit; eámque rationem, in sua generalitate, fuisse consideratam, eò quòd alioquin promissio fuisset aut iniqua aut inutilis. Huc spectat locus ampliationis *per ratiocinationem*; dum videlicet ex scripto deducimus, quod scriptum non est. Et eò pertinent ea, quæ Jurisperiti & pragmatici observant circa ea, quæ in fraudem, & captiosè fiunt Pone: quòd eo tempore, quo non erat aliud muniendi genus, dictum in pactione fuerit;

ne

ne locus muris cingatur. En locus iste, ne aggere quidem cingi poterit, si constet, eam ob causam duntaxat, prohibitum fuisse muris cingi locum, *ne muniretur*. Sic: si testator quid deposuerit sub conditione: *si posthumus*, quem exspectabat, *sit mortuus*; sententia disponentis producitur etiam ad illum casum: *quo natus non fuerit posthumus*. Quia liquet, voluntatem disponentis motam fuisse consideratione *non exstituræ prolis*. Si hîc

94. Roges: An mandatum impleri possit non per *idem*, sed per aliud *æquipollens*, æquè utile, aut etiam utilius, quàm erat illud, quod mandans præscripserat? Resp. Id demum licere: si constet, id quod præscriptum erat, non fuisse præscriptum sub speciali sua forma, sed sub consideratione generaliore, quæ aliter quoque obtineri possit? Sic: *Scævola*, *l. ult ff. Mandati.* respondit: eum, qui fidejubere jussus est, *mandare posse creditori*, *ut tertio pecuniam numeret*. Alioquin, si præcisum, & in specie determinatum fuerit mandatum; mandatarius illius fines, prætextu melioris consilii, egredi non poterit.

95. Interpretatio *coarctans*, *limitans* aut *restringens* petenda est, aut ex originario voluntatis defectu, aut ex casûs emergentis repugnantia cum voluntate, aut ex cessatione rationis, quæ plenè & efficaciter movit voluntatem, aut porrò ex materiæ defectu. *Originarius* voluntatis defectus meritò colligitur ex absurdo, quod alioquin evidenter sequeretur. Casus emergentis repugnantia, ideo interpretationem coarctantem fieri suadet, quia casus omnes nec prævideri humanitus possunt, nec exprimi: adeóque opus est quadam libertate eximendi casus, quos, qui locutus est, si adesset, exciperet: sed id temerè, & sine verisimillima ratione non est factitandum, ne quis sine rationabili fundamento & indiciis sufficientibus, se dominum faciat actûs alieni. Certissimum autem indicium est; si sequi mandentis aut disponentis verba nudè & generatim accepta, illicitum foret; utpote repugnans naturalibus aut divinis præceptis. Talia enim, cùm obligationem invehere non possint, necessariò excipienda sunto. Sic: qui promisit depositum gladium reddere, non reddet deponenti furioso, ne ipsi aut aliis innocentibus periculum creet. Sic nec res deposita ei, qui deposuit, sed domino comparanti & repetenti reddenda est: & *hanc* (inquit *Tryphonius* in *l. Bona fides. ff. Depositi* (*justitiam probo*, *quæ suum cuique ita tribuit*, *ut non distrahatur ab ullius personæ justiore repetitione*.

96. Præterea: licet verba sequi, non quidem per se & omnino sit illicitum; illa tamen restringi convenit, si illorum litteralis observantia nimis grave & insupportabile onus induceret; sive *absolutè* spectatâ conditione naturæ humanæ; sive comparando personam & rem, de qua agitur, cum ipso fine actûs, qui intenditur. Hinc, qui rem alteri ad certos dies commodavit; intra illud tempus, repetere eam poterit, si ipse eâdem re valde indigeat: quia actûs tam benefici, ea indoles est: ut non credendus sit quispiam ad magnum suum incommodum se voluisse obligare. Pariter, qui auxilium fœderato promisit, excusabitur, quàm diu ipse domî periclitatur, in quantum suis copiis opus habet ad se tuendum. Item: concessio immunitatis vectigalium & tributorum, intelligitur *de quotidianis & anniversariis*, non verò de iis, quæ ob summam Reipublicæ necessitatem imposita sunt. Confer *Rosenthalium*, *De Feudis. cap. 5. conclus.* 88. *n.* 2. *Cothmannum*, *Consil.* 11. *n.* 32. *Henricum Bocer. De collectis cap.* 4 *n.* 12. Generatim verò non est concludendum; quòd toties non sint servanda promissa, quoties sint iis, quibus promiseris, *inutilia*; neque tunc

tunc servanda sint; si plus ex promissorum adimpletione damni aut gravaminis sentias, quàm alter commodi aut levaminis percipiat. Nam, an res utilis sit futura ei, cui promissa est, promissor considerare non debet, nisi fortè in casu furoris, de quo ante. Similiter, ut promissum, promissorem non obliget; non sufficit, ut qualecunque nocumentum exinde redundet in promissorem; sed tale debet esse, quod pro natura actûs credi debeat exceptum. Sic: qui operas suas ad dies aliquot alteri promisit, non tenebitur, si eum morbus sonticus patris aut filii detineat.

97. *Ex cessatione rationis* fit restrictio. Quia, ubi deficit ratio, quæ voluntatem movit, ibi deficit voluntas ipsa. Observandum autem, sub ratione, sæpe comprehendi res quasdam, non præcisè secundùm existentiam; seu: *ut actu existentes*; sed, *secundùm potentiam moraliter consideratam*; quo casu, restrictio facienda non est. Sic: si cautum sit, *ne exercitus aut classis, aliquò ducatur*; non poterit eò duci, etiam animo *non nocendi*: quia in pactione, non certum & actuale damnum, sed & damni periculum qualecunque, spectatum est.

98. Porrò, cum materia substrata semper intelligatur obversari animo loquentis, & *tanquam objectum* consideretur ab eo, qui agit; hinc patet: quòd ob materiæ mutationem, quæ & per varias circumstantias & accidentia fieri censetur; verba de se latiùs patentia, restringenda sint & coarctanda ad rationabilem mentem, quam loquens habuisse videtur.

99. Quænam facienda interpretatio, si in pactis legibus aut dispositionibus, quædam appareat collisio seu contradictio? Resp. In tali eventu, observandæ sunt Regulæ sequentes. 1*ma*. Lex aut dispositio aliquid merè permittens, cedere debet alteri, quæ jubet aut præcipit. Plus enim roboris habet *Sanctio*, quàm *permissio*. 2*da*. Quod faciendum est, certo tempore, præferendum est ei, quod quovis tempore fieri potest. Ex quo rectè colligitur; quòd plerumque *pactio vetans*, vincat *jubentem*, quia pactio vetans obligat *semper & pro semper*, jubens verò, *semper* quidem sed non *pro semper*, nisi aut tempus sit expressum, aut jussio tacitam contineat prohibitionem. 3*tio*. Inter pacta, quæ pares habent qualitates, illud præferendum est, quod magìs est peculiare, & ad rem propiùs accedit. Nam specialia solent generalibus esse efficaciora. 4*ta*. In prohibitionibus, ea præferenda est, quæ pœnam adjunctam habet: &, si utraque prohitio pœnam minetur; illa rursus erit magis attendenda, quæ graviorem pœnam intendit. 5*ta*. Illa sententia præeligenda est, quæ causas habet magìs honestas aut magìs utiles. 6*ta*. Quod postremò dictum, vincit antecedenter disposita. 7*ma*: Si pactum *juratum* concurrat cum *non jurato*, præferendum erit illud, cui adest jurisjurandi religio.

100. Petes: An in dubio, contractus censeatur esse perfectus, priusquam redactus sit in scripturam, & antequam hæc sit extradita? Resp. Nisi expressè aliud convenerit, credendum est, scripturam adhiberi, ùt monumentum contractûs, ut is probari possit, reverà ita factus fuisse. Non igitur regulariter scriptura pertinet ad substantiam actûs vel contractûs: prout evincitur ex *l. in re*, *& l Si res gesta. ff. De fide instrumentorum. l. Pactum quod bonâ fide. Cod. De Pactis*. Confer *Mynsingerum, Decad.* 10. *Consil.* 91.

En Candide Lector! habes hîc pertractatas materias, quarum elenchum frontispicio Operis præmisi. Errata, quæ per inadvertentiam revisoris, irrepserunt; sequens pagella indicat, & tua facilè observabit eruditio; quin & ea, in contextu correcta reperies, in secunda Operis editione, cui, Deo dante, præter Tractatum *de Sponsionibus*, *Pactis* & *Contractibus*, eorûmque tum *formulis*, & *licitis cautelis*; non inutiles adjiciam annotationes [siquidem, sæpe in una periodo,

iodo, etiam pertinentia, sine obscura digressione, exprimi non possunt] Non succensebo interim tibi, quisquis es, & meliora nôsti; si me charitativè monueris, & tempestivè erudiveris. Haud enim erubescam, ad exemplum Magni Patriarchæ nostri AUGUSTINI, retractare singula, quæ fortè inconsideratiùs, aut minùs rectè scripsisse possem, quanquam nil omnino vel attigisse sciam, nisi quod tum Romano-Apostolicæ, & *unicè salvificæ* fidei nostræ dogmatibus; tum Orthodoxæ, & ante Lutheri, vel Calvini incunabula, canonizatæ orthodoxorum Patrum doctrinæ *morali* penitus consonare crediderim.

FINIS.

ERRATA

In libro primo corrigenda.

	LEGE	P.	Col.	N.	L.
Ipsammet,	Ipsamet	3	2	5	1
Libri	Liberi,	5	2	11	9
Decalogi	Decalogo	12	1	30	21
Sunt, quia	Sunt speciei, ideo justa & bona sunt,	16	2	42	4
Cœperuntque	Cœperunt quoque	16	2	43	7
Secura	Securà	16	2	43	9
Austippi	Aristippi	21	1	1	17
Quàm	Quàm quod	22	1	3	16
Jutitia	Justitia	25	2	37	2
Non debere (ri	Debere	35	2	43	11
Major cedat mino	Majori cedat minor	61	2	33	14
Acturi	Agendo	63	2	37	1
Probalismus	Probabilismus	66	*in titulo cap. 3.*		
Rebaptizatorum	Renatorum	90	1	50	12
Rubinabimur	Ruminabimus	129	1	21	23
Exderunt	Expenderunt	153	2	78	6
Caster	Castor	185	1	15	34
Juramenta	Sacramenta	205	1	53	10
Moreutur	Moventur	223	2	100	7
Profanere	Profanare	231	2	15	26
Celebritatem	Celeritatem	246	1	47	6
Proxè	Prolixè	252	2	*in summar.*	
Infirmam	Infamiam	254	1	6	27
Gregoris	Gregorius	263	1	28	5
Ita	Ita ut	271	1	38	16
Recognosce	Recognoscere	273	1	38	25
Parendi	Parandi	299	2	45	28
Obstringatur	Obstringantur	311	1	57	7
Hoc	Hac	317	2	63	1
Illam	Illum	317	1	63	5
Cruenda	Cruenta	324	1	37	3
Consequentia	Consequentias	342	2	18	3
Est	Sit	345	1	25	3
Lucat	Luat	355	1	68	1
Suffocatâ	Suffocata	355	2	71	16
Honesta	Honestè	356	2	73	19
Expulsionem	Expulsionem	358	2	86	4
Comparaturum	Comparituram	367	2	23	19
Arex	Atrox	411	1	78	34

In libro secundo corrigenda.

	LEGE	P.	Col.	N.	L.
Exolera	Exoleta	8	1	12	7
Reiinquit	Relinquet	13	2	8	8
Quia	Qui	14	2	11	4
Dirimere	Non dirimere	25	2	43	5
Si	Sive	26	2	43	21
Heredoxis	Heterodoxis	36	2	75	41
Patria	Patria	42	1	83	11
Quod	Quos	42	2	89	15
Debet	Debent	44	2	96	20
Suadendis	Suadentis	48	1	3	31
Vicariatus	Vicariatùs	57	1	36	16
Gente	Genti	69	2		58
Oesteeichische	Oèstreichische	100	1	33	5
Andere	Der andere	100	1	33	12
Auffrembden	Auf frembden	*ibid.*			
Dominium	Dominum	109	2	70	2
Side	Fide	120	1	111	21
Causò.	Causâ	128	*in summ.*		
Ab inteftate	Ab intestato	131	1	2	19
Brocarcardica	Brocardica	136	2	23	8
Demetrius	Perseus	154	1	90	15
Ab Ajio	Ab alio	156	1	96	13
Condictio	Conditio	148	1	66	6
Potest	Post	158	1	103	35
Minuisve	Minuíve	168	2	15	43
Subjetum	Subjectum	169	2	16	17
Mensurus	Mansurus	184	2	39	17
Superstitiones	Superstitionis	188	1	50	24
Decolaretur	Decoloretur	190	1	56	9
Loquidò	Liquidò	212	1	89	43
Spiritualem	Temporalem	217	2	93	17
Terrestris	Cœlestis	217	1	94	43
Exeptionem	Exceptionem	232	1	4	1
Perpersa	Perpensâ	248	1	45	5
Sinistè	Sinistrè	265	2	94	15
Tractum	Tractum Rheni	280	1	119	2
Cap.	Cap. quanto	282	1		26
Excpientur	Expientur	301	2	168	15
Facinioris	Facinoris	308	1	179	5
Partibus	Patribus	310	1	181	2
Concussione	Concussione	311	2	182	40

INDEX ALPHABETICUS

Rerum ac Resolutionum præcipuarum, quæ in hoc bipartito opere CONTINENTUR.

Numerus prior librum, posterior paginam indicat. Littera A designat columnam primam, littera B columnam secundam.

A

Ap-

C

Qua

Con-

D

Lex

E

F

Fe-

Fru-

Hæ-

I

In-

L

M

— *Sim-*

Q

R

Re-

S

Sa-

T

V

F I N I S.

APPROBATIO CENSORUM,

A Reverendissimo Patre Magistro AUGUSTINO GIOJA Totius Ordinis FF. Eremitarum S. P. AUGUSTINI Priore Generali *Deputatorum.*

HÆc secunda ETHICÆ CHRISTIANÆ Pars, *Authore admodùm Reverendo ac eximio P. Magistro Antonio Hochkirchen Aquensi Ordinis FF. Eremit. S. P. Augustini, S. Theologiæ Doctore, ejusdémque, nec non juris Pontificii Professore absoluto &c.* Eximii Authoris sui studium & eruditionem non minùs egregiè, quàm pars prima commendat: quippe quæ nobis eam attentè pervolventibus visa est ob rerum fœcunditatem locuples, ob librorum de illis tractantium raritatem, curiosa; ob distinctiones suis appositè distributas sedibus, clara; ob rationum & omnigenarum authoritatum gravitatem, solida; ob facundiæ suavitatem amœna; tantúmque abest, ut in ea aliquid sanæ fidei aut bonis moribus adversum deprehenderimus, ut contra, jure meritissimo, à fronte, hunc præferat Titulum: ORTHODOXA JURIS NATURALIS ET GENTIUM PRUDENTIA. Hæc quidem enucleatiùs *Gentium* exponit & elucidat placita, quod prior pars expressiùs circa *Juris Naturæ* præstiterat dictamina. Utraque sic sua cuilibet *prudenter* assignat munia, ut illud commune scholarum effatum: *distingue tempora*, circumstantias, loca, personas, officia, materias &c. *& concordabunt jura*, ad hocce utrumque Jus cœtera omnia complectens, singulariter pertinere demonstret, Ita sentimus, hac 12. *Novembris* 1751.

F. NICOLAUS ROLIN *S. Theol. Licentiatus & ejusdem Professor emeritus ac Prior Generalis.*
F. LAMBARTUS DE HODEIGE *Ejusdem Ordinis Provinciæ Flandro-Belgicæ Definitor Exprovincialis.*

APPROBATIO CENSORIS ORDINARII.

LEgi Librum cui Titulus ETHICA CHRISTIANA, Authore *Rdo. admodum & Eximio Patre Magistro Hochkirchen Aquensi Ordinis FF. Eremitarum S. Augustini.* Nihil in eo reperi dissonum fidei àut moribus, quin potiùs omnia conformia principiis divorum Augustini & Thomæ. Datum Leodii hac 7. Julii 1751.

ANT. MEDARD S. T. L. *Canonicus Leodiensis: Seminarii Præses & Professor à Sereniss. Eminent. Episcopo ad Examen Librorum specialiter deputatus.*

PERMISSIO ORDINARII.

PErmittimus Impressionem. Datum Leodii hac 8. Julii 1751.

ED. STOUPY *Vicarius Generalis.*



